IMMANUELIS KANTII

OPERA

AD

PHILOSOPHIAM CRITICAM

LATINE VERTIT

FREDERICUS GOTTLOB BORN.

VOLUMEN SECUNDUM.

LIPSIAE

IMPENSIS ENGELHARD BENIAMIN SCHWICKERTI

MDCCLXXXXVII.

C O N S P E C T U S

EORUM QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

I. Prolegomena ad metaphyſicam quamque futuram, quae qua ſcientia poterit prodire. 1

II. Elementa metaphyſica phyſices. 139

III. Conſtitutio metaphyſices. 251

I . Religio intra terminos ſolius rationis. 347

111

IMMANUELIS KANTII

PROLEGOMENA

AD

METAPHYSICAM QUAMQUE FUTURAM

QUAE

QUA SCIENTIA POTERIT PRODIRE.

PRAEFATIO.

Haec prolegomena non ſunt ad vſum tyronum, ſed futuris doctoribus deſtinata, neque hi quoque iis vti debent ad tractationem ſcientiae iamiam exſtantis ordinandam, ſed ad hanc ipſam ſcientiam demum inueniendam.

Sunt viri docti, quibus hiſtoria philoſophiae (cum antiquioris, tum recentioris) ipſa eorum philoſophia ſit, iſtis haec prolegomena non ſcripta videntur. Exſpectabunt, dum ii, qui ex ipſis rationis fontibus haurire allaborant, rem ſuam confecerint, tumque et iis licebit, vt de euentis mundum edoceant. Contra nil quidquam dici poteſt, quod ex ſententia illorum non iam olim dictum videatur, quod et ſane quidem tamquam certa quaedam praedictio valeat ad vniuerſa futura; cum enim intelligentia humana de ſexoentis rebus per plura ſecula multifariam delirauerit, haud facile fieri poteſt, quin ad quodque nouum aliquid vetuſti inueniatur, quocum illi quaedam ſimilitudo intercedat.

Mihi quidem propoſitum eſt, iis, quibus operae pretium videtur in metaphyſica verſari, vniuerſis perſuaderi: abſolute neceſſarium eſſe, vt in praeſens laborem ſuſpendant, quae huc vsque facta ſunt, pro infectis reputent, et ante omnia primo quaeſtionem proponant: „an eiusmodi quidpiam, atque metaphyſica, omnino eſſe queat."

Quodſi ea continetur *ſcientia*, qui fit, vt, inſtar aliarum ſcientiae partium, ſibi haud vniuerſum durantemque poſſit adſenſum conciliare? Sin ea vero nulla ſcientia ſit, qui fit, vt ſpeciem ſcientiae oſtentet perpetuo, humanamque intelligentiam ſpe lactet numquam

exſpirante, ſed neutiquam vmquam expleta? Quamobrem ſiue ſcientiam tuam, ſiue inſcientiam, demonſtres, tamen tandem aliquando, neceſſe eſt, de hacce ſcientia arrogata quiddam certi conſtituatur; namque in eodem ſtatu, fieri non poteſt, vt maneat diutius. Riſu fere dignum videtur, cum quaeque alia ſcientia perpetuo progrediatur, in hac, quae tamen ipſa eſſe ſapientia vult, cuius quisque homo oraculum conſulit, ſemper ſe vno eodemque in loco circumagere, neque digito longius progredi. Iam ſectatores illius admodum ſunt imminuti, neque eos, qui ſatis in ſe roboris perſentiſcunt, vt in aliis ſcientiae partibus laudem ſibi atque gloriam pariant, in hac videmus velle de fama periclitari, in qua, vt quisque aliarum rerum omnium maxime inſcius eſt atque ignarus, ita maxime arrogans et temerarius in adfirmando decernendoque reperitur, propterea quod hac in terra reapſe nondum certus modus eſt, certaque norma, qua doctrina poſſit a nugis tenuibus internoſci.

Nec vero ita inauditum eſt, diuturna ſcientiae elaboratione, cum mirum quantum in ea nos prouectos putamus, tandem cuipiam quaeſtionem in mentem venire: an et quomodo eiusmodi ſcientia omnino poſſit eſſe. Nam tanto tenetur aedificandi ardore humana ratio, vt ſaepius iam turrim exſtruxerit, poſtea autem eam fuerit demolita, vt, quomodo eius fundamentum conſtitutum ſit, exploraret. Numquam ſero diſcitur ſapere: ſed ſemper difficilius intellectus excolitur, ſi ſerius eum fueris adeptus.

An poſſit eſſe quaepiam ſcientia, quaeri non poterit, niſi, an ea vere ſit, dubitatum fuerit. Sed eiusmodi dubio quisque offenditur, cuius res vniuerſa for-

tasse in hoc putatitio thesauro consistat; proinde is, cui dubium istud forte exciderit, exspectet, fore, vt vndiquaque sibi obsistatur. Alii ex superba conscientia possessionis suae veteris, ob eamdemque causam pro iusta reputatae, compendia metaphysica in manu, eum despicient: alii, qui nuspiam quidpiam conspiciunt, quam quod idem cum eo sit, quod iam alias vspiam conspexere, illum non intelligent, omniaque aliquamdiu sic manebunt, quasi nihil quidquam accidisset, vnde propior mutatio metui debeat, vel sperari.

Nihilominus fidenter praedixerim, lectorem meditabundum horum prolegomenorum non solum de scientia, quae sibi adhuc fuerit, dubitaturum fore, sed progressu temporis prorsus iri persuasum, eam non posse esse, nisi, quae hic postulauimus, praestentur, in quibus quippe possibilitas illius posita videtur, quodque cum nondum vmquam factum sit, nullam omnino metaphysicam esse. Quoniam vero numquam non poterit de illa quaeri, *) siquidem, quae intersunt communis rationis humanae, arctissime sunt cum ea coniuncta, fatebitur, plenam instaurationem illius, vel potius nouum partum, ad formam huc vsque prorsus ignotum, necessario instare, vtcumque aliquamdiu contra reluctetur.

Ex quo *Lockii Leibnitiique* innotuere conatus, siue potius inde ab origine metaphysices, quousque historia illius pertineat, nihil quidquam vsu venit, quod ratione fatorum huiusce scientiae maius habere momentum potuisset, quam impetus, quem in eam fecit *Dauides*

*) Rusticus exspectat, dum defluat amnis: at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aeuum.

Horat.

Humius. Qui quidem nullam huic cognitionis parti lucem adfudit, fed tamen excitauit fcintillam, de qua fane lumen potuiffet accendi, fi ea incidiffet in fomitem, facile excipientem, cuiusque fcintillatio diligenter alta fuerit et aucta.

Humius ab vno maxime conceptu metaphyfices, fed illo quidem grauiffimo, nimirum *colligationis caufae atque effecti* (proinde quoque conceptu inde deriuato vis actionisque et fimilium), profectus, rationem, quae illum in fuo gremio perhibet genuiffe, prouocauit, vt rationem redderet, quo tandem iure cogitatione fibi informaret: quidpiam ita poffe comparatum effe, vt, eo pofito, aliud quidpiam neceffario ponendum videatur; haec enim vis eft conceptus caufae. Manifefto euicit: fieri prorfus non poffe, vt ratio ex anticipatione atque ex conceptibus cogitet eiusmodi colligationem, quippe qua continetur neceffitas; nec vero prorfus poteft intelligi, quomodo idcirco, quod quidpiam eft, et quiddam aliud effe neceffario oporteat, et qui proinde conceptus eiusmodi colligationis poffit ex anticipatione induci. Exinde coegit, rationem in hocce conceptu penitus falli, eumque falfo pro fetu fuo habere, cum tamen non nifi fpurius phantafiae fit, quae grauidata per experientiam, certas repraefentationes quasdam legi adfociationis fubiecerit, neceffitatemque fubiectiuam inde oriundam, id eft, confuetudinem, pro obiectiua ex perfpicientia fupponat. Hinc effecit: nullam omnino rationi facultatem effe, eiusmodi colligationum, vel modo in vniuerfum, cogitandarum, quia tum conceptus ipfius in folis verfarentur figmentis, omnesque illius cognitiones, quae ex anticipatione putentur confiftere, nihil effe, nifi communes experientias falfo fi-

gnatas, id quod idem eſt, ac nullam omnino metaphyſicam eſſe, nec eſſe poſſe. *)

Quantumuis temeraria eſſet falſaque eius conſequentia, tamen ſaltem conſtituta fuit in inueſtigatione, atque haec inueſtigatio ſane quidem digna erat, vt ingenia aetatis illius praeclara coniungeret, ad quaeſtionem, quo eam propoſuit, ſenſu, ſi fieri poſſet, felicius ſoluendam, vnde breui oportuiſſet totam ſcientiae inſtaurationem exſiſtere.

Verum, quod vsque quaque metaphyſicam vexaverat, fatum eam ab nullo quopiam intelligi voluit. Non poteſt ſine certo quodam moleſtiae ſenſu percipi, quantopere eius aduerſarii, *Reidius*, *Oswaldus*, *Beattius*, et tandem *Prieſtleius*, a ſcopo quaeſtionis aberrarent, et propterea, quod ea ſemper acciperent pro conceſſis, quae ipſa in dubium vocaret, contra vero cum vehementia, et maximam partem cum ingenti immodeſtia ea probare geſtirent, quae illi numquam in mentem veniſſet dubitare, *nutum* eius ad emendationem ita negligerent, vt omnia in ſtatu priſtino manerent, quaſi nihil quidquam factum videretur. Non quaerebatur, an conceptus cauſae verus, vtilisque et ratione vniuerſae cognitionis phyſicae neceſſarius ſit, hoc enim

*) Nihiloſecius hanc ipſam philoſophiam euertentem *Humius* vocauit metaphyſicam, eiusque permagnum ſtatuit pretium. „Metaphyſica, inquit, et philoſophia moralis (*Eſſais* P. IV.) rami ſunt ſcientiae ſummi momenti; matheſis et phyſica haud dimidio aeſtimandae.“ Sed homo acutiſſimus duntaxat vtilitatem ſpectauit negatiuuam, quam moderatio iurium adauctorum rationis contemplatiuae allatura foret, ad tot infinitas vexantesque, quibus humanum genus confunditur, concertationes prorſus tollendas; ſed in ea re damnum poſitiuum e conſpectu miſit, quod inde exoritur, cum rationi proſpectus grauiſſimi demuntur, ex quibus ſolis ea poteſt libertatem ſummum finem omnium conatuum eius conſtituere.

Humius numquam in dubium vocauerat; verum an is per rationem cogitetur ex anticipatione, atque ita veritatem internam ab omni experientia liberam haberet, et proinde quoque, quae latius pateat, vtilitatem, non ad folas res experientiae fubiectas adftrictam: de quo quidem *Humius* exfpectabat fefe edoctum iri. Sermo erat duntaxat de origine huius conceptus, non vero de eius neceffitate in vfu: fi illa modo inuenta fuiffet, tum refpectu conditionum et vfus illius et compagis, in qua valere poffet, res fponte fuiffet confecta.

Sed aduerfariis viri celeberrimi, vt quaeftioni fatisfacerent, profundius in rationis naturam, quatenus in fola cogitatione pura verfatur, penetrandum fuiffet, quod ipfis incommodum videbatur. Verum commodiorem rationem excogitarant fine perfpicientia obftinate agendi, nempe prouocationem ad *intelligentiam communem*. Eft fane quidem permagnum munus diuinum, fi recta gaudeas intelligentia humana. Verum ea actionibus probanda eft, confiderato modo rationique confentaneo eorum, quae cogitantur et dicuntur, non vero eo, vt, fi nihil quidquam idonei ad te purgandum poffis proferre, ad illam, tamquam ad quoddam quafi oraculum, prouoces. Si perfpicientia fcientiaque haefitauerint, tum demum ad intelligentiam humanam prouocare, in inuentis eft recentiorum temporum fubtilibus, quo garrulus futiliffimus poteft cum fubtiliffimo ingenio congredi et fuftinere. Quamdiu autem paullo oppido refiduum eft perfpicientiae, cauebimus, ne ifto effugio vtamur. Iam, fi propius rem confideraueris, prouocatio ifta non nifi teftatio eft fententiae multitudinis; applaufus, qui ruborem incutit philofopho, de quo vero garrulus popularis triumphat ac fuperbit. Verum *Humium* exiftimauerim pari iure, ac *Beattium*, fa-

nam potuisse intelligentiam testari, praetereaque, quam hic non poterat, rationem criticam, quae intelligentiam communem coërcet, ne in contemplationes aberret, aut, si de his solis sermo sit, nihil cupiat decernere, quoniam nescit rationem reddere decretorum suorum; hac enim vna via sana manebit intelligentia. Caelo poteris et tude vti commode ad lignum fabrile elaborandum, sed si aeri velis incidere, acu rasoria opus habebis. Ita et sana intelligentia perinde, atque contemplatiua, vtraque, sed in suo quaeque genere, vti poteris: illa, si de iudiciis agetur, quae proxime possunt per experientiam adhiberi, hac vero, vbi in vniuersum debebit ex solis conceptibus iudicari, velut in metaphysica, vbi intelligentiae, se ipsam, sed saepenumero κατ' ἀντίφρασιν, sanam vocantis, nullum prorsus iudicium videtur.

Ingenue profiteor; monitum *Dauidis Humii* illud ipsum fuisse, quo multis abhinc annis primum mihi soporem dogmaticum sentirem interrumpi, measque inuestigationes in campo philosophiae contemplatiuae longe aliter dirigi. Longe aberam, vt ratione consectariorum ad eius sententiam accederem, quae inde duntaxat orta intelligerem, quod quaestionem non vniuersam cogitaret, sed tantummodo in partem illius incideret, quae nisi vniuersa sub rationem vocata fuerit, nihil quidquam poterit aperire. Si a vera cogitatione, quamuis tantum inchoata, ab alio nobis relicta proficiscamur, sane poterimus sperare, inuestigatione continuata longius nos progressuros fore, quam vir acutus posset, cui primam huiusce luminis scintillam debebamus.

Igitur primo tentaui, anne dubium *Humii* vniuerse posset cogitari, breuique sentiebam, conceptum colligationis caussarum et effectorum haud vnum esse, quo

intelligentia colligationes rerum ex anticipatione cogitando sibi informet, potiusque metaphysicam iis totam constare. Experiebar memet de numero illorum reddere certiorem, cumque hoc mihi ex animi sententia, nimirum ex vno principio, successisset, ad deductionem istorum conceptuum accessi, quos nunc persuasus eram, non, quod *Humius* verebatur, ab experientia deriuatos esse, sed ortos ex intelligentia pura. Atque haec deductio, quae acutissimo antecessori meo visa est non fieri posse, quaeque nemini praeter illum in mentem venerat, quamuis quisque fidenter vteretur hisce conceptibus, neque curaret, in quo valor eorum obiectiuus constitutus videretur, haec, inquam, deductio erat difficillimum, quod vmquam posset in gratiam metaphysices suscipi, quodque praeterea pessimum est ea in re, metaphysica, quantum illius vspiam exstet, ne minimo mihi quidem adiumento esse poterat, si quidem illa deductione possibilitas metaphysicae demum erit constituenda. Cum igitur in soluenda quaestione Humiana non solum in causa singulari, sed respectu vniuersae facultatis rationis purae, mihi successisset; certos poteram, quamuis tardos modo, passus facere, vt tandem vniuersam rationis purae compagem, et quoad terminos illius, et quoad materiam, plene et ad principia vniuersalia constituerem, quo ipso metaphysica indigebat, ad systema ad certam quamdam formam exstruendum.

Sed vereor, ne *explicationi* quaestionis Humianae, quoad eius fieri possit, maxime amplificandae (nempe criticae rationis purae) idem accidat, quod ipsa quaestio experta est, cum primum proponeretur. Erunt enim, qui praue de illa iudicent, quod eam haud intelligunt, qui eam non intelligant, quoniam librum peruoluere quidem cupiunt, non vero cogitando peruestigare; qui

denique hanc operam illi nolint impendere, propterea quod opus siccum est, quod obscurum, quod omnibus frequentatis conceptibus repugnat, praetereaque longum videtur. Ac mihi quidem maxime alienum videri, fateor ingenue, a philosopho querelas audire de popularitatis defectu, de facilitate et commoditate, cum de ipsa exsistentia agitur cognitionis celebratae generique humano necessariae, quae non potest nisi ad seuerissimas diligentiae scholasticae regulas absolui, quam progressu temporis et popularis oratio sequi poterit, numquam vero eam instituere. Quod autem certam quamdam obscuritatem attinet, partim ex amplitudine formae profectam, in qua capita inuestigationis haud ita facile possunt perspici; ea de re iusta querela est, cui his prolegomenis animus est mederi.

Opus illud, quod puram facultatem rationalem in toto eius ambitu ac terminis proponit, semper ea in re fundamentum manebit, quod haec prolegomena spectant quasi duntaxat prolusiones; illa enim critica qua scientia, necesse est, systematice atque in minimis partibus suis absoluta adesse, priusquam de ostendenda metaphysica cogitandum videtur, aut spes vel remotissima illius concipienda.

Iam ex longo quidem tempore sumus consueti, obsoletas detritasque cognitiones videre eo denuo refectas, vt iis, ex pristinis connexionibus exemtis, noua vestis systematica arbitratu ad peculiarem formam consuta, sed nouis insignita titulis, aptetur; quod ipsum et de critica illa maxima lectorum pars exspectabit. Verum haec prolegomena eo illos adducent, vt perspiciant, eam scientiam prorsus nouam esse, cuius nemo vmquam homo antea cogitationem concepisset, cuiusque ipsa sola idea ignota esset, et ad quam nihil quidquam eorum,

quae huc vsque data aderant, vti poſſet, praeter ſolum illum nutum, ab *Humii* dubio profectum, qui itidem nihil quidquam eiuscemodi ſcientiae verae, quae poſſet eſſe, praeſagiret, ſed nauem ſuam, quo eam ſeruaret, in arenis (ſcepticismo) collocaret, vbi iaceat et putreſcat, cum e contrario id agam, vt ei gubernatorem praeficiam,qui ex certis artis gubernandi principiis,ex notitia globi effectis, integra mappa marina inſtructus et pyxide nautica,quocumque velit, nauem certo ducere queat.

Qui ſcientiam aggreditur, prorſus ſolitariam in ſuoque genere vnam, opinione occaecatus praeiudicata, poſſe ſe illam ope notitiarum aliunde iam ſibi partarum diiudicare, quamuis illae ipſae ſint, de quarum veritate antea penitus debeat deſperari, is nihil efficiet, niſi vt ea vbique videre arbitretur, quae ſibi iam nota eſſent, quoniam fortaſſe vocabula ſimiliter ſonant, ita, vt omnia maxime deformata, alienaque et peregrina videantur, ſi quidem haud ſenſa auctoris, ſed ſuam propriam, ex longa conſuetudine inueteratam, cogitandi rationem conſtituat. Sed amplitudo operis, quatenus in ipſa ſcientia, non in oratione, poſita eſt, praeterea ieiunitas haud euitanda, et diligentia ſcholaſtica, in rebus ſunt, rei quidem ipſi perquam ſalutaribus, ſed ipſo libro ſane neceſſario inutilibus.

Non cuique quidem datum eſt, vt tam ſubtiliter ſcribat, et itidem tamen tam ſuauiter, quam *Dauides Humius*, aut tam docte, itemque tam eleganter, quam *Moſes Mendelii;* ſed popularitatem facile, opinor, orationi me potuiſſe impertire, ſi id ſolum curaſſem, vt formam libri deſcriberem, eiusque elaborationem aliis commendarem, mihique haud ſalus ſcientiae, in qua tam diuturnum tempus occupatus fueram, curae cordique fuiſſet; caeteroquin enim multum conſtantiae opus erat,

nec parum abnegationis fui, vt inuitamenta maturioris exceptionis benignae fpei poftponerem approbationis ferioris quidem, verum conftantis.

Formas librorum delineare faepenumero luxuriofa eft atque oftentans ingenii occupatio, qua fpeciem oftendimus ingenii ad noua creanda fecundi, dum, quae nos ipfi non poffumus praeftare, poftulamus, quaeque melius efficere haud poffumus, reprehendimus, et, quod ipfi, vbinam fit, ignoramus, inueftigandum commendamus quamquam delineandam vniuerfalis critices rationis formam bonam plus defideratum foret, quam fufpicere, nifi, vt fieri folet, in fola dinumeratione piorum defideriorum cerni debuiffet. Sed ratio pura in fphaera verfatur adeo folitaria, adeoque in fe ipfa perpetuo coniuncta, vt nulla pars eius tangi queat, nifi caeterae omnes tangantur, nihilque effici quidquam poffit, nifi fuo cuique loco conftituto, fuaque vi et contagione cum alia, fi quidem, cum nihil extra eam fit, quod fententiam noftram intus corrigat, cuiusque partis valor atque vfus ex adfectione pendet, qua ad caeteras in ipfa ratione tenetur, et, quemadmodum in articulatione corporis organici, finis cuiusque membri poteft, ex pleno totius conceptu deriuari. Inde eiusmodi criticam numquam certam effe dici poteft, nifi *tota*, atque ad minima rationis purae elementa fuerit *abfoluta*, ac de fphaera huiufce facultatis aut *omnia* debere, aut *nihil* ftatui et confici.

Quamuis autem fola forma, quae criticae rationis purae praemittatur, obfcura foret, incertaque atque inutilis, tamen ea vtilior eft, fi illam confequatur. Ea enim efficitur, vt totum queamus perluftrare, capita huiufce fcientiae particulatim explorare, orationemque fubinde melius efformare, quam prima operis elaboratione potuit fieri.

En hic *formam* eiusmodi, opere abſoluto, quae nunc ad *viam analyticam* licet inſtitui, cum *opus* ipſum neceſſario debuiſſet ex *ratione ſynthetica* conſcribi, vt ſcientia vniuerſas articulationes ſuas, velut conſtructionem articulorum ſingularis cuiuspiam cognoſcendi facultatis, in contextu naturali ſuo ſub adſpectum ſubiiciat. Qui hanc formam, quam inſtar prolegomenorum vnicuique praemitto futurae metaphyſicae, ipſam itidem obſcuram exiſtimat, is cogitet, haud ita neceſſe videri, vt quisque operam nauet metaphyſicae, multas eſſe dotes ingenii, ad doctas ipſasque profundas artes, propius ad viſionem accedentes, idoneas, ſed ad inueſtigationes ex meris conceptibus ſeparatis atque abſtractis parum aptas, et quemque proinde naturae dona ad rem aliam adhibere debere, ſed illum, qui metaphyſicam diiudicare conatur, vel adeo quamdam elaborare, iis, quae hic poſtulantur, neceſſario ſatisfacere oportere, ſiue eo fiat, vt meam ſolutionem accipiat, ſiue docte conuellat, aliamque in eius locum reponat — neque enim eam poterit repudiare — obſcuritatem denique tantopere diffamatam (quod ad tegendam commoditatem propriam hebetudinemque fieri ſolet) etiam vtilem eſſe: cum omnes, qui ratione aliarum artium cautum ſeruent ſilentium, in quaeſtionibus metaphyſices inſtar magiſtrorum edicant, audacterque decernant, quoniam ſane quidem ignorantia illorum hic ad alias artes haud diſtincte eminet conſpicienda, ſed ad vera decreta critica tamen, de quibus proinde laudari poterit:

Ignauum, fucos, pecus a praeſepibus arcent.

Virgil.

PROLEGOMENA.

PRAEMONITUM.

DE IIS, QUAE VNIVERSAE COGNITIONI METAPHYSICAE PROPRIA VIDENTUR.

§. 1.

DE FONTIBUS METAPHYSICES.

Si cognitionem velis quamdam qua *fcientiam* proponere, ea, quibus illa difcernitur, quaeque illi cum nulla alia communia intercedunt, et quae illi proinde *propria* fint, prius, neceffe eft, vt accurate queas conftituere; contra ea termini omnium artium inuicem mifcentur, nullaque illarum, fecundum naturam fuam, docte poterit tractari.

In hifce propriis, fiue illa difcrimine efficiantur *rei* illi *fubiectae*, fine *fontibus cognofcendi*, fiue etiam *cognitionis modi*, fiue nonnullis, nifi omnibus hifce partibus coniunctim, pofita primum eft idea fcientiae poffibilis et territorii illius.

Ac primo quidem, quod *fontes* attinet cognitionis metaphyficae, ex ipfo ipfius conceptu manifeftum eft, eos non poffe empiricos videri. Quocirca illius principia (quo non folum eius decreta, verum etiam conceptus primi referuntur,) numquam debebunt ex experientia hauriri: neque enim ea effe cognitio debet phyfica, fed metaphyfica, hoc eft, vltra experientiam fita. Ergo neque externa experientia, quae fons eft phyfices propriae, neque interna, quae fundamento eft pfychologiae empiricae, illi fuberit. Itaque illa in cognitione verfatur ex anticipatione, fiue ex intelligentia pura et ratione pura.

In quo quidem illa nulla re difcerneretur ab mathefi; proinde dici debebit *cognitio pura philofophica*; de fignificatione huiufce vocabuli adeunda eft critica rationis purae p. 473 feq. vbi difcrimen huiufce dupli-

cis vſus rationis plene ac perſpicue expoſui. — Haec de fontibus cognitionis metaphyſicae.

§. 2.

DE MODO COGNOSCENDI, QUI SOLUS DICI METAPHYSICUS POTEST.

a.

DE DISCRIMINE IUDICIORUM SYNTHETICORUM ET ANALYTICORUM VNIVERSE.

Cognitionem metaphyſicam, neceſſe eſt, in ſe continere mera iudicia ex anticipatione, id quod natura poſtulat fontium illius. Sed iudicia, vndecumque ſit, orta fuerint, aut quoad formam logicam vtcumque comparata, tamen eſt diſcrimen eorum aliquod ratione materiae, qua vel ſolum *illuſtrantia* ſunt, et ad materiam cognitionis nil quidquam conferunt, aut *amplificantia*, quae cognitionem datam augent; illa *analytica* iudicia poterunt, haec *ſynthetica* vocari.

Analytica iudicia nihil attributo enunciant, niſi quae in conceptu ſubiecti iam vere, quamuis haud tam clare, parique cum conſcientia, fuiſſent cogitata. Si dixerim: omnia corpora ſunt extenſa, eo nequaquam meum corporis conceptum amplificaſſem, ſed duntaxat diſſoluiſſem, propterea quod extenſio iam ante iudicium de illo conceptu, vt haud expreſſe enunciata, tamen reapſe cogitata erat; proinde iudicium eſt analyticum. Contra enunciatio: nonnulla corpora ſunt grauia, aliquid in attributo continet, quod in vniuerſali corporis conceptu reuera haud cogitatur; ea ergo auget cognitionem meam atque amplificat, ſi quidem ad conceptum meum aliquid addit, ideoque dici oportebit iudicium ſyntheticum.

b.

PRINCIPIUM OMNIUM IUDICIORUM ANALYTICORUM COMMUNE EST DECRETUM REPUGNANTIAE.

Omnia iudicia analytica posita sunt prorsus in decreto repugnantiae, naturaque cognitiones sunt ex anticipatione, siue, quibus materia eorum efficitur, conceptus empirici sint, siue non. Etenim idcirco, quod attributum iudicii analytici aientis iam ante in conceptu cogitatur subiecti, non potest de illo sine pugna negari, pariter eius contrarium in iudicio analytico, sed negante, necessario de subiecto negatur, idque itidem ad decretum repugnantiae. Sic comparatum est cum pronunciatis: quodque corpus est extensum, et nullum corpus non extensum (simplex) est.

Ob eam ipsam causam omnes enunciationes analyticae in iudiciis versantur ex anticipatione, ob quam conceptus eorum empirici videantur, veluti aurum est metallum flauum; namque vt hoc sciam, nulla opus est vlteriori experientia, praeterquam meo auri concepto, quo comprehensum erat, hoc corpus et flauum esse et metallum: hoc enim ipso conceptus meus efficiebatur, neque aliud mihi agendum fuit, nisi vt illum dissoluerem, ita, vt extra me nec quidquam aliud circumspicerem.

c.

IUDICIIS SYNTHETICIS ALIO OPUS EST PRINCIPIO, QUAM DECRETO REPUGNANTIAE.

Sunt iudicia synthetica ex aduentitio atque adsumto (a posteriori), quorum origo empirica videtur; sunt et alia, ex anticipatione certa, quae ab intelligentia pura et ratione proficiscuntur. Vtraque in eo autem conueniunt, vt numquam possint ad solum decretum analyseos, nimirum repugnantiae decretum, exsistere; lon-

ge aliud principium poſtulant, quamuis ea ex quoque decreto, quod illud cumque ſit, ſemper ſint, *decreto repugnantiae conuenienter* deriuanda: nihil enim aduerſari huic decreto licet, etſi haud fere omnia inde queant deriuari. Sed iudicia ſynthetica antea certo quodam ordine diſtributa proponam.

1) *Iudicia empirica* vsque quaque ſunt ſynthetica. Etenim abſurdum foret, iudicium analyticum in experientia conſtituere, cum tamen non opus ſit, vt e conceptu egrediar, quo iudicium pronunciem, proinde nullo prorſus experientiae teſtimonio indigeam. Corpus eſſe extenſum, enunciatio eſt, ex anticipatione fixa rataque, nullumque iudicium empiricum. Nam, antequam ad experientiam accedam, omnes iudicii mei conditiones iam in conceptu habeo, ex quo attributum poſſim modo ad decretum repugnantiae euoluere, eoque ſimul fieri conſcius queam *neceſſitatis* iudicii, quam ne quidem doctura memet foret experientia.

2) *Iudicia mathematica* vniuerſa ſunt ſynthetica. Haec ſententia obſeruationes analyticorum rationis humanae tota videtur huc vsque praeteriiſſe, quin vniverſis ſuſpicionibus eorum ipſa contraria eſſe, quamuis certiſſima ſit, et re explicata grauiſſima. Etenim quoniam, concluſiones mathematicorum vniuerſas ex decreto repugnantiae progredi, reperiebatur (id quod cuiusque certitudo apodictica poſtulat), nonnulli ſibi perſuadebant, etiam decreta ex decreto repugnantiae cognoſci debere, in quo quidem vehementer errarunt; ſane enim enunciatum ſyntheticum poteſt ex decreto repugnantiae perſpici, ſed ita modo, vt aliud pronunciatum ſyntheticum ponatur, ex quo poſſit illud elici, numquam vero per ſe ipſum.

Ac primo quidem notandum eſt: enunciata proprie mathematica ſemper eſſe iudicia ex anticipatione neque empirica, propterea quod iis ineſt neceſſitas, quae non poteſt ex vſu atque experientia intelligi. Quodſi hoc haud conceſſeris, age, ſententiam meam ad-

ſtringam ad *matheſin puram*, quorum conceptus iam ita fert, vt ea non cognitionem empiricam in ſe contineat, ſed modo puram ex anticipatione.

Prima quidem ſpecie cogitaueris: enunciationem $7 + 5 = 12$ duntaxat analytice pronunciari, ita, vt e conceptu ſummae ſeptenis effectae et quinis ad decretum repugnantiae eliciatur. Verum re explicata deprehendes, conceptum ſummae e ſeptenis et quiuis nihil quidquam amplius complecti, quam coniunctionem numeri vtriusque in vno, qua nullo prorſus modo, quinam vnus iſte numerus ſit vtrumque complectens, cogitatur. Conceptus duodenorum neutiquam iam eo cogitatus videtur, quo ſolam mihi coniunctionem illam ſeptenorum quinorumque cogitatione informem, et quousque conceptum eiuscemodi ſummae poſſibilis diſſoluerim qualique diſſecauerim, tamen nequaquam in ea duodena inuenis.m. Hoſce conceptus tranſgrediare neceſſe eſt, viſione in ſubſidium vocata, quae alterutri reſpondet, fere quinque digitos, aut (quod *Sagnerus* fecit in arithmetica) quinque puncta ſiue notas, atque ita pedetentim vnitates quinorum in viſione datorum ad ſeptenorum conceptum adiicias. Igitur reuera amplificatur conceptus hoc enunciato $7 + 5 = 12$, ad conceptumque priorem additur nouus, in illo nullo prorſus modo cogitatus, hoc eſt, enunciatio arithmetica ſemper ſynthetica eſt, id quod eo dilucidius intelligetur, quo maiores numeri ſumantur; tum enim aperte manifeſtum erit, nos, huc et illuc conceptum verſemus licet, niſi viſione adiutos, ex ſola noſtrorum conceptuum diſſolutione, numquam poſſe ſummam aperire.

Aeque minus vllum quodpiam decretum geometriae purae analyticum videtur. Lineam rectam duobus punctis interiectam eſſe breuiſſimam, ſynthetice pronunciatur. Namque conceptus meus recti nihil quidquam continet quantitatis, ſed tantummodo quamdam qualitatem. Quocirca conceptus breuiſſimi tota accedit, neque diſſecando poteſt e conceptu rectae lineae effici. Ergo viſionem hic, neceſſe eſt, in adiu-

mentum adhiberi, qua ſola interueniente poteſt ſyntheſis fieri.

Nonnulla alia, quae geometrae ſumunt, decreta reapſe quidem analytica ſunt, nitunturque effato repugnantiae, ea vero, vti enunciationes identicae, faciunt duntaxat ad catenam viae ac methodi, neque ex principiis, velut $a = a$, totum ſibimet ipſi aequale eſt, vel $(a + b) > a$, id eſt, totum qualibet parte ſua maius eſt. Quae tamen ipſa, quamuis ad ſolos conceptus valeant, in matheſi idcirco tantum admittuntur, quod poſſunt in viſione proponi. Sola vocabuli ambiguitate efficitur, vt plerumque credamus, attributum eiusmodi iudiciorum apodicticorum iamiam ineſſe in conceptu noſtro, iudiciumque proinde analyticum videri. Nimirum ad quemdam conceptum datum *debemus* certum quoddam attributum cogitando addere, eaque neceſſitas iam adhaeret conceptibus. Verum haud quaeritur, quid ad conceptum datum *adponere* cogitatione *debeamus*, ſed quid *reipſa* in iis, quamuis obſcure tantum, *cogitemus*, et tum planum eſt, attributum conceptibus illis neceſſario quidem adhaerere, verum haud proxime, ſed interuentu cuiusdam viſionis, quam oportebit accedere.

§. 3.

ANIMADVERSIO

AD DIVISIONEM IUDICIORUM VNIVERSALEM IN ANALYTICA ET SYNTHETICA.

Haec diuiſio ratione critices intelligentiae humanae maxime neceſſaria eſt, mereturque in ea *claſſica* videri; alioquin eam vſpiam alicubi magnam vtilitatem adferre, haud equidem ſciuerim. Atque in eo quidem cauſam video, cur philoſophi dogmatici, qui fontes metaphyſicorum iudiciorum ſemper modo in ipſa metaphyſica, non extra illam, in legibus puris rationalibus vniuerſe, quaererent, hanc diuiſionem, quae ſponte ſe videtur offerre, negligerent, et quamobrem celeberrimus *Wolfius*, aut, qui eius ve-

ſtigia preſſit, *Baumgartenius*, argumentum pro decreto rationis, quam dicunt, ſufficientis, manifeſto ſynthetico, quaerere poſſent in effato repugnantiae. Contra iamiam in *Lockii* tentaminibus de intelligentia humana nutum quemdam ad hancce diuiſionem inuenio. Etenim libro quarto, capite tertio §. 9. et ſequentibus, poſteaquam iam antea de varia repraeſentationum in iudiciis coniunctione eiusque fontibus diſputauerat, quorum vnum in identitate ponit, vel repugnantia (iudicia analytica), alterum autem in exſiſtentia repraeſentationum in quodam ſubiecto (iudicia ſynthetica), fatetur §. 10. cognitionem noſtram (ex anticipatione) huiuſce poſterioris admodum anguſtam eſſe, ac propemodum nullam. Verum in iis, quae de hac parte cognitionis dicit, tam parum certi ineſt atque ad regulas reuocati, vt haud mirum ſit, ſi nemo, praeſertim ne *Humius* quidem, anſam inde acciperet, de eiuscemodi pronunciatis ſecum deliberandi. Namque huiusmodi vniuerſalia, et tamen certa conſtitutaque principia non facile ab aliis, quorum animis obſcure ſunt obſeruata, discuntur. Propria, neceſſe eſt, meditatione ipſi antea in ea incidiſſe, tum et alibi ea inueniemus, vbi ſane illa primo haud offenderemus, propterea quod auctores ne ipſi quidem ſcirent, ſuis ipſorum obſeruationibus eiusmodi ideam fundamento ſubeſſe. Ii, qui numquam ipſi ſecum cogitant, tantum tamen acuminis habent, vt, quae ſibi monſtrata ſint, vniuerſa in iis, quae iam alias dicta ſint, expiſcentur, vbi tamen antea nemo homo illa poſſet videre.

PROLEGOMENORUM
QUAESTIO VNIVERSALIS:
POTESTNE OMNINO METAPHYSICA ESSE?

§. 4.

Si, quae qua ſcientia ſeſe poſſet tueri, metaphyſica vere exſtaret; ſi dici poſſet: en! hic metaphyſicam,

quam modo discatis, et vi vobis ea constanterque de veritate sua persuadebit; tum haec quaestio foret inutilis, et ea modo relinqueretur, quae magis explorationem aciei nostrae attineret, quam argumentum de ipsa rei exsistentia, nimirum, *qui ea esse possit*, et quemadmodum ratio se componat, vt ad illam pertinere videatur. Iam rationi humanae in hac causa haud tam bene successit. Nullus potest quispiam liber ostendi, velut ostendimus Euclidem, dicique, en metaphysicam! hic finem principem habetis huiusce scientiae, cognitionem naturae summae, mundique futuri, demonstratam principiis rationis purae. Nam possunt quidem multa nobis pronunciata ostendi, apodictice certa, quae numquam in controuersiam venerint; sed haec cuncta sunt analytica, magisque materias attingunt instrumentaque fabrilia metaphysices, quam cognitionis amplificationem, quae sola nobis esse in illa proposita debet (§. 2. litt. c.). Quamquam autem enunciata synthetica (velut decretum rationis sufficientis) ostenditis, quae numquam ex ratione sola, proinde, quod tamen vestrum erat, ex anticipatione vidistis, quae vobis nihilominus libenter concedimus: tamen, si ea ad finem vestrum principem adhibere velitis, tamen in sententias prolabimini tam alienas atque incertas, vt nullo non tempore metaphysica altera alteri aut ratione adsertionum ipsarum, aut argumentorum, repugnaret, eaque re spem duraturi applausus ipsa exstingueret. Atque etiam in conatibus, eiusmodi scientiae conficiendae, prima sine dubio causa inest scepticismi tam mature exorti, qui is est cogitandi modus, in quo tam violente erga se ipsam agit ratio, vt is non, nisi in tota desperatione de adsequendis finibus illius grauissimis, exsistere potuisset. Namque diu ante, quam natura inciperetur ad viam certam quaeri, suam quisque separatam rationem consuluit, communi experientia quodammodo iam exercitatam; quoniam ratio semper nobis praesto est, sed leges physicae plerumque operose sunt inuestigandae: atque ita, instar spumae, metaphysica innatauit, ita tamen, vt cum, velut quae hausta esset, liquesceret, alia conti-

nuo in ſuperficie emergeret, quam ſemper quidam cupide colligerent, in quo, quae cauſa eſſet huius phaenomeni, quaeri in profundo deberet, alii ſibi ſapere viderentur, ita, vt inanem illorum operam riderent.

Natura ſua cognitio pura *mathematica* ita eſt ab omni alia cognitione ex anticipatione diſtincta ac ſeparata, vt neutiquam efficiatur *ex conceptibus*, ſed ſola ſemper conceptuum conſtructione (critica rat. pur. pag. 473.). Quae igitur in enunciatis ſuis cum vltra conceptum egredi debeat ad ea, quibus, quae illi reſpondeat, viſio continetur; ſequitur, vt et enunciationes eius numquam diſſecandis conceptibus, id eſt, analytice, nec poſſint oriri, nec debeant, proinde cunctae ſunt ſyntheticae.

Verum non poſſum non noxam indicare, ex neglectu huiuſce obſeruationis, quae leuis videtur ac tenuis, philoſophiae contractam. *Humius*, cum munus ſentiret dignum philoſopho, nutus in vniuerſum campum figendi cognitionis purae ex anticipatione, in quo tantas mens humana ſibi poſſeſſiones arrogat, inconſulto, totam reſecuit prouinciam quamdam, eamque maxime principem, nempe matheſin puram, naturam eius, opinans, quaſique conſtitutionem ciuilem prorſus aliis niti principiis, nimirum ſolo repugnantiae decreto, et, quamquam diuiſionem enunciatorum nec tam diſtincte fecerat et vniuerſe, neque iis nominibus, vti hoc loco a me factum videtur, tamen perinde fuit, ac diceret: matheſis pura ſolas enunciationes *analyticas* in ſe continet, ſed metaphyſica ſyntheticas ex anticipatione. In quo quidem vehementer errauit, isque error in vniverſum eius conceptum vim noxiam exſeruit. Quod enim ſi haud factum eſſet, ſane quaeſtionem ſuam de origine iudiciorum noſtrorum ſyntheticorum longe vltra conceptum ſuum colligationis cauſarum metaphyſicum dilataſſet, eamque ad poſſibilitatem matheſeos extendiſſet ex anticipatione; haec enim pariter illis erant pro ſyntheticis accipienda. Tum autem enunciata metaphyſica ſua nullo modo potuiſſet in ſolam experien-

tiam conſtituere, ſi quidem alias et axiomata matheſeos purae itidem experientiae ſubieciſſet, quod fieri per eius perſpicaciam non poterat. Bono conſortio, cui tum adiuncta metaphyſica fuiſſet, ei a periculo cautum fuiſſet iniuriae; quae enim metaphyſicae intenderentur, plagae matheſin quoque tetigiſſent, quod vero noluit, nec velle potuit: atque ita homo acutiſſimus in inueſtigationes incidiſſet, ſimiles earum, in quibus nunc nosmet verſamur, quas autem genere ſcribendi ſuo longe elegantiſſimo permagnam vim accepturas fuiſſe, ſtatuendum videtur.

Iudicia *proprie metaphyſica* cuncta ſunt ſynthetica. Sed iudicia *ad metaphyſicam pertinentia* probe ſunt a *metaphyſicis* diſcernenda. Illorum multa ſunt analytica, quibus autem duntaxat adiumenta efficiuntur ad iudicia metaphyſica, quae finis ſola ſpectat ſcientiae, quaeque ſemper ſynthetica videntur. Etenim ſi conceptus pertinent ad metaphyſicam, veluti ſubſtantiae, et iudicia, ex ſola eorum diſſecatione oriunda, itidem neceſſario ad metaphyſicam pertinebunt, velut ſubſtantia cernitur in eo, quod exſtat qua ſubiectum, et ſic porro, atque ope plurium huiusmodi iudiciorum analyticorum propius conamur ad definitionem conceptuum accedere. Cum autem analyſis conceptus puri intelligentiae (cuiusmodi metaphyſica continet) non aliter fiat, ac diſſolutio cuiusque alius conceptus etiam empirici, ad metaphyſicam haud pertinentis (exempli gratia, aër cernitur in fluido quodam elaſtico, cuius per nullam, quam nos quidem nouimus, frigoris magnitudinem elaſticitas tollitur), conceptus quidem proprie efficitur metaphyſicus, non vero iudicium analyticum: huic enim ſcientiae peculiare quiddam eſt propriumque in gignendis notitiis ſuis ex anticipatione; quae proinde ab iis, quae ipſi ſunt cum aliis cognitionibus intelligentiae communia, diſcernenda eſt; ſic enunciatio: quodcumque in rebus ſubſtantia eſt, conſtans videtur, ſynthetica enunciatio eſt proprieque metaphyſica.

Quodfi conceptus ex anticipatione, quibus materia continetur metaphyfices inftrumentaque fabrilia, antea ex certis quibusdam principiis collegeris, analyfis horum conceptuum permagni pretii erit; eaque praeterea, tamquam feparata pars (inftar philofophiae definitiuae), poteft, quae meras enunciationes analyticas contineat ad metaphyficam pertinentes, ab vniuerfis pronunciatis fyntheticis, quibus ipfa efficiatur metaphyfica, fecreta proponi: namque fane analyfium nuspiam ita magna vtilitas eft, quam in metaphyfica, id eft, refpectu enunciatorum fyntheticorum, quae ex illis primum diffecatis conceptibus debent generari.

Haec igitur paragraphus eo redit denique: metaphyficae proprie propofitas effe enunciationes fyntheticas ex anticipatione, iisque folis finem illius conftitui, ad quem ea fane quidem permultae indigeat analyfeos conceptuum, proinde iudiciorum analyticorum, quae quidem haud aliter tractantur, quam quaeuis alia pars cognitionis, vbi conceptus per analyfin duntaxat diftincti fiunt ac dilucidi. Sed genefi cognitionis ex anticipatione, et quoad vifionem et quoad conceptus, tandem etiam enunciatorum fyntheticorum ex anticipatione, et quidem in cognitione philofophica, materia effentialis metaphyfices continetur.

Igitur nobis, taedio captis dogmatismi, nihil nos quidquam docentis, et fcepticismi, nihil nobis omnino pollicentis, ne ftatum quidem quietum licitae ignorantiae, grauitate cognitionis, qua nos indigemus, prouocati, diffidentesque ex longa experientia, ratione cuiusque, quam tenere arbitramur, notitiae, aut quae fub titulo rationis purae nobis fefe offert, adhuc quaeftio relinquitur metaphyfica, ad cuius refponfionem nosmet poterimus componere: *poteftne omnino metaphyfica fieri.* Verum ad hanc quaeftionem non refpondendum videtur ex dubiis fcepticis contra certas cuiuspiam, quae exftet, metaphyficae (iam enim nullam adhuc concedimus), verum e conceptu eiusccmodi fcientiae adhuc duntaxat *problematico.*

In *critica rationis purae* hanc quaeſtionem ſynthetice tractauimus, ita ſcilicet, vt in ipſa ratione pura anquireremus, in eoque fonte ipſo et elementa, et leges vſus puri illius ex principijs conſtituere conaremur. Hic labor eſt arduus, et lectorem poſtulat, qui pedetentim queat ſyſtema cogitatione complecti, quo nihil qua datum conſtituitur, praeter rationem ipſam, et proinde cognitionem cupit ex originariis germinibus eius explicari. Sed *prolegomena* contra eſſe proluſiones debent, magisque, quid faciendum, vt, quantum fieri poſſit, ſcientia efficiatur, indicare debent, quam eam ipſam proponere. Igitur ea, neceſſe eſt, fundamento quodam nitantur, quod iam vt certum cognoſcimus, vnde freti proficiſci poſſimus, atque ad fontes adſcendere nobis ignotos, quorumqne patefactione non ſolum ea, quae noſſemus, explicabuntur, ſed ſimul multarum cognitionum ambages, quae cunctae ex iisdem fontibus promanant, proponentur. Tractatio prolegomenorum methodica, eorum potiſſimum, quae viam ad futuram metaphyſicam monſtrare debent, proinde *analytica* videbitur

Sed forte fortuna obtingit, vt, etiamſi nequeamus ſumere, metaphyſicam qua ſcientiam vere *exſtare*, tamen freti poſſimus dicere, certas quasdam notitias puras ſyntheticas ex anticipatione vere exſtare datasque videri, nimirum *matheſin puram* et *puram phyſicam*; vtraque enim enunciationes continentur, quae partim apodictice certae ſunt ex ratione ſola, partim per concentum vniuerſalem ex vſu et experientia, nihilominus tamen tamquam ab experientia liberae perpetuo agnoſcuntur. Igitur quamdam, certe *indubitatam* cognitionem ſyntheticam ex anticipatione habemus, neque eſt, cur quaeramus, an ea eſſe queat (quippe quae reapſe exſtat), ſed tantummodo *quomodo poſſit eſſe*, vt ex principio poſſibilitatis cognitionis datae et caeterarum omnium queamus poſſibilitatem deriuare.

PROLEGOMENA.

QUAESTIO VNIVERSALIS,

QUOMODO COGNITIO EX RATIONE PURA POTEST ESSE?

§. 5.

Supra permagnum discrimen illud vidimus, quod iudiciis analyticis et fyntheticis intercedit. Poffibilitas enunciationum analyticarum facillime poterat comprehendi; ea enim pofita tantummodo eft in effato repugnantiae. Neque poffibilitas enunciatorum fyntheticorum ex aduentitio et, quod aiunt, a pofteriori, hoc eft, eorum, quae ex vfu hauriuntur et experientia, peculiaris cuiusdam videtur explicationis egere; fi quidem experientia ipfa non nifi copulatio (fynthefis) eft continua perceptionum. Quare nobis adhuc enunciationes relinquuntur fyntheticae ex anticipatione, cuius poffibilitas quaerenda vel exploranda videtur, quoniam aliis principiis, neceffe eft, quam repugnantiae decreto, nitatur.

Nec vero *poffibilitas* huiusmodi enunciationum hic demum quaerenda nobis eft, id eft, non interrogandum, an eae poffint effe. Namque illarum fatis funt, et quidem indubitato reuera datae, cum, quam nunc fequimur, methodus debeat analytica effe, hoc loco inde proficiscemur: eiusmodi fyntheticam, fed puram, cognitionem rationalem exftare; tum autem cauffa huiusce poffibilitatis nihilominus erit *inueftiganda*, quaerendumque, quomodo haec cognitio poffit effe, vt ex principiis poffibilitatis eius conditiones vfus queamus, ambitumque ac terminos illius conftituere. Propria cum cura fcholaftica expreffa, vnde cuncta pendent, quaeftio haec eft:

Quomodo enunciata fynthetica fieri poffunt ex anticipatione?

Hanc quaeftionem fupra, in gratiam popularitatis, aliter, tamquam quaeftionem cognitionis ex ratione pu-

ra, expreſſimus, quod in praeſentia, ſalua cognitione quaeſita, commode fieri poterat, quoniam, cum hoc loco duntaxat de metaphyſica agatur eiusque fontibus, ex iis, quae antea monuimus, lector, opinor, meminerit: ſi hoc loco de cognitione loquamur ex ratione pura, nunquam ſermonem eſſe de analytica, ſed ſynthetica.*)

Ab ſolutione huius quaeſtionis ergo pendebit, vtrum ſtet metaphyſica, an cadat, totaque proinde eius exſiſtentia inde prorſus pendere videtur. Adſertionibus in ea, quantum fieri poſſit, fucum impertias, conclufiones concluſionibus accumules, niſi antea ad illam potueris quaeſtionem idonee reſpondere, iure optimo dicere potero: vniuerſa vana ſunt et inanis philoſophia et ſapientia falſa. Per rationem puram loqueris, tibique arrogas quamdam quaſi creationem cognitionum ex anticipatione, propterea quod non ſolum conceptus datos diſſoluis, ſed nouas coniunctiones iactas, non in effato repugnantiae poſitas, quasque nihilominus ab omni experientia prorſus liberas perſpicere temet opinare; vnde tibi earum poſſeſſio venit, et quo tandem modo poteris tantae arrogantiae rationem reddere? Non poteſt concedi, vt rationem hominum teſteris communem;

*) Fieri non poteſt, vt caueamus, ne, ſi paullatim cognitio progrediatur, certa quaedam, iam vſu recepta vocabula, ab aetate ſcientiae puerili profecta, ſucceſſu temporis, haud idonea et male apta inueniantur, certumque nouum vſum et conuenientiorem cum priſco metuendum ſit iri confuſum. Methodus analytica, quatenus ſyntheticae contraria eſt, longe quiddam aliud eſt, quam complexus enunciationum analyticarum: illa quidem hanc vim habet, vt ab iis, quae quaeruntur, tamquam data ſint, proficiſcamur, ad conditionesque adſcendamus, quibus ſolis fit, vt eſſe queant. In hac via ſaepenumero ſolis vtimur enunciationibus ſyntheticis, vti exemplo eſt analyſis mathematica, potiusque dici poſſet methodus *regreſſiua*, vt ab ſynthetica ſiue *progreſſiua* diſcernatur. Praeterea vocabulum analytices etiam obuium eſt vt caput logices, tumque illa eſt logica veri, quae opponitur dialecticae, quamuis ibi haud proprie ſpectetur, vtrum cognitiones ad illam pertinentes analyticae ſint, an ſyntheticae.

quippe quae testis est, cuius auctoritas tantummodo in rumore publico nititur:

Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Horat.

Quam necessaria autem responsio est ad hanc quaestionem, tam difficilis ea tamen simul est, et, quamuis causa princeps, cur iam olim nemo conatus fuerit ad eam respondere, in eo cernatur, quod nullius vmquam animum subierit, posse eiusmodi quidpiam interrogari, tamen altera quaedam haec causa est, quod responsio idonea huiusce alterius quaestionis, intentiorem requirit, profundioremque et operosiorem inuestigationem, quam, quod vspiam exstitit, longissimum opus metaphysices, quod primum apparens auctori suo pollicere tur immortalitatem. Praeterea quisque lector prudens peritusque, cum hanc quaestionem, prout ea postulat, diligenter cogitando persequitur, initio difficultate perculsus, insolubilem, necesse est, et, si nulla reapse eiusmodi purae forent cognitiones syntheticae ex anticipatione, omnem omnino reputet esse non posse, quod *Dauidi Humio* reuera accidit, quamuis quaestionem non tam vniuerse proponeret, quam hoc loco proponitur et debet proponi, si responsione vniuersae metaphysicae causa conficienda videatur. Namque, qui fieri poterit, vir subtilissimus inquit, vt, si mihi conceptus datus fuerit, illum transire queam, aliumque cum eo coniungere, in illo nullo modo complexum, et ita quidem, ac si hic *necessario* ad illum pertineat? Sola nobis experientia potest eiusmodi coniunctiones ministrare (ita conclusit ex illa difficultate, quam impossibilitatem putauit), omnisque illa necessitas putatitia, siue, quod idem est, pro ea habita cognitio ex anticipatione, non nisi in consuetudine versatur diuturna, aliquid verum reputandi, ideoque necessitatem subiectiuam pro obiectiua habendi.

Quodsi lector de molestia queratur et labore, quam ei per solutionem huiusce quaestionis creabo, periculum modo faciat, vtrum ipse possit eam faciliore modo

ſoluere. Haud ſcio, an tum gratiam de ſe initam ab eo putauerit, qui laborem tam profundae indagationis ſuscepiſſet, potiusque facilitatem, quae pro re nata ſolutioni potuerit impertiri, aliquantum miretur, praeterea per ſeriem annorum laborauimus, vt hanc quaeſtionem in tota ſua vniuerſalitate (ſenſu illo, quo mathematici hac voce vtuntur, ſcilicet ad omnes cauſas idonee), ſolueremus, eamque tandem etiam in forma analytica, qua hic eam lector inueniet, proponere poſſemus.

Omnes igitur metaphyſici ſolemniter ac rite ſunt a laboribus ſuis ſuſpenſi, donec ad quaeſtionem: *qui cognitiones ſyntheticae ex anticipatione poſſint eſſe?* idonee reſponderint. Nam in hac reſponſione ſola continetur fides, quae exhibenda erit, ſi nomine rationis purae quidpiam agere nobiscum velint; qua ſi careant, exſpectabunt, a prudentibus, iam ſaepius deceptis, ſeſe reiectum iri.

Contra ſi negotia ſua non qua *ſcientiam*, ſed vt *artem* quamdam perſuaſionum ſalutarium communique intelligentiae conſentanearum, agere velint, iſtud negotium quidem eis non poteſt ex aequitate recuſari. Tum vero oratione vtentur modeſta fidei rationalis, fatebuntur, ſibi haud licitum eſſe, de iis, quae vltra ſunt terminos ſita vniuerſae, quae poteſt eſſe, experientiae, vel *opinari*, nedum quidpiam *ſcire*, ſed duntaxat aliquid (non in vſum contemplatiuum, a quo quidem iis ſe abdicandum erit, ſed tantummodo in practicum) *ſumere*, quae ad intelligentiam ducendam voluntatemque in vita et eſſe poſſunt, atque adeo neceſſaria videntur. Ita tantummodo laudem hominum frugi ſapientumque poterunt obtinere, idque eo magis, quo magis gloria ſe metaphyſicorum abdicauerint; erunt enim contemplantes philoſophi, cumque, ſi de iudiciis agatur ex anticipatione, non poſſit ratio haberi probabilium (quod enim ex anticipatione perhibetur cognoſci, eo ipſo pro neceſſario indicatur), non poteſt iis licere, vt opinioni-

bus ludant et coniecturis, sed sententia eorum, necesse est, scientiam esse, aut nihil quidquam omnino.

Vniuersa dici potest philosophia transscendentalis, vniuersae metaphysicae praegressa, ipsa nihil aliud esse, quam sola solutio plena quaestionis hoc loco propositae, sed ordine systematico copiosius pertractata, proinde huc vsque nullam esse philosophiam transscendentalem: quae enim hoc nomine insignitur, proprie pars est metaphysices; verum illa scientia possibilitatem huius posterioris debet demum efficere, proinde ante omnem metaphysicam antecedere. Quamobrem non mirum est, cum vniuersa, quamuis omni adiumento aliarum destituta, proinde per se prorsus noua opus sit scientia, vt vel ad vnam queat quaestionem idonee responderi, si solutio eius cum labore sit ac difficultate, atque adeo obscuritate aliqua coniuncta.

Dum ad hanc solutionem progredimur, idque ad analyticam viam, in qua, eiusmodi cognitiones ex ratione pura reuera exstare, sumimus: duas solum possumus partes scientiae cognitionis empiricae (de qua sola hoc loco nobis sermo est) testari, scilicet *mathesin puram* et *physicam puram*, quippe quae solae possunt res nobis in visione proponere, proinde, si forte quaedam in iis cognitio foret obuia ex anticipatione, veritatem, siue concentum illius cum re ei subiecta, in singulo, hoc est, eius exsistentiam ostendere, vnde tum ad caussam posset possibilitatis eius in via analytica progredi. Quo quidem admodum negotium leuatur, in quo inuestigationes generales non solum adhibentur ad facta, verum adeo ab iis proficiscuntur, cum in ratione synthetica prorsus in separato debeant atque abstracto ex conceptibus deriuari.

Vt autem ab his veris eisdemque fundatis cognitionibus puris ex anticipatione, ad possibilem, quam quaerimus, nimirum metaphysicam, qua scientiam, adscendamus, opus est, vt id, vnde emergit, quodque vt modo naturaliter oblata, quamuis per veritatem eius

haud fuſpicione libera, cognitio ex anticipatione illi fundamento eſt, cuius tractatione ſine omni inueſtigatione critica poſſibilitatis eius iamiam ſolet metaphyſica vocari, ad ſummam, naturae munus ad eiusmodi ſcientiam hac noſtra quaeſtione principe complectamur, atque ita princeps quaeſtio transſcendentalis in quatuor alias quaeſtiones diſpeſcetur, et ſubinde ad eas reſpondebitur.

1) *Qui fieri poteſt matheſis pura?*
2) *Qui fieri poteſt phyſica pura?*
3) *Qui metaphyſica omnino poteſt eſſe?*
4) *Qui metaphyſica poteſt qua ſcientia eſſe?*

Patet, etiamſi ſolutione harum quaeſtionum materiam critices eſſentialem debeas oſtendere, tamen eam etiam quiddam proprium ac peculiare habere, quod per ſe ſolum ſit dignum attentione, nempe vt ad datas ſcientiae partes fontes in ipſa ratione quaerantur, quo huiuſce facultatem aliquid ex anticipatione cognoſcendi, ope ipſius facti inueſtigemus ac dimetiamur; quo quidem hae ipſae partes ſcientiae, etiamſi non ratione materiae, tamen quoad verum vſum ipſarum proficiunt, et, eo quod altiori de communi earum origine quaeſtioni lucem adfundunt, ſimul anſam praebent ſuae ipſius naturae vberius illuſtrandae.

QUAESTIONIS PRINCIPIS TRANSSCENDENTALIS

PARS PRIMA.

QUI FIERI POTEST MATHESIS PURA?

§. 6.

Hic igitur magna eſt et probata cognitio, iam nunc mirae compagis, infinitamque in futurum amplificationem pollicens, quae quanta certitudinem apodicticam, id eſt, neceſſitatem abſolutam, in ſe cohibet, proinde nullis rationibus empiricis innititur, ergo purum rationis effectum eſt, praeterea vero tota ſynthetica vide-

tur; „qui per rationem humanam fieri poteſt, vt tota eiusmodi cognitio ex anticipatione conficiatur?“ Anne hac facultate, quae non experientia nititur, nec poteſt niti, vlla quaepiam cognoſcendi ratio ex anticipatione ponitur, profunde latens abdita, quae tamen hiſce effectis ſuis ſeſe manifeſtauerit, ſi modo prima illius initia diligentius inueſtigarentur?

§. 7.

Videmus autem, vniuerſam cognitionem mathematicam hoc proprium habere, vt conceptum ſuum ante *in viſione* debeat, et quidem ex anticipatione, proinde in ea proponere, quae haud ipſa ſit empirica, ſed viſio pura, alias ne vnum quidem poteſt paſſum facere; quocirca iudicia illius ſemper ſunt *intuitiua*, cum contra philoſophia in iudiciis adquieſcat *discurſiuis ex ſolis conceptibus*, ſuasque doctrinas apodicticas ſane quidem poſſit viſione illuſtrare, ſed inde numquam deriuare. Hac obſeruatione ratione naturae matheſeos ipſa iam ducimur ad conditionem primam atque ſupremam eius poſſibilitatis, nimirum vlla quaepiam *viſio pura* ei, neceſſe eſt, fundamento ſit, in qua omnes poſſit conceptus ſuos in ſingulo, et tamen ex anticipatione proponere, ſiue, quod dicunt, *conſtruere*.*) Quodſi hanc viſionem puram queamus, et eiuscemodi poſſibilitatem aperire, facile exinde perſpicuum fiet, quomodo enunciationes ſyntheticae ex anticipatione in matheſi pura, et proinde quoque haec ipſa ſcientia fieri poſſit; quemadmodum enim viſione empirica facile efficitur, vt, quem de re quadam viſioni ſubiecta formamus, conceptum noſtrum, nouis, quae viſio ipſa miniſtrat, attributis, in experientia ſynthetice amplificemus, ita hoc idem viſione pura efficietur, hoc tamen discrimine, vt in hac poſteriori cauſa iudicium ſyntheticum ex anticipatione certum ſit et apodicticum, in priori autem duntaxat ex aduentitio vſuque rerum atque empirice certum videatur, quoniam haec ſolum ea continet, quae in fortuita viſione empirica, neceſſe eſt, deprehendantur, illa autem ea,

*) Videatur critice rationis purae p. 493 ſeq.

quae in pura necessario reperiantur, propterea quod ea, qua visio ex anticipatione, *ante vniuersam experientiam* vel singularem perceptionem cum conceptu est arctissime coniuncta.

§. 8.

Verum difficultas videtur in hoc gressu magis augeri, quam decrescere. Nunc enim quaestio sic sonat: *qui fieri potest, vt aliquid ex anticipatione intueamur?* Visio est repraesentatio, qualis proxime ex praesentia rei sibi subiectae penderet. Proinde videtur fieri non posse, vt ex anticipatione *originarie* videamus, quia visio tum locum habere deberet, sine re nec antea, nec nunc praesenti, ad quam ea se referret, ideo non posset visio esse. Ea quidem conceptuum ratio est, vt quosdam, eos scilicet, quae solam rei obiectae cogitationem continent, commode queamus ex anticipatione formare, neque tamen proxime simus ad rem obiectam adfecti, velut conceptus quantitatis, causae, et similium, sed his ipsis, vt vim sensumque accipiant, certo quodam vsu opus est in singulo, id est, applicatione ad vllam quampiam visionem, qua res ei subiecta nobis proponatur. Verum qui *visio* potest obiectae rei rem ipsam obiectam antecedere?

§. 9.

Si ea esse visionis ratio deberet, vt res repraesentaret *ita*, *vt per se ipsae sunt*, nulla prorsus visio ex anticipatione locum haberet, sed semper foret empirica. Etenim quid in re in se ipsa contentum sit, tum solum scire potero, cum mihi praesens erit atque oblata. Ac sane tum quoque comprehendi non potest, quomodo visione rei praesenti fiat, vt eam cognoscam, ita, vti in se ipsa videtur, cum proprietates illius nequeant in facultatem repraesentandi meam transmigrare; sed fac, fieri posse, tamen eiusmodi visio haud ex anticipatione locum haberet, id est, priusquam res mihi proponeretur: nisi enim hoc sit, nulla poterit repraesentationis meae ad illam adfectae ratio excogitari, nisi ex inspira-

tione pendeat. Igitur vno duntaxat modo fieri poteſt; viſionem meam praecedere exſiſtentiae rei obiectae, atque qua cognitio ex anticipatione locum habere, *nimirum ſi nihil contineat aliud, quam formam facultatis ſenſitiuae, quae in ſubiecto meo omnes veras impreſſiones antecedit, quibus pellor a rebus ac moueor.* Res enim ſenſibus obnoxias ſoli huic formae conuenienter poſſe videri, ſcire poſſum ex anticipatione. Hinc ſequitur: enunciationes, hanc ſolam formam viſionis ſenſitiuae ſpectantes, fieri de rebus ſenſibus ſubiectis poſſe et valere, itemque viciſſim retro, viſiones, quae fieri ex anticipatione poſſint, numquam poſſe res alias, niſi ſenſibus noſtris obnoxias, attingere.

§. 10.

Ergo ſola forma viſionis ſenſitiuae ex anticipatione poſſum res videre, qua vero res tantummodo cognoſcimus, vti nobis (ſenſibus noſtris) poſſunt *videri*, non quomodo in ſe ipſae fuerint, quae quidem ſumtio abſolute neceſſaria eſt, ſi enunciationes ſyntheticas ex anticipatione eſſe poſſe concedendum ſit, aut, ſi vere inueniantur, eius poſſibilitas comprehendi debeat et in anteceſſum conſtitui.

Iam ſpatium tempusque in iis viſionibus verſantur, quas matheſis pura vniuerſis notitiis ſuis ac iudiciis, quae et apodictica ſimul et neceſſaria prodeunt, fundamento ponit; nam matheſin vniuerſos conceptus ſuos primo in viſione oportet, et matheſin puram in viſione pura proponere, id eſt, eos conſtruere, alias fieri non poteſt, vt gradum proficiat (ſi quidem ea haud analytice poteſt, nempe conceptibus diſſecandis, procedere, ſed ſynthetice), quam diu ei ſcilicet deſit viſio pura, in qua ſola poteſt materia iudiciorum ſyntheticorum ex anticipatione offerri. Geometria viſionem puram ſpatii conſtituit. Arithmetica ipſos numerorum conceptus ſuos additione vnitatum ſucceſſiua in tempore conficit, In primis autem mechanica pura conceptus motus ſuos ſola poteſt interueniente temporis repraeſentatione ef-

ficere. Sed ambae repraeſentationes in ſolis viſionibus verſantur; nam demto omni empirico, nempe quod ad ſenſationem pertinet, de viſionibus empiricis corporum eorumque mutationum (motus), ſpatium relinquitur et tempus, quae proinde viſiones purae ſunt, quae illis ex anticipatione fundamento ſubſunt, ideoque ipſa non poſſunt omitti, ſed eo ipſo, quod in viſionibus puris verſantur ex anticipatione, probant, ſe ſolas formas eſſe facultatis noſtrae ſenſitiuae, quas omnem viſionem empiricam, id eſt, rerum vere exſtantium perceptionem, neceſſe eſt, antecedere, quibusque conuenienter poſſunt cognoſci res ex anticipatione, ſed ſane modo ita, vti nobis videntur.

§. 11.

Igitur quaeſtio huiuſce ſectionis ſoluta eſt. Matheſis pura, qua cognitio ſynthetica ex anticipatione, eo poteſt fieri, vt ad nullas res alias, niſi ſenſibus ſubiectas, referatur, quarum viſioni empiricae viſio pura (ſpatii temporisque) et quidem ex anticipatione fundamento ſit, et propterea fundamento eſſe queat, quoniam haec non niſi in ſola forma facultatis ſenſitiuae cernitur, verum rerum obiectarum phaenomenon antecedente, propterea quod ea, illud reapſe vt eſſe queat, efficitur. Sed tamen haec facultas, ex anticipatione videndi, non materiam phaenomeni attingit, hoc eſt, id, quod in ea ſenſatio eſt, quippe qua efficitur empiricum, ſed tantum formam illius, ſpatium tempusque. Quodſi dubitaueris, vtrumque non eſſe in determinationibus rerum in ſe ipſis, ſed tantummodo adfectioni earum ad facultatem ſenſitiuam adhaerentibus, ſcire auerem, qui fieri poſſe credas, vt ex anticipatione, et proinde ante vniuerſam rerum notitiam, quippe priusquam nobis illae fuerint oblatae, ſcias, quomodo earum viſio eſſe debeat comparata, quod hoc loco accidit in ſpatio ac tempore. Verum hoc facile poterit comprehendi, ſimulatque vtrumque non valeat, niſi qua conditiones formales facultatis noſtrae ſenſitiuae, ſed res obiectae qua phaenomena, tum enim forma phaeno-

meni, id eſt, viſio pura, ſane poteſt e nobis ipſis, id eſt, ex anticipatione, repraeſentari.

§. 12.

Illuſtrandi confirmandique cauſa, conſueta abſoluteque neceſſaria geometrarum ratio conſideretur. Vniverſa argumenta pro aequalitate tota figurarum duarum datarum (cum vna ex omni parte poteſt in alterius locum collocari) eo denique redeunt, vt ſe inuicem tegant; quod manifeſto nihil aliud eſt, niſi enunciatum ſyntheticum, in proxima viſione poſitum, eaque viſio pura offeratur atque ex anticipatione, neceſſe eſt, alioquin enim enunciatum iſtud non apodictice certum poſſet valere, ſed certitudinem haberet duntaxat empiricam. Diceretur tantummodo: ita ſemper animaduertitur, illudque valet modo, quousque perceptio noſtra pertinuit. Spatium abſolutum (quod ipſum non in termino verſatur alius cuiuspiam ſpatii) tres habere dimenſiones, ſpatiumque vniuerſe non plures poſſe habere, in enunciatione conſtituitur, non plures tribus in puncto lineas poſſe rectangulate ſecari; ſed haec pronunciatio nullo modo poteſt e conceptibus euinci, ſed proxime poſita eſt in viſione, eaque pura ex anticipatione, propterea quod apodictice certa eſt; eo quod poſtulari poteſt, lineam duci in indefinitum debere, ſeriemue mutationum (velut ſpatia motu percurſa) in indefinitum continuari, repraeſentatio ſpatii temporisque ponitur, quae ſoli poteſt viſioni adhaerere, nimirum quatenus in ſe nulla re circumſcripta eſt ac finita; neque enim e conceptibus vnquam poſſet concludi. Ergo matheſi reapſe fundamento ſunt viſiones purae ex anticipatione, quibus efficitur, vt enunciationes eius ſynthetice vique apodictica cogentes eſſe queant, atque inde deductione noſtra transſcendentali conceptuum in ſpatio ac tempore ſimul poſſibilitas explicatur matheſeos purae, quae ſine eiusmodi deductione, nec ſumto, omnia, quae ſenſibus noſtris poſſint offerri (externis in ſpatio, internis in tempore), a nobis duntaxat conſpici,

vti nobis videantur, minime vti in ſe ipſa ſint, concedi quidem poſſet, ſed nullo modo perſpici.

§. 13.

Ii, qui nondum ſe poſſunt a cogitatione abdicare, quaſi ſpatium tempusque verae proprietates ſint, quae rebus in ſe ipſis inhaereant, aciem ingenii poterunt in παραδόξῳ ſequenti acuere, cuiusque cum ſolutionem fruſtra tentarint, ad quosdam certe temporis articulos ab opinionibus praeiudicatis liberi, ſuſpicari, ſpatium fortaſſe tempusque ad ſolas formas viſionis noſtrae ſenſitivae iure reuocari.

Si res duae in vniuerſis partibus, quae in quaque per ſe cumque poſſint cognoſci (in omnibus, quae ad quantitatem qualitatemque pertinent, determinationibus), prorſus ſimiles ſint, cogitur, vt altera in omnibus cauſis et adfectionibus queat alterius in locum collocari, ita, vt ea commutatione ne minimum quidem, quod animaduerti poſſit, diſcrimen efficiatur. Ac ſane quidem ita, quoque comparatum eſt cum figuris planis geometrarum; verum eam variarum ſphaericarum, quamvis prorſus interne conueniant, rationem externam videmus, vt altera alterius nequeat in locum conſtitui, exempli gratia, duo triangula ſphaerica, ab vtraque hemiſphaera, arcum aequatoris habentia baſin communem, eſſe prorſus aequalia poſſunt, cum ratione laterum, tum angulorum, ita, vt in nullo, ſi ſolum ſimulque plenum deſcribatur, quidquam deprehendatur, quod haud idem in deſcriptione alterius inſit, nihilominus alterum non poteſt in locum alterius (nempe in hemiſphaerio contrario) locari, in quo quidem diuerſitas eſt duorum triangulorum, quam nulla intelligentia poteſt internam indicare, quaeque ſola adfectione in ſpatio externa ſeſe manifeſtat. Sed frequentiores caſus adferam, quae poſſunt e vita communi depromi.

Quid tandem manus auris ue meae maiorem habere ſimilitudinem poterit, omnique ex parte aequaliorem, imagine earum in ſpeculo? Neque tamen eiusmodi ma-

num possum, quae in speculo conspicitur, in locum ponere eius prototypi; cum enim haec manus dextra erat, illa in speculo est sinistra, rectaeque auris imago sinistra est, quae numquam poterit locum prioris tueri. Iam hic nulla sunt discrimina interna, quae vlla queat quaepiam mens cogitare; et tamen discrimina sunt intus, quantum sensus docent, namque manus sinistra non potest cum dextra, quamuis altera alterius simillima sit, iisdem terminis includi (non possunt congruere), chirotheca alteri manu apta alteri non poterit adplicari. Ecquae tandem solutio erit? Hae res haud fere repraesentationes sunt rerum, vti in se ipsae sunt, vtque eas intelligentia pura cognosceret, sed visiones sunt sensitiuae, id est, phaenomena, quorum possibilitas in adfectione posita est, certarum quarumdam rerum per se ignotarum ad aliud quid, scilicet facultatem nostram sensitiuam. Cuius quidem spatium in forma cernitur visionis externae, internaque cuiusque spatii determinatio sola determinatione adfectionis externae ad spatium vniuersum, cuius illud pars est (adfectionem ad sensum externum), id est, pars duntaxat esse per totum potest, id quod in rebus per se ipsis, vtpote subiectis soli intelligentiae, numquam, sed in meris phaenomenis, locum habet. Quocirca etiam discrimen rerum similium atque aequalium, sed incongruentium (veluti cochlearum praue tortilium), ne vllo quidem conceptu possumus explicare, sed sola adfectione ad dextram sinistramque manum, quae proxime spectat visionem.

ANIMADVERSIO I.

Mathesi purae, ac nominatim purae geometriae, hac lege sola potest esse realitas obiectiua, vt tantummodo ad res referatur sensibus obnoxias, quarum vero respectu decretum fixum est ratumque: nostram repraesentationem sensitiuam nequaquam repraesentationem esse rerum per se ipsarum, sed solius modi, quo nobis videntur. Ex quo sequitur, enunciationes geometriae haud fere determinationes esse solius cuiuspiam

fetus fingentis phantasiae nostrae, ideoque haud certo posse ad res veras referri, sed necessario illas de spatio valere, atque idcirco etiam de cunctis, quae poterunt in spatio deprehendi, si quidem spatium nihil aliud est, quam forma omnium phaenomenorum externorum, qua sola possint res sensibus proponi. Facultas sensitiua, cuius formam geometria fundamento ponit, id est, in quo posita est possibilitas visorum externorum, quae proinde numquam possunt quidquam continere aliud, quam quae ipsi ab geometria praecipiuntur. Quod multo secus foret, si sensibus res obiectae, vti per se ipsae sunt, deberent proponi. Tum enim ex repraesentatione spatii, quae fundamento subest geometriae ex anticipatione cum variis eiusdem proprietatibus, neutiquam sequeretur, ea omnia, vna cum iis, quae exinde efficiuntur, sic se in natura rerum habere oportere. Spatium geometrae in mero figmento poneres, nullumque illi valorem obiectiuum tribueres; propterea quod neutiquam perspicimus, quomodo res necessario debeant, quam de nobismet ipsis, atque in antecessum de iis formamus, imagini conuenire. Quod si autem haec imago, vel potius haec visio formalis, essentialis proprietas est facultatis nostrae sensitiuae, cuius solius ope res nobis offeruntur, haec autem facultas sensitiua haud res repraesentet per se ipsas, sed sola earum visa siue phaenomena, facile comprehendi potest, simulque euidentissime probatum est, vniuersas res externas mundi nostri sensibilis necessario oportere cum enunciatis geometriae ad vnguem consentire, quoniam facultas sensitiua per formam suam visi externi (spatium), in qua geometra versatur, efficit, vt illae res, qua mera phaenomena, esse demum possint. Vsque quaque euentum erit historiae philosophicae notatu dignissimum, tempus aliquando fuisse, cum ipsi mathematici, iidemque philosophi, non quidem de veritate enunciationum geometricarum suarum, quatenus solum spatium attinerent, verum de valore obiectiuo vsuque huiusce conceptus ipso omniumque geometricarum adfectionum illius ad naturam inciperent dubitare, metuentes, ne in rerum natura linea pun-

ſtisphy ſicis conſtet, proinde verum ſpatium in re obiecta partibus ſimplicibus efficiatur, quamuis, quod geometra mente agitat, ſpatium, nullo modo ex iis queat conſiſtere. Non intellexerunt, hocce ſpatio effici in cogitatione, vt eſſe phyſicum poſſit, id eſt, ipſam materiae extenſionem; hac nullam prorſus rationem rerum per ſe ipſarum eſſe, ſed modo formam facultatis repraeſentandi noſtrae ſenſitiuae; omnes obiectas res in ſpatio ſola phaenomena eſſe, id eſt, haud res per ſe ipſas, ſed repraeſentationes viſionis noſtrae ſenſitiuae, cumque ſpatium, vti geometra cogitatione ſibi informat, forma ſit viſionis ſenſitiuae, quam ex anticipatione in nobis deprehendimus, quaeque rationem in ſe cohibet poſſibilitatis omnium externorum phaenomenorum (quoad eorum formam), haec neceſſario debent atque exacte cum enunciatis geometrae, quae non ex conceptu ficto, ſed ſubiectiuo omnium externorum phaenomenorum fundamento, nempe ipſa facultate ſenſitiua, efficit, conuenire. Atque ita tantummodo geometrae poterit contra omnes artes tenuiores metaphyſices, de indubitata realitate obiectiua enunciationum prouideri, vtcumque eae huic videantur alienae, neceſſe ſit, cum haud ad fontes conceptuum ſuorum regrediatur.

ANIMADVERSIO II.

Quidquid, qua res obiecta, nobis debet proponi, neceſſe eſt, nobis in viſione offerri. Omnis noſtra viſio fit ſola ope ſenſuum; intelligentia nil quidquam videt, ſed conſiderat modo et cogitat ac reflectit. Cum autem ſenſus, quod hactenus vicimus, nobis numquam, neque in vlla parte quapiam, res nobis oſtendant cognoſcendas per ſe ipſas, ſed ſola illarum phaenomena, quae vero in meris verſentur repraeſentationibus facultatis ſenſitiuae, „et vniuerſa corpora, neceſſe eſt, vna cum ſpatio, in quo inſunt, nil niſi ſolas repraeſentationes intus in nobis habeantur, nuſpiamque ea exſtant, quam in ſola noſtra cogitatione.“ Anne hoc manifeſtus idealiſmus videtur?

Idealismus consistit in adsertione, nullas alias naturas esse praeterquam cogitantes, caeteras res, quas in visione putemus percipere, solas esse repraesentationes in naturis cogitantibus, quibus reapse nulla, quae extra illas sit, res respondeat. Contra ego quidem dico: datae nobis oblataeque res sunt, tamquam res extra nos sensibus nostris obuiae, sed quales in se ipsae sint, nescimus, solaque earum phaenomena cognoscimus, hoc est, repraesentationes, quas sensus nostros pellentes in nobis efficiunt. Quamobrem sane equidem fateor, extra nos corpora esse, hoc est, res, quas, licet pro eo, atque per se ipsae sint, nobis prorsus ignotas, repraesentationibus nouimus, quas nobis vis illarum in facultate sensitiua nostra largitur, quibus nomen indimus corporis, quod verbum proinde solum phaenomenon declarat illius ignotae nobis, sed nihilominus exstantis rei. Poteritne istud idealismus appellari? Ipsum potius illius contrarium videtur.

Salua vera rerum externarum exsistentia de vi eorum, quae iis attributa sunt, dici posse: ea non ad hasce res per se ipsas pertinere, sed solum ad earum phaenomena, eaque extra repraesentationem nostram nullam propriam exsistentiam habere, diu iam ante *Lockii* tempora, maxime autem post, vniuerse creditum est et concessum. Quo refertur calor, color, sapor, et alia generis eiusdem. Me autem praeterea, grauissimis de causis, reliquas corporum qualitates, quas *primarias* dicunt, extensionem, locum, omninoque spatium, vna cum vniuersis, quae illi adhaerent (rationem imperuiam, siue, quam vocant, impenetrabilitatem, figuram et caetera de genere eodem), etiam ad sola phaenomena numerare, eius quidem rei minime poterit inconuenientia doceri, et quemadmodum is, qui colores perhibet non proprietates esse rei per se ipsius, sed tantum visus sensui velut mutationes adhaerentes, propterea non poterit idealistis accenseri; ita etiam haec doctrina mea non poterit idealistica dici, propterea quod inuenerim, plures praeterea, quin *omnes proprietates*, *quibus corporis*

visio efficitur, tantummodo ad eius phaenomenon pertinere; namque exsistentia rei, quae videtur, ea re haud tollitur, velut in vero idealismo, sed duntaxat ostenditur, eam nos non posse, qualis in se sit, sensibus vllo modo cognoscere.

Scire auerem, qualis sententiarum mearum esse ratio debeat, ne idealismum complectantur. Sine dubio dicere deberem: repraesentationes spatii non solum, quae nostrae facultati sensitiuae ad res est obiectas, adfectioni exacte consentaneas esse, hoc enim dixi, sed eas rei obiectae adeo prorsus similes esse; cum qua quidem sententia nullum possum sensum coniungere, aeque minus ac si sensatio rubri dicatur similis esse qualitati cinnabaris, sensationem istam in me excitantis.

ANIMADVERSIO III.

Ex quo facile praeuidendum, sed inane, dubium commode potest reiici: scilicet „idealitate spatii temporisque vniuersum mundum sensibilem in meram speciem mutatum iri." Posteaquam nimirum primum omnis perspicientia philosophica de natura cognitionis sensitiuae eo fuerat corrupta, quod facultas sensitiua solum in parte repraesentationum confusa poneretur, qua res cognosceremus etiamnum ita, vti sint, sed facultate careremus, omnia in hac repraesentatione nostra ad claram conscientiam vocandi: contra a nobis probatum est, facultatem sensitiuam haud versari in hocce discrimine logico, claritatis obscuritatisue, sed in ratione genetica ipsius originis cognitionis, cum cognitio sensitiva res nullo modo ita, vti sunt, ostendat, sed solum modum, quo sensus nostri illis mouentur et adficiuntur, proinde iis sola phaenomena, non res ipsae, intelligentiae ad considerandum proponantur: facta hac circumscriptione necessaria, dubium oritur ex calumnia quadam fere haud ignoscenda ac propemodum de industria facta oriundum, ac si doctrina mea vniuersae res in mundo sensibili in meram speciem commutentur.

Si nobis propofitum eft phaenomenon, prorfus nobis liberum erit, quomodo rem inde velimus diiudicare. Illud, nimirum phaenomenon, pofitum erat in fenfibus, haec diiudicatio vero in intelligentia, et quaeritur modo, vtrum in determinatione obiectae rei veritas infit, nec ne. Discrimen autem veritatem inter et fomnium non qualitate repraefentationum, quae ad res obiectas referuntur, conftituitur, quippe quae in vtroque eaedem funt, fed coniunctione earum ex regulis, quae contextum repraefentationum conftituunt in conceptu rei cuiuspiam obiectae, et quatenus in experientia effe coniunctae poffunt aut minus. Et tum haud phaenomena in culpa funt, fi cognitio noftra fpeciem capiat pro veritate, id eft, fi vifio, qua nobis res quaedam proponitur, pro conceptu habeatur rei obiectae, vel etiam exfiftentiae illius, quam intelligentia poteft duntaxat cogitare. Curfum ftellarum vagarum fenfus nobis modo rectigradum, modo retrogradum oftendunt, in eoque nec falfi quidquam ineft, nec veri, quoniam, quamdiu, hoc folum phaenomenon effe, cogitemus, de obiectiua motus illarum natura nondum quidquam decernimus. Quoniam autem, fi intelligentia haud ita curet, cauere, ne hicce fubiectiuus repraefentandi modus pro obiectiuo reputetur, facile poteft iudicium falfum oriri, idcirco dicimus: videntur retrogredi; verum fpecies haud culpae tribuitur fenfuum, fed intelligentiae, cuius folius eft, ex phaenomeno iudicium ferre obiectiuum.

Hoc modo, etiamfi nequaquam originem noftrarum repraefentationum cogitando perfequeremur, noftraque fenfuum vifione, quae illa cumque contineant, in fpatio ac tempore ad regulas in experientia quadam coniungamus contextus vniuerfae cognitionis: poterit pro eo, atque incauti prudentesue fuerimus, fpecies fallax vel veritas exfiftere; quod folum fpectat vfum repraefentationum fenfitiuarum in intelligentia, non vero earum originem. Itemque, fi vniuerfas repraefentationes fenfuum cum forma illarum, fpatio nimirum

ac tempore, non nisi phaenomena habeam, et haec phaenomena pro sola forma capiam facultatis sensitivae, quae extra hanc neutiquam in rebus deprehendatur, iisdemque repraesentationibus vtar respectu, quae potest esse, experientiae, in eo ne minima quidem erroris ansa, speciesue continetur, quod eas pro solis phaenomenis accipiam; namque nihilominus possunt ex regulis veri in experientia recte cohaerere. Sic omnes geometriae enunciationes de spatio pariter valent de vniuersis rebus sensibus obnoxiis, proinde ratione omnis, quae potest esse, experientiae, siue pro sola forma facultatis sensitiuae spatium acceperim, siue pro eo, quod rebus ipsis inhaereat; quamquam ad solam rationem priorem potest comprehendi, qui fieri queat, vt illas enunciationes de rebus vniuersis, quae cadunt sub visionem externam, ex anticipatione sciamus; caeterum ratione vniuersae, cuius esse copia poterit, experientiae cuncta manent ita, vti forent, si a communi sententia hac in re haud discessissem.

Contra si cum conceptibus meis spatii temporisque audeam vniuersam, quae fieri potest, experientiam transire, quod vitari non poterit, si ea qualitates perhibeam rebus per se ipsis adhaerentes (quid enim impediat, quo minus ea de iisdem rebus valere adferam, siue sensus mei aliter constituti fuerint, iisque conueniant, siue non?), tum error potest grauissimus oriri, in specie quadam positus, cum id, quod sola fuit conditio videndarum rerum, meo adhaerens subiecto, certoque ad res omnes valuit subiectas sensibus, proinde ad vniversam, cuius fieri copia poterit, experientiam, pro communi vendebam, propterea quod ea ad res per se ipsas referrem, non vero ad conditiones adstringerem experientiae.

Igitur tantum abest, vt, quae de idealitate spatii temporisque disputaui, iis vniuersus mundus sensibilis in meram speciem mutetur, vt potius iis solis possit cognitionum longe grauissimarum, earum scilicet, quas mathesis proponit ex anticipatione, vsus ad veras res

obiectas confirmari, et, ne pro sola specie habeantur, caueri, si quidem sine hac animaduersione fieri prorsus non potest, vt decernamus, anne, quas ab nulla experientia mutuamus, quaeque nihilominus in nostris repraesentationibus ex anticipatione insunt, spatii temporisque visiones in meris vmbris versentur ab nostro ipsorum ingenio profectis, quibus nulla omnino res, certe haud exacte, respondeat, ideoque geometria ipsa in sola specie cernatur, cum contra valor illius indubitatus ratione rerum omnium in mundo sensibili, ob eam ipsam causam, quoniam hic solis visis siue phaenomenis continetur, a nobis potuerit euinci.

Deinde vero tantum etiam abest, vt hisce principiis meis, propterea quod iis repraesentationes sensuum statuantur phaenomena, experientiae veritas in solam speciem mutetur, vt potius iis solis efficiatur, vt speciem transscendentalem vitemus, qua vsquequaque illusa fuit metaphysica, eoque ipso ad pueriles conatus deducta, bullas captandi saponarias, quoniam phaenomena, quae tamen in solis repraesentationibus versantur, pro rebus per se ipsis accepta sunt, vnde omnia ista spectacula antinomiae rationis purae exstitere, cuius infra mentionem faciam, quaeque vna illa animaduersione tollitur: phaenomenon, donec in experientia adhibeatur, veritatem gignere, sed simulatque vltra eius terminos progrediatur fiatque transscendens, nil praeter solam speciem generare.

Cum ergo rebus, quas nobis sensibus famulis repraesentamus, veritatem suam tribuam, nostramque tantum visionem sensitiuam earum rerum ita circumscribam, vt in nulla prorsus parte, ne visione pura quidem spatii et temporis, quidquam amplius ostendant, praeter solum illarum rerum phaenomenon, numquam vero qualitatem earum per se ipsarum, hoc nulla est naturae a me adficta species perpetua, meaque contra omnem idealismi culpam intercessio tam dilucida est atque perspicua, vt adeo superuacanea videretur, nisi iudices inuenirentur iniqui, qui, propterea quod cuique a per-

versa sua, quamuis communi, sententia sententiae abhorrenti vetustum quoddam libenter vellent nomen tribuere, et numquam de vi virtuteque nominum philosophicorum iudicarent, sed in sola litera haererent, parati forent, suam ipsorum opinionem in locum reponere conceptuum bene determinatorum, eoque hos contorquere ac deformare. Etenim, quod ipse huic theoriae meae nomen idealismi transscendentalis indiderim, inde nullum cuipiam ius potest accedere, eius cum idealismo empirico Cartesii permutandi (qui quamquam solum quaestio fuit, cuius de ratione insolubili cuique, ex mente Cartesii, liberum erat, exsistentiam mundi corporei negare, quoniam numquam posset ad eam idonee responderi), aut cum mystico et fanatico *Berkleii* confundendi (contra quae aliaque his similia ingeniorum portenta critica nostra proprium in se remedium continet). Ea enim a me sic dicta idealismi ratio non opus habet rerum exsistentia (cuius vero dubitatio proprie idealismum efficit recepta significatione vocatum), neque enim vmquam mihi in mentem venit de illa dubitare, sed solummodo de repraesentatione sensitiua rerum, quo spatium tempusque principi loco pertinent, ac de his, proinde de omnibus omnino phaenomenis duntaxat ostendi, ea non in rebus versari (sed solis repraesentationum partibus), neque in determinationibus, quae rebus inhaereant per se ipsis Vocabulo transscendentale autem, cui numquam vim tribuo adfectionis cognitionis nostrae ad res, sed tantum ad *facultatem cognoscendi*, ab hac calumnia debebat caueri. Ne autem et in posterum isti calumniae locus esse possit, malo vocabulum istud abrogari, dicique idealismus criticus. Quodsi autem reapse, qui iure damnetur, idealismus sit, res veras (non phaenomena) in solas repraesentationes mutari, quo tandem nomine illum notabimus, quo vice versa solae repraesentationes in res conuertuntur? Quem quidem posse, opinor, idealismum *somniantem* vocari, qui discernatur ab illo, quem dixerim *delirantem*, qui ambo idealismo meo, quem transscendentalem dixeram, nunc melius *criticum* voco, debuerunt arceri.

QUAESTIONIS PRINCIPALIS TRANSSCENDENTALIS

PARS SECUNDA.

QUI FIERI POTEST PHYSICA PURA?

§. 14.

Natura cernitur in *exſiſtentia* rerum, quatenus ea eſt ex legibus vniuerſalibus determinata. Quodſi natura exſiſtentiam denotaret rerum *per ſe ipſarum*, eas nos numquam, neque ex anticipatione, neque ex aduentitio atque adſumto, cognoſcere poſſemus. Non ex anticipatione, vnde enim ſciamus, quid rebus competat per ſe ipſis, cum iſtud numquam fieri poſſit conceptibus noſtris diſſecandis (enunciatis analyticis), ſi quidem ſcire nolim, quae in conceptu rei cuiuspiam meo inſint (quippe quod ad eſſentiam eius logicam pertinet), ſed quid in exſiſtentia rei ad huncce conceptum accedat, et quo res ipſa ſit in exſiſtentia ſua extra conceptum meum determinata. Intelligentia mea, conditionesque, quibus ea ſolis poteſt determinationes rerum in earum exſiſtentia coniungere, nullas rebus ipſis regulas praecipit; haec non ſe ad intelligentiam meam accommodant, ſed intelligentia mea deberet ad eas ſeſe componere; ergo eas, neceſſe foret, antea mihi datas eſſe, vt haſce determinationes ex iis intelligerem, tum autem haud forent cognitae ex anticipatione.

Etiam ex aduentitio vſuque fieri non poſſet eiusmodi cognitio naturae rerum. Etenim ſi experientia debeat *leges*, quibus exſiſtentia rerum ſubeſt, me docere, has, quatenus res attingant per ſe ipſas, neceſſe foret, iis etiam experientiam meam neceſſario competere. Atque experientia docet me quidem, quod ſit, et quomodo ſit, numquam autem, illud neceſſario ſic, nec aliter, eſſe oportere. Ergo ea numquam poteſt naturam rerum per ſe ipſarum docere.

§. 15.

Iam nihilominus reuera possessione gaudemus physicae purae, quae ex anticipatione et cum vniuersa illa necessitate, quae ad enunciationes apodicticas requiritur, leges, quibus subsit natura, proponit. Hoc loco illam duntaxat testari sufficiat physices propaedeuticam, quae titulo inscripta physices vniuersalis, cuique (in principiis empiricis constitutae) physicae solet praemitti. In ea inuenimus mathesin, adhibitam ad phaenomena, etiam decreta mere discursiua (ex conceptibus), quibus pars philosophica efficitur cognitionis naturalis purae. At multa tamen etiam in ea insunt, quae non omnino pura sunt, neque a fontibus empiricis libera: velut conceptus *motus*, rationis *imperuiae* (qua conceptus materiae empiricus nititur), *inertiae*, et caetera de genere eodem, quae impediunt, quominus tota queat physica pura vocari; praeterea illa modo res attingit sensibus externis subiectas, proinde ea haud exemplo est physicae vniuersali proprie sic dictae, naturam enim vniuerse debet legibus vniuersalibus subiicere, siue rem attineat externis sensibus obnoxiam, siue sensui interno (rem et physicae subiectam et psychologiae). In decretis autem illius physices vniuersalis nonnulla insunt, quibus reuera inest, quam postulamus, vniuersalitas, veluti decretum: *substantiam manere* et constare, *omnia*, quae fiant, *semper fieri per caussam*, et quae sunt similia. Haec vere sunt leges naturae vniuersales, quae prorsus consistunt ex anticipatione. Ergo sane est physica pura, et iam quaeritur: *qui poterit ea fieri.*

§. 16.

Aliam insuper significationem accipit vocabulum *naturae*, quae scilicet *rem* ei *propositam* constituit, cum superiori sensu solam *conuenientiam legalem* determinationum exsistentiae rerum vniuerse denotasset. Natura igitur materialiter spectata in *complexu* versatur *rerum omnium experientiae subiectarum*. De hac hoc loco agimus, cum praeterea res, quae numquam possunt subii-

ci experientiae, si secundum naturam suam deberent cognosci, ad conceptus nos cogerent, quorum vis atque potestas numquam in singulo (vllo quopiam exemplo possibilis experientiae) posset offerri, cuiusque de natura merae nobis cogitationes informandae forent, quarum realitas, id est, vtrum reuera res obiectas attingant, aut in solis entibus rationis versentur, nullo modo posset diiudicari. Quod haud subiectum esse experientiae potest, eius cognitio foret hyperphysica, de qua hoc loco non agitur, sed de cognitione physica, cuius realitas per experientiam potest confirmari, quamvis ex anticipatione fieri queat, omnemque vsum experientiamque antecedat.

§. 17.

Quamobrem *formale* naturae hoc sensu angustiori cernitur in conuenientia legali rerum omnium experientiae obnoxiarum, et, quatenus ex anticipatione cognoscitur, *necessaria* conuenientia legali. Sed modo docuimus: leges physicas in rebus, quatenus haud cum experientia possibili comparatae, verum quae res per se ipsae considerentur, numquam posse ex anticipatione cognosci. Nec vero hoc loco de rebus per se ipsis sermo est (quarum proprietates in medio relinquimus), sed tantummodo de rebus, experientiae possibili obviis, earumque complexum proprie hoc loco *naturam* appellamus. Ac nunc quidem quaero, vtrum, si de possibilitate cognitionis physicae ex anticipatione sermo sit, melius videatur, ita quaeri: qui fieri potest, vt necessaria conuenientia legalis *rerum*, qua experientiae obnoxiarum, ex anticipatione queat cognosci, an sic: qui potest fieri, vt necessaria conuenientia legalis ipsius *experientiae* respectu eorum omnium omnino, quae illi subiecta sunt, ex anticipatione cognoscatur?

Si rem propius contemplaueris, quaestionis solutio, siue hoc siue illo modo proponatur, ratione purae cognitionis physicae (in qua proprie cardo quaestionis vertitur) tota eodem redibit. Namque leges subiecti-

vae, quibus folis efficitur, vt cognitio rerum empirica ef-
fe poffit, de his quoque rebus valent, tamquam expe-
rientiae, quae poffit effe, fubiectis (fed fane quidem
haudquaquam de iis, qua rebus per fe ipfis, quae hoc
loco neutiquam cadunt fub contemplationem). Vnum
prorfus idemque erit, vtrum dicam: fine hac lege, vt,
quod percipitur, euentum femper ad id referatur, quod
antecedit, quod ex regula vniuerfali fequatur, num-
quam poteft iudicium perceptiuum ad experientiam va-
lere; an ita eloquar: vniuerfa, quae experientia docet
euenire, caufam habeant, neceffe eft.

Interim tamen conuenientius feceris, fi formulam
eligas priorem. Cum enim ex anticipatione quidem, et
antequam vlla res oblata fit, cognitionem poffimus con-
ditionum earum habere, quibus folis fit, vt refpectu ea-
rum experientia effe queat, numquam vero, quibus il-
lae legibus, per fe ipfae ad experientiam poffibilem
haud adiunctae, fubiectae videantur, naturam rerum ex
anticipatione haud aliter poterimus inueftigare, nifi vt
conditiones, legesque (quamquam fubiectiuas) vniuer-
fales indagemus, quibus folis efficitur, vt, cuiusmodi
experientia eft (quoad folam formam), cognitio fieri
queat, ad easque poffibilitatem rerum, qua experientiae
propofitarum, conftituamus; etenim fi pofteriori for-
mula vterer, conditionesque quaererem ex anticipatio-
ne, quibus, quatenus *fub experientiam cadit*, natura ef-
fe queat, facile poffem in errorem incurrere, atque opi-
nari, mihi de natura dicendum effe, qua re per fe ipfa,
tumque fruftra conatibus circumagerer infinitis, leges
anquirendi rerum, quarum mihi neutiquam quidquam
videtur oblatum.

Igitur hoc loco tantummodo in experientia condi-
tionibusque vniuerfalibus atque ex anticipatione datis
poffibilitatis illius verfabimur, indeque naturam, vtpo-
te vniuerfam rem experientiae, quae poffit effe, fubie-
ctam, conftituemus. Opinor, intelligi: me hoc loco
non regulas intelligere *obferuandae* naturae cuiuspiam,
iam datae atque oblatae, quae iamiam experientiam po-

nunt, proinde non, quomodo (per experientiam) possimus ex natura leges discere, quippe quae tum haud leges forent ex anticipatione, nullamque physicam suppeditarent puram, verum quomodo conditiones ex anticipatione possibilitatis experientiae simul fontes sint, e quibus vniuersae sunt physicae leges deriuandae.

§. 18.

Primo igitur nobis animaduertendum erit, etiamsi vniuersa experientiae iudicia empirica sint, hoc est, causam habeant in proxima sensuum perceptione, tamen haud vice versa cuncta iudicia empirica propterea iudicia experientiae esse, verum, praeter empiricum, omninoque praeter id, quod visioni sensitiuae propositum est, peculiares conceptus accedere oportere, quorum origo tota sit ex anticipatione in intelligentia pura, ad quosque quaeque perceptio demum adsumitur, tumque eadem interueniente possit in experientiam conuerti.

Iudicia empirica, *quatenus valorem obiectiuum habent*, *iudicia* sunt *experientiae;* quae vero duntaxat *subiectiue valent*, ea sola *iudicia perceptiua* voco. Haec posteriora nullo indigent conceptu puro intelligentiae, sed sola coniunctione logica perceptionis in subiecto cogitante. Sed priora illa, praeter repraesentationes visionis sensitiuae, semper postulant *conceptus* peculiares *in intelligentia originarie genitos*, quibus ipsis efficitur, vt iudicium experientiae *obiectiue valeat.*

Vniuersa iudicia nostra primo sunt sola iudicia perceptiua, valentque ad nos solos, id est, ad subiectum nostrum, et modo postea nouam illi adfectionem tribuimus, ad rem quampiam, cupimusque, eam et ad nos semper itidemque ad vnumquemque debere valere; cum enim iudicium quoddam cum re quapiam conuenit, tum vniuersa de eadem re iudicia, necesse est, et in se inuicem conuenire, atque ita valor obiectiuus iudicii experientiae non nisi in necessario illius valore ad vniuersa spectante. Verum etiam vice versa, si causa erit

cur iudicium quoddam necessario ad vniuersa valens putemus (quod numquam in perceptione positum est, sed in solo conceptu puro intelligentiae, ad quem adsumta est perceptio), etiam obiectiuum putemus, necesse est, hoc est, illo non solam adfectionem perceptionis ad quoddam subiectum enunciari, sed quamdam rei obiectae qualitatem; si quidem non esset, cur aliorum iudicia necessario conuenire debeant cum meis, nisi vnitas foret rei obiectae, quam spectant vniuersa, cum qua conueniunt, et proinde quoque omnia, necesse est, inuicem conuenire.

§. 19.

Quamobrem valor obiectiuus, et valor necessario spectans vniuersa (cuilibet), in conceptibus sunt reciprocis, et, quamuis obiectam rem per se ipsam haud norimus, tamen, si iudicium quoddam spectemus pro eo, quod ad vniuersa pertineat, ideoque necessarium sit, eo ipso valor obiectiuus intelligitur. Hoc iudicio cognoscimus rem obiectam (quae vt, qualis per se ipsa sit, nobis ignota maneret) coniunctione necessaria et ad vniversos valente perceptionis propositae, cumque hoc in rebus cunctis experientiae obnoxiis locum habeat, iudicia experientiae valorem obiectiuum non a proxima rei obiectae cognitione (quippe quae non potest esse), sed a sola conditione valoris vniuersalis iudiciorum empiricorum, mutuabuntur, qui, vti ostendimus, numquam in conditionibus empiricis, atque etiam omnino sensibilibus positus est, sed in conceptu puro quodam intelligentiae. Res obiecta per se ipsa semper ignota manet; sin autem conceptu intelligentiae coniunctio repraesentationum illius, facultati nostrae sensitiuae oblatarum, tamquam quae ad vniuersa valeat, constituatur, res obiecta hac adfectione constituitur, iudiciumque erit obiectiuum.

Quae quidem illustrabimus: conclaue calere, saccharum dulce esse, absinthiumque acerbum, *) iudicia

*) Lubenter fateor, hisce exemplis haud ea iudicia perceptiua ostendi, quae vmquam fieri possint iudicia experientiae,

ſunt, quae ſolum ſubiectiue valent. Minime poſtulo, ſemper memet, aliumue quemque ita prorſus, ac me, debere inuenire, eiusmodi iudicia adfectionem enunciant duarum ſenſationum ad idem ſubiectum, nempe me ipſum, idque tantummodo in praeſenti ſtatu meo perceptionis, nec proinde debent de re obiecta valere; cuius modi iudicia dico perceptiua. Longe alia ratio eſt iudiciorum experientiae. Quae experientia certis me temporibus docet, ea et memet ſemper et vnumquemque doceat, neceſſe eſt, eiusque valor non ſolum ad ſubiectum,* ſtatumque, qui tum fuit, adſtringitur. Quamobrem omnia eiusmodi iudicia, vt quae obiectiue valeant, pronuncio, velut ſi dicam, aër eſt elaſticus, hoc iudicium proxime ſolum perceptiuum eſt, duas ſenſationes in ſenſibus meis vnam ad alteram inuicem refero. Quodſi iſtud velim iudicium experientiae vocari, poſtulo, vt haec coniunctio conditioni ſubſit cuipiam, qua efficiatur, vt ea vniuerſe valeat. Volo igitur, me ſemper, et quemque etiam oportere eamdem perceptionem iisdem temporibus neceſſario coniungere.

§. 20.

Quocirca vniuerſe nobis diſſecanda experientia erit, vt, quae in hocce ſenſuum atque intelligentiae effecto contineatur; et quomodo ipſum experientiae iudicium fieri poſſit, videamus. Fundamento eſt viſio, cuius mihimet conſcius ſum, id eſt, perceptio, quae ſolum pertinet ad ſenſus. Sed deinde quoque eo referenda eſt iudicatio (quae ſoli competit intelligentiae). Haec iudicatio fieri dupliciter poteſt: primo ſolis per-

etiamſi addatur conceptus intelligentiae, quoniam ſolum attingunt tactum, quem quisque agnoſcit vt duntaxat ſubiectiuum, quique proinde numquam debet obiectae rei tribui, ideoque numquam fieri obiectiua poſſunt; volui tantum in praeſentia exemplum quoddam iudicii adferre, quod modo ſubiectiue valeat, nullamque cauſam in ſe contineat valoris vniuerſalis neceſſarii, eoque adfectionis ad rem obiectam. Exemplum iudiciorum perceptiuorum, quae adiecto conceptu intelligentiae iudicia experientiae fiunt, proxima animaduerſione ſequetur.

ceptionibus comparandis, in conſcientiaque mei ſtatus coniungendis, aut deinde, iis in conſcientia vniuerſe copulandis. Iudicium prius ſolum eſt iudicium perceptiuum, atque eatenus tantum valorem ſubiectiuum habet, eſt duntaxat coniunctio perceptionum in ſtatu animi mei, ſine adfectione ad rem obiectam. Quamobrem neutiquam, vti plerumque opinamur, ad experientiam ſufficit, vt perceptiones comparentur, in conſcientiaque iudicando coniungantur; vnde quidem nullus valor vniuerſalis exſiſtit ac neceſſitas iudicii, ob quam ſolam poteſt obiectiue valere atque experientia eſſe.

Igitur iudicium longe aliud praecedit, antequam ex perceptione fieri experientia poſſit. Viſio oblata adſumenda eſt ad conceptum, quo forma iudicandi vniverſe ratione viſionis conſtituatur, conſcientia empirica huiuſce viſionis in conſcientia vniuerſe coniungatur, eoque iudiciis empiricis vniuerſalis valor impertiatur; eiusmodi conceptus eſt conceptus purus intelligentiae ex anticipatione, quo nihil efficitur, quam vt viſioni duntaxat vniuerſe conſtituatur modus, quo poſſit iudiciis inſeruire. Eiusmodi conceptum fac eſſe conceptum cauſſae, is viſionem conſtituet, ad ſe adſumtam, veluti aëris ratione iudicationis vniuerſe, nempe conceptum aëris ratione expanſionis in ratione antecedentis ad conſeqnens ſeruire in iudicio hypothetico. Itaque conceptus cauſae eſt conceptus purus intelligentiae, ab omni, cuius eſſe copia poterit, perceptione prorſus diuerſus, ſolumque hunc vſum habet, vt eo repraeſentatio, quam in ſe continet, ratione iudicationis in vniverſum conſtituatur, proinde, vt fieri iudicium poſſit, quod vniuerſe valeat, efficiatur.

Iam, antequam ex iudicio perceptiuo fieri iudicium experientiae poſſit, primo poſtulatur: vt perceptio ad eiusmodi conceptum intelligentiae adſumatur; velut aër ſubeſt conceptui cauſarum, quo iudicium de illo ratione expanſionis hypothetice conſtituitur. *) Ea re au-

*) Vt exemplum ponatur facilius perſpiciendum, hoc vtamur. Si ſol lapidem adfulget, lapis incaleſcit. Hoc iudicium ſolum eſt iudicium perceptiuum, nullamque in ſe neceſſita-

tem haec expanſio, vt tantum ad perceptionem meam aëris in ſtatu meo, aut in pluribus ſtatibus meis, ſed vtpote ad id *neceſſario* pertinens repraeſentatur, et hoc iudicium, aër eſt elaſticus, valorem accipit vniuerſalem, eoque demum iudicium fit experientiae, quod certa quaedam iudicia antecedunt, quae viſionem aëris ad conceptum cauſae adſumunt atque effecti, eoque perceptiones non ſolum in ſe inuicem in ſubiecto meo comparatas, ſed ratione formae iudicationis vniuerſae (hoc loco hypotheticae) conſtituunt, atque ita iudicio empirico impertiunt valorem vniuerſalem.

Quodſi cuncta noſtra iudicia ſynthetica, quatenus obiectiue valent, diſſecauerimus, inueniemus, numquam ea ex ſolis viſis conſtare, comparatione duntaxat, vt plerumque creditur, in iudicio coniunctis, ſed fieri nullo modo poſſe, niſi ad conceptus a viſione ſeparatos etiam conceptus purus intelligentiae acceſſiſſet, ad quem illi conceptus adſumti ſint, atque ita demum in iudicio coniuncti, quod obiectiue valeat. Ipſa matheſeos purae iudicia in axiomatibus ſimpliciſſimis ab hac conditione haud libera videntur. Decretum illud: linea recta duabus notis interiecta breuiſſima eſt, illud, inquam, decretum ſumit, lineam ad conceptum quantitatis adſumi, qui profecto non in ſola viſione verſatur, ſed duntaxat in intelligentia ſedem habet, et hunc vſum habet, vt viſionem (lineae) ratione iudiciorum, quae ferri ab ea potuerint, et ratione quantitatis eorum, nimirum multitudinis (vt iudicia pluratiua) *) conſti-

tem cohibet, quoties illud cumque a me aliisque perceptum fuerit; perceptiones duntaxat ſolent ſic coniunctae deprehendi. Sin vero dicam: ſol lapidem *calefacit*, tum ad perceptionem inſuper accedit conceptus intellectualis cauſae, qui cum conceptu fulgoris ſolaris conceptum caloris *neceſſario* copulat, iudiciumque ſyntheticum neceſſario accipit valorem vniuerſalem, proinde obiectiue atque ex perceptione commutatur in experientiam.

*) Sic dicta malim iudicia, quae in logica dicuntur particularia. Namque hoc vocabulum poſterius cogitationem conti-

tuant, propterea quod iis intelligitur, in visione data quadam ac proposita multa inesse similia.

§. 21.

Vt igitur possibilitatem experientiae, quatenus ea in conceptibus puris intelligentiae ex anticipatione posita est, ostendamus, primo, quae vniuerse requiruntur ad iudicandum, variaque in iudiciis momenta intelligentiae, in tabula plena quadam proponenda videntur; namque conceptus puri intelligentiae, quod nihil sunt quidquam amplius, quam visionum conceptus in vniversum, quatenus hi respectu vnius alteriusue horum momentorum ad iudicia per se ipsi, proinde necessario sunt, atque ita, vt vniuerse valeant, constituta, iis exacte erunt aequalia. Quo quidem et decreta ex anticipatione possibilitatis vniuersae experientiae, tamquam, quae obiectiue valeat, cognitionis empiricae, accurate definientur. Illa enim non nisi enunciata sunt, quae omnem perceptionem (certis quibusdam conditionibus visionis vniuersalibus) ad illos conceptus puros intelligentiae adsumunt.

net, ea non esse vniuersalia. Si autem ab vnitate (in iudicio singulari) proficiscar, atque ita ad vniuersitatem pergam, nondum vllam adfectionem possum ad vniuersitatem admiscere: modo multitudinem cogito sine vniuersitate, non ab ea exceptionem. Hoc necessarium est, si momenta logica debeant conceptibus puris intelligentiae subiici; in vsu logico recepta potest consuetudo seruari.

TABULA LOGICA IUDICIORUM.

1.

quoad quantitatem
vniuerſalia
particularia, ſiue potius pluratiua
ſingularia.

2.

quoad qualitatem
aientia
negantia
infinita.

3.

quoad relationem
categorica
hypothetica
disiunctiua.

4.

quoad modalitatem
problematica
adſertoria,
apodictica.

TABULA TRANSSCENDENTALIS CONCEPTUUM INTELLIGENTIAE.

1.

quoad quantitatem
vnitas (menſura)
multitudo (quantitas)
vniuerſitas (totum).

2.

quoad qualitatem
realitas
negatio
limitatio.

3.

quoad relationem
ſubſtantia
cauſa
commercium.

4.

quoad modalitatem
poſſibilitas
exſiſtentia
neceſſitas.

TABULA PSYCHOLOGICA PURA DECRETORUM VNIVERSALIUM PHYSICES.

1.
Axiomata
visionis.

2.
Anticipationes
perceptionis.

3.
Analogiae
experientiae.

4.
Postulata
cogitationis empiricae
in
vniuersum.

§. 22.

Vt, quae hactenus disputauimus, summatim comprehendamus, ante omnia lectorem, oportebit, moneri: hoc loco non esse sermonem de experientiae origine, sed de eo, quod in ea inesse videatur. Illa psychologiam attingit empiricam, et vel in ea numquam posset rite explicari sine hoc, quod ad criticam cognitionis inprimisque pertinet intelligentiae.

Experientia e visionibus constat, propriis facultati sensitiuae, et e iudiciis, quae opus sunt solius intelligentiae. Ea vero iudicia, quae intelligentia efficit e solis visionibus sensitiuis, permultum abest, vt iudicia sint experientiae. Namque in priori causa iudicium tantummodo perceptiones coniungeret, ita, vti in visione sensitiua oblatae sunt, sed in hac posteriori causa iudicia enunciare debent, quae experientia vniuersa, proinde non, quae sola perceptio, contineat, cuius quippe valor duntaxat subiectiuus videtur. • Igitur iudicium experientiae, necesse est, ad visionem sensitivam logicamque illius coniunctionem (ex comparatione

factam vniuersalem) in iudicio quodam aliquid addere, quod iudicio synthetico, tamquam quod necessario eoque vniuerse valeat, constituatur, id quod nihil esse aliud poterit, quam ille conceptus, qui visionem respectu cuiuspiam formae iudicii multo magis, quam alter, vtpote in se constitutam, repraesentat, quae in conceptu versatur illius vnitatis visionum syntheticae, quae tantummodo data quadam iudiciorum functione logica potest repraesentari.

§. 22.

Quorum omnium summa haec est: sensuum est, videre et intueri; intelligentiae, moueri et cogitare. Cogitare autem est repraesentationes in conscientia coniungere. Haec coniunctio aut relatiue tantum ad subiectum oritur, et fortuita est ac subiectiua, aut absolute locum habet, estque necessaria atque obiectiua. Coniunctio repraesentationum in vna et indiuidua conscientia est iudicium. Ergo cogitare idem erit, ac iudicare, siue repraesentationes referre ad iudicia vniuerse. Quocirca iudicia aut tantum subiectiua sunt, cum repraesentationes ad conscientiam in subiecto quodam solae referuntur, in eaque copulantur, aut obiectiva sunt, si in vna conscientia vniuerse, id est, in ea necessario copulantur. Momenta logica omnium iudiciorum totidem sunt modi possibiles repraesentationum in vna conscientia coniungendarum. Cum ea autem munere funguntur conceptuum, tum ea in conceptibus versantur coniunctionis eorum *necessariae* in vna conscientia, proinde in principiis iudiciorum, quae obiectiue valeant. Haec coniunctio in vna atque indiuidua conscientia rursus vel analytica est, per identitatem, aut synthetica, per compositionem et accessionem variarum ad se inuicem repraesentationum. Experientia cernitur in coniunctione phaenomenorum (perceptionum) synthetica in vna conscientia, quatenus ea est necessaria. Quamobrem conceptus puri intelligentiae erunt, ad quos omnes perceptiones sunt adsumendae, antequam possint iudiciis experientiae inseruire, in quibus

vnitas perceptionum fynthetica tamquam neceffaria, quaeque vniuerfe valeat, repraefentatur. *)

§. 23.

Iudicia, quatenus folummodo vt conditio confiderantur repraefentationum datarum in vna confcientia coniungendarum, funt regulae. Hae regulae, quatenus coniunctionem oftendunt vt neceffariam, regulae funt ex anticipatione, et quatenus nullae iis, a quibus poffint deriuari, inueniantur altiores, decreta videntur fiue principia. Cum autem ratione poffibilitatis vniuerfae experientiae, fi fola cogitationis forma in ea fpectetur, nullae conditiones iudiciorum experientiae altiores fint illis, quibus phaenomena, pro varia vifionum fuarum forma, conceptibus intelligentiae puris fubiiciuntur, qui, iudicium empiricum vt obiectiue valeat, efficiunt, haec funt decreta ex anticipatione, quae poteft effe, experientiae.

Iam vero decreta experientiae poffibilis eadem leges vniuerfales funt naturae, quae poffunt ex anticipatione cognofci. Atque ita problema, quod in hac noftra fecunda quaeftione eft: *qui fieri poteft fcientia rationalis pura?* folutum videtur. Namque, quae ad formam fcientiae requiritur, ratio fyftematica, hic plena deprehenditur, quoniam praeter conditiones, quas

*) Quomodo autem haec fententia: iudicia experientiae in fynthefi perceptionum ineffe debere; cum pronunciato illo meo fupra faepenumero inculcato conuenit: experientiam, qua cognitionem ex vfu et aduentitio, folam poffe iudicia fortuita miniftrare? Si experientia me dicam quodpiam edoceri, femper folam, quae illi ineft, perceptionem intelligo, velut fulgorem folis in lapide femper fequi calorem, et proinde enunciatum experientiae eatenus femper fortuitum videtur. Hunc calorem neceffario fulgore folis effici, iudicio experientiae (per conceptum caufae) quidem continetur, verum hoc neutiquam disco per experientiam, fed vice verfa, experientia conceptu intellectuali (caufae) ad perceptionem accedente, demum gignitur. Quomodo autem perceptio hac acceffione potiatur, adeunda eft critica rat. purae in fectione de facultate iudicandi transfcendentali p. 94 feq.

diximus, omnium omnino iudiciorum formales, proinde omnes omnino regulas, quas logica miniftrat, nullae effe amplius poffunt, hisque fyftema quoddam logicum, conceptibus vero in iis conftitutis, qui conditiones ex anticipatione iudiciorum omnium fyntheticorum et neceffariorum in fe continent, ob eam ipfam caufam fyftema transfcendentale quodpiam, decretis denique, quorum ope omnia phaenomena ad hofce conceptus adfumuntur, fyftema quoddam phyfiologicum, id eft, fyftema naturae, efficitur, quod vniuerfam cognitionem naturae empiricam antecedit, eaque vt effe queat, primum efficit, et proinde proprie vniuerfalis et pura poterit phyfica nominari.

§. 24.

Primum *) ex decretis illis phyfiologicis vniuerfa phaenomena, qua vifiones in fpatio ac tempore, ad conceptum *quantitatis* adfumit, atque eatenus principium eft vfus mathefeos ad experientiam. Alterum proprie empiricum, nempe fenfationem, quae reale denotat vifionum, haud directe adfumit ad *quantitatis* conceptum, quoniam fenfatio non in vifione verfatur, quae fpatium in fe tempusque cohibeat, quamquam, quae fibi refpondet, obiectam rem in vtroque ponit; attamen inter realitatem (fenfationem) et zero, id eft, prorfus vacuum atque inane vifionis in tempore, aliquod difcrimen eft, habens quantitatem, cum fcilicet inter quemque datum gradum lucis et tenebrarum, inter quemque gradum caloris et totius frigoris, inter vnumquemque gradum grauitatis leuitatisque abfolutae, inter quemque gradum fpatii completi, fpatiique prorfus vacui, minores atque minores gradus poffint cogitari, quemadmodum inter confcientiam abfolutamque inconfcientiam (obfcuritatem pfychologicam) minores atque

*) Hae tres fe inuicem fequentes paragraphi perdifficiliter recte intelligentur, nifi ea in promtu funt, quae critica de decretis praecipit; hanc tamen vtilitatem poterunt adferre, vt ratio illorum vniuerfalis facilius perfpiciatur, ad momentaque principalia animaduertatur.

minores locum habent; proinde nulla fieri perceptio potest, quae defectum arguat absolutum, veluti nullam obscuritatem psychologicam, quae non qua conscientia possit spectari, quae ab alia pleniori vincatur, et sic in omni ratione sensationis, quapropter intelligentia vel sensationes potest, quibus propria repraesentationum empiricarum (phaenomenorum) qualitas efficitur, anticipare, ope decreti, eas omnes omnino, proinde cuiusque phaenomeni reale, gradibus gaudere, in quo quidem altera ad physicam matheseos applicatio (mathesis intensorum) cernitur.

§. 25.

Ratione relationis phaenomenorum, et quidem solummodo respectu exsistentiae illorum, determinatio huiusce relationis haud mathematica est, sed dynamica, neque vmquam obiectiue valet, proinde ad experientiam videtur idonea, nisi decretis subsit ex anticipatione, quibus efficiatur, vt respectu eorum cognitio experientiae possit demum esse. Idcirco phaenomena ad conceptum substantiae, qui cuique determinationi exsistentiae, vtpote conceptus rei ipsius, fundamento subest, aut secundo, quatenus consecutio temporis in phaenomenis, hoc est, euentum quoddam reperitur, ad conceptum effecti respectu causae, aut, quatenus ratio simultanea obiectiue, id est, iudicio experientiae, cognosci debeat, ad conceptum commercii, necesse est, adsumatur, atque ita decreta ex anticipatione, iudiciis, quae obiectiue valent, quamuis empiricis, hoc est, possibilitati experientiae, quatenus ea res obiectae debeant quoad exsistentiam in natura rerum coniungi, fundamento subsunt. Haec decreta propriae illae leges physicae sunt, quae possunt dynamicae vocari.

Tandem etiam ad iudicia experientiae pertinet cognitio concentus coniunctionisque, non tam visorum siue phaenomenorum inter se inuicem in experientia, quam potius adfectio illorum ad experientiam vniuerse, quae vel concentum eorum cum conditionibus forma-

libus, quas intelligentia cognoſcit, vel contextum cum materiali, quod vocant, ſenſuum perceptionisque, vel vtrumque in vno conceptu coniungit, proinde poſſibilitatem, exſiſtentiam neceſſitatemque ex vniuerſalibus legibus phyſicis complectitur, id quod methodologia phyſiologica (diſtinctio veri et hypotheſium terminorumque certitudinis harum poſteriorum) conſtitueret.

§. 26.

Quamquam tabula tertia decretorum *ex ipſa intelligentiae natura* ad viam criticam deriuata, quamdam in ſe continere perfectionem videtur, qua quamque aliam longe ſuperet, quae *de rebus ipſis* in via dogmatica, quamuis fruſtra, vmquam fuerit tentata, aut olim tentari poſſit: ſcilicet quod vniuerſa decreta ſynthetica ex anticipatione plene atque ex quodam principio, nempe facultate iudicandi vniuerſe, qua eſſentia experientiae reſpectu intelligentiae efficitur, proponit, ita, vt certo eſſe queas perſuaſus, nulla eiusmodi praeter haec decreta eſſe (quod quidem numquam poteſt methodus dogmatica efficere), tamen in eo haudquaquam maxima illius laus verſatur.

Ad argumentum acies mentis attendenda eſt, quo poſſibilitas huiuſce cognitionis ex anticipatione aperitur, et quo cuncta decreta eiusmodi vna ad conditionem adſtringuntur, quae numquam praeteriri debet, niſi praue intelligi debeat, atque in vſu latius extendi, quam, quem intelligentia indit, ſenſus originarius conceſſerit: ſcilicet ea ſolas conditiones experientiae poſſibilis vniuerſe continere, quatenus ea legibus ſubſit ex anticipatione. Sic haud dico: res *per ſe ipſas* quantitatem, earum realitatem gradum, exſiſtentiam earum coniunctionem accidentium in ſubſtantia quadam, et ſic porro, continere; neque enim iſtud a quoquam poterit probari, ſi quidem eiusmodi coniunctio ſynthetica e ſolis conceptibus, vbi partim vniuerſa ad viſionem ſenſitiuam adfectio relatione, partim omnis eius coniunctio in experientia poſſibili, deſit, perſpici nullo pacto poteſt.

Eſſentialis conceptuum circumſcriptio in hiſce decretis proinde haec eſt: vt res cunctae duntaxat *qua res ſubiectae experientiae* conditionibus illis, quas diximus, neceſſario ſubſint ex anticipatione.

Ex quo ſecundo quoque peculiare quoddam argumenti genus conſequitur: ea decreta haud directe ad phaenomena eorumque relationem, ſed ad poſſibilitatem experientiae, cuius quidem materiam, ſed non formam, phaenomena efficiunt, id eſt, ad enunciationes ſyntheticas, quae obiectiue valent et vniuerſe, in quo ipſo iudicia experientiae a ſolis iudiciis perceptiuis internoſcuntur, referri. Id quod fit eo, vt phaenomena qua ſolae viſiones, *quae partem occupant ſpatii temporisque*, conceptu contineantur quantitatis ſubiecta, qui varietatem eorum ex anticipatione ad regulas coniungit ſynthetice, vt, quatenus perceptio praeter viſionem etiam ſenſationem continet, inter quam et zero, id eſt, plenam exſpirationem eius, ſemper tranſitus ex deminutione locum obtinet, reale phaenomenorum ſemper habere quemdam gradum oporteat, quatenus illud ipſum *nullam ſpatii temporisue partem occupet*, *) ſed tamen tranſitus ab eo tempus ſpatiumue vacuum tantummodo in tempore poſſit eſſe, proinde, quamuis ſenſatio, vtpote qualitas viſionis empiricae, ratione eorum, in quibus ſpeciatim ea ab aliis ſenſationibus diſtinguitur,

*) Calor, lumen, et id genus alia, in ſpatio paruo (quoad gradum) aeque magna ſunt, atque in magno; ſic etiam repraeſentationes internae, dolor, conſcientia, vniuerſe non ſunt quoad gradum minores, quamuis breue longumue tempus perdurent. Quocirca quantitas hic in puncto quodam temporisue articulo eadem eſt, quae in quouis vel maximo ſpatio aut tempore. Igitur gradus ſunt, non quidem in viſione maiores, ſed quoad ſolam ſenſationem, vel etiam quoad quantitatem cauſae viſionis cuiusdam, ſolaque poſſunt ratione τῦ 1 ad 0, id eſt, eo qua quanta aeſtimari, vt earum quaeque infinitis gradibus intermediis vsque ad exſpirationem, aut a zero per infinita acceſſionis momenta vsque ad certam ſenſationem in certo quodam tempore creſcere (quantitas qualitatis eſt gradus).

numquam queat ex anticipatione cognofci, tamen in experientia poſſibili vniuerſe poſſit, vt quantitas perceptionis, intenſiue ab omni alia ſimili diſcerni; vnde vſus matheſeos ad naturam, ratione viſionis ſenſitiuae, qua illa nobis proponitur, primum, vt eſſe poſſit, efficitur ac determinatur.

Maxime autem lectori attendendum eſt ad modum probandi decreta, quae, titulo inſcripta analogiarum experientiae, obuia videntur. Quippe quae quoniam haud, vti decreta matheſeos ad phyſicam adhibendae, generationem viſionum attingunt, ſed coniunctionem exſiſtentiae eius in experientia, haec autem non, niſi determinatio exſiſtentiae in tempore ex legibus neceſſariis eſſe poteſt, quibus ſolis fit, vt obiectiue valeat, proinde experientia ſit: argumentum haud vnitatem ſyntheticam in coniunctione *rerum* per ſe ipſarum ſpectat, ſed *perceptionum*, earumque haud reſpectu materiae, ſed determinationis temporis, relationisque exſiſtentiae in illa, ad leges vniuerſales. Quae leges vniuerſales igitur neceſſitatem determinationis exſiſtentiae in tempore vniuerſe continent (proinde ex regula intelligentiae ex anticipatione), ſi determinatio empirica in tempore relatiuo obiectiue debeat valere, ideoque experientia videri. Plura hoc loco, vtpote in prolegomenis, non poſſunt adferri, niſi vt lectori, diuturno vſu imbuto, experientiam pro ſola compoſitione perceptionum empirica accipiendi, proinde haud cogitanti, eam latius patere, quam quo hae pertineant, nempe iudiciis empiricis valorem tribuere vniuerſalem, ad illudque opus habere vnitate intellectuali pura, ex anticipatione antegreſſa, commendem: vt diſcrimen iſtud experientiae a ſola perceptionum congregatione probe attendat, atque ad eam rationem argumentationem diiudicet.

§. 27.

Atque hoc quidem loco commode poterimus dubium Humianum funditus euertere. Iure ſuo contendit *Humius:* poſſibilitatem colligationis cauſarum, hoc eſt,

adfectionem rei cuiuspiam ad exſiſtentiam cuiusquam alius, quod per illam neceſſario ponatur, nullo modo per rationem nos perſpicere. Equidem addo, aeque minus a nobis conceptum ſubſiſtentiae, id eſt, neceſſitatis, in eo perſpici, quod exſiſtentiae rerum ſubiectum quoddam fundamento ſubſit, quod ipſum haud eſſe poſſit alius rei cuiuspiam attributum, atque adeo nullam nobis informare cogitationem poſſe de eiusmodi rei poſſibilitate (quamuis experientia vſus illius nobis exempla oſtendat), itemque pariter non poſſe commercium rerum comprehendi, propterea quod perſpici non poteſt, quomodo ex ſtatu rei cuiuspiam conſequentia poſſit fieri ad ſtatum rerum prorſus aliarum extra eam, atque ita ad viciſſitudinem, vti ſubſtantiae poſſunt, quarum ſua cuique peculiaris ac ſeparata exſiſtentia eſt, ex ſe inuicem debent, et quidem neceſſario pendere. Verum tamen longe abſum, vt hos conceptus ex ſola experientia mutuatos, quaeque in iis cogitatur, neceſſitatem ei adſtrictam putem, in ſolaque ſpecie poſitam, ex longa nobis conſuetudine oſtenſam; potiusque ſatis docui, eos decretaque ex iis ex anticipatione ante vniverſam experientiam fixa eſſe rataque, ſuamque indubitatam veritatem habere obiectiuam, ſed ſane quidem tantummodo ratione experientiae.

§. 28.

Etſi igitur de tali coniunctione rerum per ſe ipſarum, vti qua ſubſtantiae exſtant, aut qua cauſae efficiunt, aut cum aliis (tamquam partes totius cuiusquam realis) eſſe in commercio queant, ne minimam cogitationem habeam, multo minus autem eiusmodi qualitates in phaenomenis qua phaenomenis cogitare poſſim (quia conceptus illi nihil in ſe continent, quod in phaenomenis inſit, ſed quid ſola debeat intelligentia cogitare), tamen eiusmodi coniunctionis repraeſentationum in intelligentia, et quidem in iudiciis vniuerſe, talis nobis conceptus eſt, nempe: repraeſentationes in vna iudiciorum parte, vt ſubiectum in relatione ad praedicata, in altera vt ratio comparata cum conſequentia, in

tertia vt partes, quibus cunctis tota cognitio possibilis efficiatur, poni debere. Porro ex anticipatione cognoscimus: nos, nisi repraesentationem rei obiectae cuiuspiam respectu vnius vel alterius horum momentorum determinatam consideremus, nullam prorsus, quae de re obiecta valeat, posse cognitionem habere, et, si in re obiecta per se ipsa versaremur, ne vllam quidem esse notam posse, qua queat cognosci, eam respectu vnius alteriusue horum momentorum determinatam videri, id est, sub conceptu substantiae, aut causae, aut (cum aliis substantiis comparatam) sub conceptu commercii teneri; namque de possibilitate eiusmodi coniunctionis exsistentiae nullam prorsus videor cogitationem habere. Nec vero etiam quaeritur, quomodo res per se ipsae, sed, quomodo cognitio rerum empirica ratione illorum momentorum iudiciorum vniuerse sit determinata, hoc est, quomodo res, qua res experientiae obnoxiae, ad illos conceptus intelligentiae et possint adsumi et debeant. Ac tum quidem manifestum est: non solum possibilitatem, verum etiam necessitatem omnium phaenomenorum ad istos conceptus adsumendorum, id est, iis vt principiis vtendi possibilitatis experientiae, memet exacte perspicere.

§. 29.

Vt periculum faciam in conceptu problematico *Humii* (cruce illa eius metaphysicorum), nimirum conceptu causae, primo mihi per logicam forma iudicii hypothetici vniuerse, nempe cognitio data quaedam vt ratio, alteraque vt consequentia vtenda, ex anticipatione data videtur. Sed fieri potest, vt in perceptione regula quaedam relationis deprehendatur, quae enunciet: certum phaenomenon quoddam aliud (quamquam haud rursus retro) semper subsequi, in eaque causa vti possum iudicio hypothetico, et exempli causa dicere, si corpus satis diu solis radios exceperit, incalescet. Atque hic sane quidem nondum adest coniunctionis necessitas, proinde causae conceptus. Sed pergo dicere: si illud enunciatum, quod in sola coniunctione perceptionum

ſubiectiua verſatur, enunciatum eſſe debeat experientiae, vt neceſſarium, oportebit, quodque vniuerſe valeat, ſpectetur. Eiusmodi enunciatum autem hoc foret: ſol luce ſua caloris cauſa eſt. Illa regula empirica nunc inſtar legis conſideratur, eaque haud quidem, quae ſolummodo valeat de phaenomenis, verum de iis in gratiam cuiuspiam poſſibilis experientiae, quae perpetuo et proinde neceſſario opus habet, quae valeant, regulis. Igitur conceptum cauſae, tamquam conceptum ad ſolam experientiae formam neceſſarium, eiusque poſſibilitatem, tamquam coniunctionem perceptionum ſyntheticam in vna conſcientia vniuerſe, probe perſpicio; ſed poſſibilitatem rei cuiuspiam in vniuerſum, vt cauſae, nullo prorſus modo perſpicio, et quidem idcirco, quia conceptus cauſae nullam prorſus rebus, ſed ſoli experientiae adhaerentem indicat conditionem, nempe eam ſolummodo cognitionem eſſe poſſe phaenomenorum eorumque ſucceſſionis, quae obiectiue valeat, quatenus antecedens poſſit cum ſuccedente ex regula iudiciorum hypotheticorum coniungi.

§. 30.

Quapropter et conceptus puri intelligentiae omni omnino ſunt ſignificatione deſtituti, ſi a rebus, quae ſub experientiam cadunt, auocentur et ad res per ſe ipſas (noumena) referantur. Inſeruiunt tantum phaenomenis ſyllabatim dicendis, vt ea legi queant qua experientia; decreta, quae ex adfectione illorum ad mundum ſenſibilem oriuntur, intelligentiae noſtrae ſunt tantum ad vſum experientiae; vlterius ſi iis vtaris, nihil erunt, niſi copulationes arbitrariae, omni realitate obiectiua deſtitutae, quarum nec poſſibilitas ex anticipatione cognoſci poſſit, nec adfectio ad res obiectas vllo quopiam exemplo confirmari, aut duntaxat queat intellectu reddi facilior, propterea quod omnia exempla ex vlla quapiam, quae poſſit eſſe, experientia modo depromta ſunt, proinde et res conceptibus illis ſubiectae non poſſunt, niſi in experientia quadam poſſibili, deprehendi.

Atque haec plena problematis *Humiani* solutio, quamquam ea aliter euenit, atque auctor exspectasset, seruat igitur conceptibus puris intelligentiae originem ex anticipatione, legibusque physicis vniuersalibus valorem, qua legibus intelligentiae, ita tamen, vt vsum earum ad solam adstringat experientiam, propterea quod earum possibilitas in sola intelligentiae ad experientiam ratione fundamentum habet: non vero ita, vt ortum ab experientia trahant, sed vt experientia ab iis deriuetur, quam quidem coniunctionis rationem prorsus contrariam, *Humius* numquam passus est, sibi in mentem venire.

Ex quo promanat omnium, quas hactenus instituimus, inuestigationum consectarium: „vniuersa decreta synthetica ex anticipatione nil sunt, nisi principia possibilis experientiae." Neque vmquam possunt ad res per se ipsas, sed solum ad phaenomena, vtpote res experientiae subiectas, adhiberi. Vnde etiam et mathesis pura et pura physica numquam possunt ad vllum quidpiam, nisi ad sola phaenomena, spectare, eaque tantummodo proponere, quibus aut, vt experientia vniuerse possit esse, efficiatur, aut, quae, propterea quod ex hisce sunt principiis deriuata, semper in vlla quapiam, quae fieri possit, experientia, necesse sit, posse proponi.

§. 31.

Atque ita tandem aliquando quiddam certi habemus et constituti, quo nosmet possimus sustinere in vniuersis inuestigationibus metaphysicis, quae huc vsque, satis temerarie atque audacter, sed semper caeco impetu, de omnibus sine vllo discrimine sunt institutae. Numquam in mentem venerat meditabundis dogmaticis, scopum conatuum suorum tam breui interuallo posse figi, nec vel ii ipsi, qui, de putatitia sua ratione sana superbientes, legitimis quidem et naturalibus, sed ad solum vsum empiricum destinatis conceptibus, cognitiones venabantur, quarum nullos certos terminos

nossent, nec possent nosse, propterea quod de natura ipsaque eiusmodi intelligentiae purae possibilitate neque vmquam mente et cogitatione anquierent, neque anquirere valerent.

Multi rationis purae naturalistae (sic illum voco, qui, nulla rerum metaphysicarum scientia instructus, audet decernere), perhibuerint, se ea, quae hoc loco tanto apparatu, aut, si maluerint, longa pompa paedagogica, disputata sint, iam dudum per Pythiam rationis suae sanae non solum diuinasse, verum etiam nosse ac perspexisse: „nos scilicet cum vniuersa ratione nostra non posse vltra campum experientiae transire." Verumtamen cum, si principia rationis sua percontando ab eo expetamus, ei fatendum sit, multa in iis esse, quae haud ex vsu atque experientia hauserit, quae proinde ab hac libera sint, atque ex anticipatione valeant, quomodo quibusque tandem argumentis et dogmaticum et se ipsum coërcebit, qui his conceptibus decretisque vltra omnem, quae fieri potest, experientiam vtitur, ob eam ipsam caussam, quoniam libere ab hac cognoscuntur. Atque hic ipse, rationis sanae quasi adepta, sibi non potest cauere, ne, per vniuersam arrogatam suam vilique pretio comparatam sapientiam, sensim paullatimque vltra res experientiae subiectas in campum euagetur somniorum, vanarumque formarum. Ac plerumque etiam altius tenetur iis irretitus, quamuis oratione populari, cum vniuersa modo probabilia coniecturasque ratione factas perhibeat vel analogias, vanis atque inanibus adsertionibus suis quemdam colorem adspergat.

§. 32.

Iam inde ab antiquissimis philosophiae temporibus inuestigatores rationis purae, praeter naturas sensibiles siue phaenomena, quibus mundus sensibilis efficitur, peculiares naturas intelligibiles siue noumena, quibus mundus intelligibilis constet, cogitatione sibi informarunt, cumque (quod aetati nondum excultae facile igno-

fcendum fuit) phaenomenon fpeciemque vnum effe idemque putarent, folis naturis intelligibilibus veritatem concefferunt.

Ac fane quidem, fi res fenfibus obnoxias, quod par eft, vt fola phaenomena fpectemus, tamen eo fimul confitemur, rem per fe ipfam illis fundamento fubeffe, quamuis eam haud, qualis per fe ipfa fit, fed folum eius phaenomenon, id eft, quo ab hac re ignota noftri fenfus pelluntur atque adficiuntur, nofcamus. Quocirca intelligentia, eo ipfo, quod phaenomena fumit, et exfiftentiam fatetur rerum per fe ipfarum, atque eatenus dici poteft, repraefentationem eiuscemodi naturarum, quae fundamento funt phaenomenis, proinde folarum naturarum intelligibilium, non folum licitam effe, verum etiam ineuitabilem.

Neque noftra deductio critica eiusmodi res (noumena) vllo modo arcet, fed potius decreta aefthetices eo vsque coërcet, vt neutiquam debeant ad res vniuerfas referri, quo omnia in fola phaenomena mutarentur, fed vt modo de rebus valeant fubiectis, quae poffit effe, experientiae. Proinde ea re naturae intelligibiles conceduntur, fed hac modo regula, quae nullam prorfus exceptionem patitur, inculcata: nos nullo prorfus modo quidquam certi de hifce puris naturis intelligibilibus noffe, nec poffe noffe, fi quidem et conceptus noftri puri intelligentiae, et vifiones purae nihil nifi res fpectent, experientiae poffibili obnoxias, proinde folas naturas fenfibiles, et, fimulatque ab iis difcefferimus, ne minima quidem fignificatio relinquatur.

§. 33.

Ac profecto quidem lubrica quodammodo ratio eft conceptuum purorum noftrorum intelligentiae refpectu inuitamenti ad vfum transfcendentem; fic enim vfum dico, qui vniuerfam, quae fieri poffit, experientiam fuperat. Non folum propterea, quod conceptus noftri fubftantiae, virium, actionis, realitatis, et fimilium, prorfus funt ab experientia liberi, itemque nullum om-

nino fenfuum phaenomenon continent, proinde fane res per fe ipfas (noumena) fpectare videntur, fed, quod hanc fufpicionem praeterea confirmat, neceffitatem in fe determinationis quamdam continent, cui experientia numquam fefe poffit aequare. Conceptus caufae regulam continet, qua e ftatu quodam alius fequitur neceffario, verum experientia nobis poteft modo oftendere, faepenumero, et ad fummum, plerumque ftatum rerum fequi alium, nec proinde ftrictam vniuerfalitatem poteft, nec neceffitatem, et fic porro, fuppeditare.

Hinc fit, vt conceptus intellectuales maiorem vim poteftatemque atque materiam videantur habere, quam vt folus vfus empiricus vniuerfum munus illorum exhauriat, atque ita intelligentia pedetentim domui experientiae adfinem facit ampliorem domum, quam folis replet entibus rationis, ita, vt ne animaduertat quidem, cum conceptibus fuis alioquin veris vltra terminos vfus eorum fefe transfcendiffe.

§. 34.

Duabus igitur grauiffimis, quibus adeo haud poffet fuperfederi, quamuis admodum ieiunis, opus fuit inueftigationibus, quas in crit. rat. purae pag. 96. et 186. inftituimus, quarum priori oftendimus, haud puros conceptus intelligentiae in fingulo, fed folum fchema vfus eorum, a fenfibus fuppeditari, obiectamque rem illi congruam tantummodo in experientia (quae in effectis eft intelligentiae ex materiis facultatis fenfitiuae) deprehendi. In altera quaeftione (crit. rat. pur. p. 186.) docuimus: quamuis conceptuum noftrorum intelligentiae decretorumque ratio libera fit ab omni experientia, ab ipfaque ad fpeciem maiori vfus eorum compage, nihilominus tamen iis, extra campum experientiae, nihil quidquam poffe cogitari, quoniam non poffunt, nifi formam iudicii logicam ratione vifionum datarum determinare; cum autem vltra campum facultatis fenfitivae nulla prorfus vifio fit, illos conceptus puros omni

omnino fignificatione deftitutos effe, propterea quod nullo adiumento queant in fingulo proponi, proinde vniverfa eiusmodi noumena, vna cum eorum complexu, mundo intelligibili, *) non nifi repraefentationes fint cuiuspiam problematis, cui quod fubiectum fit, per fe quidem effe queat, cuius vero folutio, ex natura intelligentiae noftrae, fieri nullo modo poffit, fi quidem intelligentia noftra haud in facultate vifionis verfetur, fed tantum coniunctionis vifionum datarum in experientia quadam, hancque proinde vniuerfas res obiectas continere debere, extra eam vero omnes conceptus, cum iis nulla queat vifio fubiici, omni fignificatione carituros.

§. 35.

Fortaffe poterit phantafiae ignofci, fi nonnumquam deliret, id eft, haud caute fefe intra terminos teneat experientiae; namque libero eiusmodi faltu certe animatur ea et corroboratur, femperque erit facilius, audaciam illius temperare, quam languorem eius recreare. Verum intelligentiam, cuius munus eft, vt *cogitet* et agitet, *delirare*, illud ei quidem numquam poteft ignofci; ab ea enim fola omne adiumentum exfpectandum videtur, vt fanatismo phantafiae, ficubi neceffe fit, carceres conftituantur.

Sed intelligentia primum fobrie modefteque cognitiones elementares, quae illi ante vniuerfam experientiam infunt, fed quorum vfum tamen, neceffe fit, in experientia effe, conftituit. Paullatim hos carceres

*) Non (vti plerumque dicunt) mundo *intellectuali*. Namque *intellectuales* funt *cognitiones* per intelligentiam, talesque etiam noftrum fpectant mundum fenfibilem; fed *intelligibiles* dicuntur *res*, quatenus *per folam intelligentiam* poffint repraefentari, quasque nulla poteft vifionum fenfitiuarum noftrarum attingere. Verumtamen cum cuique obiectae rei, neceffe fit, poffibilem quamdam refpondere vifionem, intelligentia foret cogitatione informanda, quae proxime res videret et intueretur; de eiusmodi intelligentia nos ne minimam quidem cogitationem habemus, nec proinde, quas fpectare debet, de *naturis intelligibilibus*.

omittit, et quid eum impediat, cum intelligentia libere decreta sua ex se ipsa depromserit? Et nunc primo pergit ad vires in natura rerum recenter excogitatas, inde ad naturas extra rerum naturam, verbo ad mundum, ad cuius constitutionem nobis non possunt materiae deesse, si quidem fecunda fictione abunde adferuntur, et per experientiam non quidem confirmantur, sed numquam etiam confutantur. Atque hoc quoque in causa est, cur iuuenes meditabundi metaphysicam ad rationem vere dogmaticam institutam tantopere adament, suumque tempus illi ingeniumque alioquin vtilissimum consecrent.

Sed frustra erit, vt inutiles illos rationis purae conatus variis monitis de difficultate quaestionum soluendarum tam profunde absconditarum, querelisque de rationis nostrae carceribus, adsertionumque aestimationem instar suspicionum solarum, velimus temperare. Etenim nisi *impossibilitas* earum perspicue fuerit demonstrata, rationisque *cognitio sui ipsius* haud vera scientia fiat, qua campus vsus illius recti a recto atque inani vsu, quasi cum certitudine geometrica discernatur, numquam vani conatus illi cessabunt.

§. 36.

QUI FIERI NATURA IPSA POTEST?

Haec quaestio, quae summum quasi fastigium est, quod vmquam possit a philosophia transscendentali attingi, et ad quod, tamquam ad suum terminum absolutionemque duci debet, duabus proprie quaestionibus constat.

Primo: quomodo natura sensu *materiali*, nempe quoad visionem, vtpote complexus phaenomenorum, quomodo spatium tempusque, et, qua vtrumque completur, res sensationi subiecta, vniuerse potest fieri? Ad haec respondeo: per naturam facultatis nostrae sensitiuae, secundum quam, suo quodam peculiari modo,

a rebus obiectis, per se ipsis sibi ignotis, prorsusque a phaenomenis istis diuersis, mouetur. Haec responsio in libro ipso, in aesthetica transscendentali, sed in hisce prolegomenis per solutionem quaestionis primae principis data est.

Deinde: quomodo natura sensu formali, tamquam complexus regularum, quibus vniuersa debent phaenomena subesse, si in experientia quadam coniuncta debeant cogitari, potest fieri? Ad haec non, nisi sic poterit responderi: ea modo fieri potest per naturam intelligentiae nostrae, qua vniuersae illae repraesentationes facultatis sensitiuae necessario ad conscientiam referuntur, et quo demum propria nostrae cogitationis ratio, nempe per regulas, et hisce adminiculis experientia, quae a perspicientia rerum obiectarum per se ipsarum prorsus diuersa est, fieri potest. Haec responsio in libro ipso, in logica transscendentali, in hisce autem prolegomenis, in solutione quaestionis principis secundae data videtur.

Quomodo autem haec ipsa peculiaris proprietas facultatis nostrae sensitiuae, vel intelligentiae nostrae, apperceptionisque, quae huic atque vniuersae cogitationi fundamento subest, necessariae fieri queat, vlterius nec solui poterit, neque responderi, propterea quod ea ad omnem responsionem omnemque cogitationem rerum obiectarum semper rursus opus habemus.

Multae sunt naturae leges, quas per solam experientiam scire possimus, sed conuenientiam legitimam in phaenomenis coniungendis, id est, naturam in vniversum, nulla prorsus possumus experientia cognoscere, si quidem experientia ipsa earum legum indiget, quae possibilitati suae fundamento subsint ex anticipatione.

Igitur possibilitas experientiae in vniuersum simul lex naturae est vniuersalis, et decretis illius prioris, leges efficiuntur ipsae huiusce posterioris. Neque enim aliter naturam nouimus, nisi complexum phaenomenorum, id est, repraesentationum in nobis, nec proinde

legem coniungendarum aliunde possumus, quam a decretis coniunctionis illarum in nobis, id est, a conditionibus coniunctionis necessariae in vnam atque indiuiduam conscientiam, qua possibilitas efficitur experientiae, depromere.

Ipsum pronunciatum illud, quod per totam hanc sectionem explicatum est, leges physicas vniuersales posse ex anticipatione cognosci, sponte iam ad enunciationem ducit: supremam naturae legislationem in nobis ipsis, id est, in intelligentia, inesse debere, legesque illius vniuersales nos non ab natura ope experientiae, sed contra, naturam, quoad conuenientiam legalem illarum vniuersalem, e solis, quae in facultate nostra sensitiua atque intelligentia insunt, conditionibus possibilitatis experientiae quaerere debere: qui enim alias fieri posset, vt leges, cum haud fere in regulis versentur cognitionis analyticae, sed in veris syntheticis illius incrementis, queant ex anticipatione cognosci? Eiusmodi, eaque necessaria principiorum experientiae possibilis cum legibus possibilitatis naturae conuenientia, per duplicem modo causam locum habere potest: aut hae leges ab natura per experientiam depromuntur, aut contra natura ab legibus possibilitatis experientiae vniuerse deriuantur, eaque eadem est, quae sola conuenientia legalis vniuersalis experientiae. Illud sibi ipsum repugnat, nam leges physicae vniuersales et possunt et debent ex anticipatione (id est, ab vniuersa experientia libere) cognosci, omnique vsui intelligentiae empirico fundamento subiici; proinde duntaxat alterum relinquitur. *)

*) *Crusius* solus viam mediam nouit: nimirum spiritum, qui nec falli possit nec decipere, nobis hasce leges physicas originarie inseruisse. Verum, cum tamen saepenumero fallacia sese decreta immisceant, cuius quidem rei systema huiusce viri haud pauca exempla proponit, male agitur de vsu eiusmodi decreti, si certa criteria desint, quibus vera origo a spuria discernatur, propterea quod numquam certo sciri potest, quae genius veri nobis instillauerit, aut mendaciorum pater.

Verum leges naturae empiricae, quae ſemper peculiarem ante ſe requirunt perceptionem, a puris ſunt, ſiue vniuerſalibus legibus phyſicis, quae, licet nullae peculiares perceptiones fundamento ſint, ſolas in ſe conditiones continent coniunctionis neceſſariae in quadam experientia, diſtinguendae, harumque poſteriorum reſpectu natura et experientia *poſſibilis* prorſus ſunt vnum idemque, cumque in hac conuenientia legalis in coniunctione neceſſaria phaenomenorum in experientia (ſine qua nullam prorſum obiectam rem mundi ſenſibilis cognoſcere poſſumus), proinde in legibus intelligentiae originariis poſita ſit, initio quidem alienum videtur, nihilominus tamen certum erit, ſi reſpectu poſteriorum dicam: *intelligentia leges ſuas (ex anticipatione) haud ex natura haurit, ſed eas huic praecipit.*

§. 37.

Quam quidem ſententiam prima ſpecie auſam exemplo illuſtrabimus, quod debet oſtendi: leges, quas in rebus viſioni ſenſitiuae ſubiectis aperimus, praeſertim ſi pro neceſſariis agnitae fuerint, a nobis ipſis iam tales haberi, quas intelligentia indiderit, quamuis legibus, quas experientiae attribuimus, phyſicis caeteroquin ex omni parte ſimiles videantur.

§. 38.

Si proprietates circuli conſideres, quibus haec figura tot determinationes arbitrarias ſpatii in ſe continuo in regula quadam vniuerſali coniungit, non poteris non, huic enti geometrico quamdam attribuere naturam. Sic nimirum duae ſe lineae diuidunt, ſe inuicem et ſimul circulum ſecantes, quacumque ratione fortuita ducantur, tamen ſemper ita concinne: vt rectangulum ex partibus cuiusque lineae alterius ſit rectangulo aequale. Iam quaero, „ineſtne ea lex in circulo, an intelligentia," id eſt, continetne haec figura, ab intelligentia libere, cauſſam rationemque huiuſce legis, an intelligentia, quae ex conceptibus ſuis (ſcilicet aequalitatis diametrorum) ipſa figuram conſtruxit, ſi-

mul legem chordarum se inuicem in proportione geometrica secantium in eam indit? Quodsi argumenta huiusce legis inuestigaueris, continuo animaduertes, a sola illam conditione, ab intelligentia constructioni huius figurae fundamento posita, nempe aequalitate diametrorum, posse deriuari. Si itaque hunc conceptum amplificemus, vt vnitatem variarum proprietatum figurarum geometricarum sub legibus communibus vlterius persequamur, et si circulum contemplemus vt sectionem conicam, quae proinde cum aliis sectionibus conicis iisdem conditionibus constitutiuis subest constructionis, inuenimus, chordas omnes, se intra posteriorem, ellipsin, parabolam et hyperbolam secantes, ita semper sese secare, vt rectangulo ex partibus suis quidem haud aequalia, sed tamen semper in proportionibus aequalibus erga se inuicem esse. Si porro inde progrediamur vlterius, nempe ad doctrinas constitutiuas astronomiae physicae, legem physicam attractionis reciprocae deprehendemus ad vniuersam naturam corpoream pertinentem, quae hanc seruat regulam, vt conuerse cum quadrato distantiarum a quouis puncto attrahente perinde eae decrescant, ac superficies globorum, in quibus haec vis sese dilatat, crescunt, quod quasi necessario in ipsa rerum natura esse videtur, et proinde quoque tamquam ex anticipatione possit cognosci, solet proponi. Quantumuis igitur simplices sint fontes huiusce legis, propterea quod in sola proportione superficiei globi variorum diametrorum positi sunt, tamen mira eorum consequentia est ratione varietatis concentus ordinisque illorum, vt non solum omnes, quae esse possunt, viae corporum coelestium in sectionibus conicis, verum etiam ea illorum proportio inter se inuicem sequatur, vt nulla lex alia attractionis, quam conuersae quadrati proportionis distantiarum ad systema mundi, queat idonea excogitari.

Hic itaque natura est, in legibus posita, quas intelligentia cognoscit ex anticipatione, et maxime quidem e principiis vniuersalibus determinationis spatii.

Iam quaero: insuntne hae leges physicae in spatio, discitque eas intelligentia, dum, qui in illis latet, sensum vberrimum modo scrutari conatur, an insunt in intelligentia modoque, quo haec spatium determinat ad conditiones vnitatis syntheticae, quo eius conceptus cuncti redeunt. Spatium est quiddam adeo vniforme respectuque omnium proprietatum peculiarium adeo indeterminatum, vt in eo profecto nullum legum physicarum thesaurum quaesieris. Contra id, quod spatium ad figuram circuli, conique et globi determinat, intelligentia est, quatenus causam vnitatis continet constructionis. Sola forma visionis vniuersalis, quam spatium dicimus, proinde substratum quidem est visionum omnium ad obiectas res peculiares determinabilium, in illoque sane conditio latet possibilitatis varietatisque harum visionum; sed tamen vnitas obiectarum rerum per solam intelligentiam determinatur, et quidem secundum conditiones, quae in sua insunt ipsius natura, atque ita intelligentia origo est ordinis naturae vniuersalis, propterea quod vniuersa phaenomena sub suis ipsius legibus comprehendit, eoque demum experientiam (quoad formam illius) ex anticipatione conficit, qua vniuersa, quaecumque per experientiam debent cognosci, legibus eius necessario subiiciuntur. Neque enim nobis negotium est cum natura *rerum per se ipsarum*, quae a conditionibus libera est cum facultatis sensitiuae nostrae, tum intelligentiae, verum cum natura, vtpote re, quae subiecta sit, quae possit esse, experientiae, tumque, qua efficitur, vt haec esse queat, intelligentia simul facit, vt mundus sensibilis aut nulla prorsus res experientiae obnoxia, aut natura videatur.

§. 39.

APPENDIX

AD PHYSICAM PURAM DE SYSTEMATE CATEGORIARUM.

Nihil philosopho contingere exoptatius potest, quam vt varietatem conceptuum decretorumue, quae

ei se antea per vsum, quem ex iis in singulo cepisset, dispersa ostenderant, e principio deriuare ex anticipatione possit, atque vniuerso hoc modo in vnam cognitionem coniungere. Antea modo putabat, quae certa quadam separatione atque abstractione facta relinquerentur, quibusque inter se inuicem comparatis peculiaris quaedam cognitionum pars effici videretur, plene esse collecta; sed modo erat *congregatio* quaedam: nunc vero nouit, his ipsis, nec pluribus, nec paucioribus, posse hanc cognitionis partem effici, necessitatemque diuisionis suae perspexit, quae in comprehensione versatur, et nunc demum *systema* habet.

Vt e cognitione communi conceptus eligerentur, qui nullam peculiarem experientiam fundamento habent, et nihilominus in vniuersa cognitione empirica obueniunt, cuius solam quasi formam efficiunt coniunctionis, nec maior meditatio requirebatur, nec pluris perspicientiae, quam qua opus est ad regulas vsus veri vocabulorum e lingua quadam efformandas, atque ita elementa grammatices congerenda (reapse ambae inuestigationes sibi inuicem perquam adfines sunt;) quamuis haud ideo possit ratio reddi, quare cuique linguae haec ipsa sit, neque alia formalis natura, multo minus autem hic ipse numerus, nec maior nec minor, eiusmodi determinationum formalium vniuerse possit deprehendi.

Aristoteles decem eiusmodi purorum conceptuum elementarium, quos dixit categorias, *) congesserat. Quibus, qui et praedicamenta dicebantur, praeterea addere quinque postpraedicamenta **) cogebatur, quae tamen ex parte iam in illis continentur (vt *prius*, *simul*, *motus*); verum haec rhapsodia magis vt indicium scrutatoribus futuris poterat, quam vt idea rite tractata va-

*) 1) Substantia. 2) Qualitas. 3) Quantitas. 4) Relatio, 5) Actio. 6) Passio. 7) Quando. 8) Vbi. 9) Situs. 10) Habitus.

**) Oppositum, prius, simul, motus, habere.

lere et approbationem merere, quo factum eſt, vt philoſophia magis exculta tamquam prorſus inutilis reiiceretur.

In inueſtigandis puris (nihil empirici in ſe continentibus) humanae cognitionis elementis poſt longam demum meditationem mihi obtigit, vt puros conceptus elementares facultatis ſenſitiuae (ſpatium tempusque) a puris conceptibus elementaribus intelligentiae certo internoſcerem ac ſepararem. Eo igitur factum eſt, vt ex illo indice ſeptima, octaua et nona categoria excluderetur. Caeterae nihil mihi quidquam poterant prodeſſe, quoniam nullum principium aderat, quo intelligentiam poſſem penitus dimetiri, omnesque illius functiones, vnde conceptus puri eius oriuntur, plene poſſent exacteque determinari.

Vt autem eiusmodi principium inuenirem, actionem intelligentiae quaerebam, quae cunctas caeteras contineret, variisque ſe mutationibus ſiue momentis diſtingueret, quo varia repraeſentationis poſſent ſub vnitate cogitationis vniuerſe coniungi, eamque actionem intelligentiae aperui: conſiſtere in iudicando. Hic confecta videbam, quamquam haud plane ab naeuis libera, logicorum opera, quibus poſſem abſolutam functionum purarum intelligentiae tabulam, quae vero ratione vniuerſae obiectae rei indeterminatae erant, proponere. Eas tandem iudicandi functiones retuli ad res obiectas vniuerſe, vel potius ad conditionem iudiciorum, quae obiectiue valerent, determinandorum, atque ita conceptus orti ſunt intelligentiae purae, quos ipſos modo, eorumque duntaxat eum numerum, haud maiorem minoremue, vniuerſam rerum cognitionem noſtram ex ſola intelligentia efficere poſſe, certus eſſe poteram. Quos, vt par erat, antiquo nomine ſuo *categorias* vocavi; praeterea conſtitui, vniuerſos conceptus ab iis deriuandos, ſine coniunctione inter ſe inuicem, ſiue cum forma pura phaenomeni (ſpatii temporisque) ſiue cum eorum materia, quatenus nondum empirice determinata ſit (res ſenſationi obnoxia in vniuerſum), quos *prae-*

dicabilia dicerem, pleno numero adiicere, ſimulatque philoſophiae transſcendentalis ſyſtema, cuius in gratiam in ſola nunc quidem critica rationis ipſius verſabar, perficeretur.

Eſſentiale autem huiuſce categoriarum ſyſtematis, quo a vetere iſta rhapſodia, ſine vllo principio progreſſa, diſtinguitur, et quare ſolum quoque meretur ad philoſophiam numerari, in eo conſiſtit: vt earum ope vera ſignificatio conceptuum purorum intelligentiae conditioque vſus illorum accurate queat definiri. Neque enim eas per ſe ipſas niſi functiones logicas eſſe planum erat, qua tales autem ne minimum quidem cuiuspiam rei per ſe ipſius conceptum efficere, ſed opus habere, quae fundamento ſubſit, viſione ſenſitiua, tumque iis modo effici, vt iudicia empirica, quae alioquin reſpectu functionum iudicandi omnium indeterminata ſunt et indifferentia, ratione illarum determinentur, iisque eo valor vniuerſalis impertiatur, earumque interuentu in vniuerſum efficiatur, vt eſſe queant *iudicia experientiae.*

De eiusmodi naturae categoriarum perſpicientia, qua illae ſimul ad ſolum vſum empiricum adſtringerentur, nulla prorſus, nec primi auctoris earum, nec cuiuspiam poſt illum, mentem ſubiit cogitatio; ſed ſine hac perſpicientia (quae tota pendet ex deriuatione ſiue deductione earum) prorſus inutiles ſunt, et miſer index vocabulorum, ſine explicatione regulaque illarum vſus. Quodſi vmquam veteribus eiusmodi veniſſet in mentem, ſine dubio vniuerſum purae cognitionis rationalis ſtudium, quod honore tituloque metaphyſices per multa ſecula tot praeclara ingenia enecauit, longe alia indutum forma ad nos perueniſſet, hominumque intelligentiam expoliuiſſet, nec eam, quod vere factum eſt, obſcuris atque inanibus indagationibus defatigatam, ad veram ſcientiam reddidiſſet ineptam.

Atque hoc categoriarum ſyſtemate omnis ipſa cuiusque rei rationi purae ſubiectae tractatio rurſum ſy-

ſtematica efficitur, inſtitutionemque praebet certam atque indubitatam, quomodo et per quae inueſtigationis puncta quaeque debeat, quae plena atque abſoluta fiat, contemplatio metaphyſica tractari: quippe quod cuncta intelligentiae momenta exhaurit, quibus quisque alius conceptus ſubiiciendus videtur. Sic etiam orta eſt tabula decretorum, de cuius abſolutione ſolo categoriarum ſyſtemate eſſe certi poterimus, in ipſaque conceptuum diuiſione, qui vſum debent phyſiologicum intelligentiae tranſire (crit. rat. pur. p. 74. itemque p. 89.), idem ſemper illud filum eſt, quod, quoniam perpetuo per fixa illa, in intelligentia humana ex anticipatione determinata duci debet, ſemper orbem efformat clauſum, qui non patitur dubitari, rem conceptui ſubiectam puro intelligentiae rationisue, quatenus philoſophice debeat et ex decretis ex anticipatione conſiderari, hoc modo plene poſſe perfecteque cognoſci. Neque adeo non potui non hoc ductu vti ratione cuiusdam diuiſionum ontologicarum abſtractiſſimarum, nempe diſtinctionis variae conceptuum *entis et nihili*, atque exinde tabulam ordinatam et neceſſariam (crit. rat. pur. p. 123.) conficere. *)

*) De tabula categoriarum propoſita variae poſſunt fieri animaduerſiones, velut 1) tertiam categoriam e prima et ſecunda in vno conceptu coniunctis oriri, 2) in categoriis quantitatis et qualitatis ſolum eſſe progreſſum ab vnitate ad vniverſitatem, ſiue ab ente ad nihilum (quapropter categoriae qualitatis ita collocandae ſunt: realitas, limitatio, plena negatio) ſine correlatis ſiue oppoſitis, contra categorias relationis et modalitatis haec poſteriora in ſe cohibere, 3) quemadmodum in *logicis* iudicia categorica cunctis aliis fundamento ſunt, ita et categoriam ſubſtantiae vniuerſis conceptibus ſubeſſe rerum in veritate apparentium, 4) vti modalitas in iudicio nullum eſt praedicatum peculiare, ita et conceptibus modalibus nullam rebus determinationem addi, et ſic porro. Cuiusmodi contemplationum permagna vtilitas videtur. Si praeterea vniuerſa recenſeantur *praedicabilia*, quae oppido plene poſſunt e quaque ontologia bona (veluti Baumgartenii) congeri, eaque per claſſes ordinata ſubiiciantur categoriis, in quo quidem curandum eſt, vt omnium eorum conceptuum analyſis, quoad eius fieri poterit, plena

Quod idem fyftema vfum fuum haud fatis commendandum, vti quodque verum fyftema in vniuerfali principio conftitutum, in eo quoque demonftrat, quod cunctos conceptus alienos, qui alioquin in puros illos intelligentiae conceptus irrepferint, expellit, et fuum cuique cognitioni locum defignat. Illi conceptus, quos *conceptus* appellatos *reflexos* itidem ad ductum categoriarum in formam tabulae redegeram, in ontologia, per licentiam fe atque iniuriam conceptibus immifcent puris intelligentiae, quamquam hi conceptus funt coniunctionis, eoque obiectae rei ipfius, illi autem folius comparationis conceptuum iamiam datorum, et proinde longe aliam naturam habent vfumque; diuifione mea legitima (crit. rat. pur. p. 208 feq.) ex ifta confufione feparantur. Multo autem clarius elucet vtilitas feparatae tabulae illius categoriarum, fi, quod mox fiet, tabulam transfcendentalium conceptuum rationalium, qui longe alius naturae funt atque originis, quam conceptus ifti intellectuales (proinde quoque aliam, neceffe eft, formam habeant), ab illius feiungamus, quae feparatio tam neceffaria tamen numquam in vllo quodam metaphyfices fyftemate facta eft, in qua illae ideae rationales cum conceptibus intellectualibus, quafi, inftar fratrum, ad familiam pertineant, fine vllo discrimine mifcentur, quae quidem confufio, quoniam nullum peculiare erat categoriarum fyftema, numquam poterat euitari.

adiiciatur, pars metaphyfices orietur mere analytica, quae nondum vllam enunciationem fyntheticam contineat, fyntheticamque partem poffet antecedere, fuaque determinata ratione plenaque non folum vtilitatem adferret, fed, per rationem, quae ei ineft, fyftematicam, praeterea certam quamdam pulcritudinem contineret.

QUAESTIONIS PRINCIPIS TRANSSCENDENTALIS

PARS TERTIA.

QUI FIERI VNIVERSE POTERIT METAPHYSICA?

§. 40.

Mathesis pura et pura physica *ad suam ipsarum certitudinem* nullius eiusmodi eguissent deductionis, qualem huc vsque vtriusque confecimus; illa enim sua ipsius euidentia nititur; altera vero, quamquam e fontibus puris orta intelligentiae, tamen experientia nititur eiusque perpetua confirmatione, cuius testimonium propterea non potest omnino repudiare, eaque carere, quoniam per vniuersam certitudinem suam, qua philosophia, numquam potest mathesi sese aequare. Vtrique scientiae inuestigatione illa haud opus erat, verum alii cuipiam scientiae, nimirum metaphysicae.

Praeter conceptus physicos, quorum semper vsus est in experientia, etiam in conceptibus puris rationalibus metaphysica versatur, qui numquam possunt in vlla quapiam, quae esse possit, experientia proponi, proinde in conceptibus, cuius obiectiua realitas (eos non solos fetus esse phantasiae), et in adsertionibus, quarum veritas vel falsitas nulla potest experientia confirmari aut aperiri, eaque pars metaphysices praeterea illa ipsa est, qua finis illius efficitur essentialis, cuius vniuersa alia duntaxat sunt in adiumentis, atque ita haec scientia eiusmodi deductione opus habet *propter se ipsam*. Quaestio tertia nobis nunc proposita attinet igitur quasi nucleum propriumque metaphysices, nempe occupationem rationis in se ipsa sola, dumque suos ipsius conceptus fouet, notitiam, quae inde proxime putatur exsistere, rerum obiectarum, ita quidem, vt

ad eam neque interuentu experientiae opus sit, nec omnino per eam ad illam queat perueniri. *)

Quae quidem quaestio nisi fuerit soluta, ratio sibimet ipsa numquam faciet satis. Vsu empirico, ad quem ratio intelligentiam puram adstringit, haud explet finem ipsius proprium et vniuersum. Quaeque experientia singula pars totius sphaerae ditionis suae, sed *totum absolutum vniuersae, quae esse potest, experientiae* ipsum nulla experientia est, et tamen necessarium problema rationis, ad cuius solam repraesentationem prorsus aliis conceptibus opus habet, quam puris istis conceptibus intelligentiae, quorum vsus solum *immanens* est, id est, experientiam spectat, quantum ea possit offerri, cum interim conceptus rationales vniuersitatem attingant, id est, vnitatem collectiuam totius, quae esse queat, experientiae, eoque datam illam ac propositam experientiam transeant, et fiant *transscendentes*.

Vti igitur intelligentia categoriis indigebat ad experientiam, ita ratio causam in se continet idearum, quas conceptus dico necessarios, quibus quae subiecta sit, res nihilominus non *potest* in vlla quapiam experientia proponi. Hae aeque sunt in natura rationis, atque illae in natura intelligentiae sitae, et, si illae speciem in se continent, qua facile possis seduci, ea species haud euitari poterit, quamquam, ne ea seducamur, facile vitari.

Cum omnis species cernatur in eo, vt ratio subiectiua iudicii pro obiectiua reputetur, rationis purae cognitio sui ipsius, in vsu suo transscendente vnum erit remedium contra errores, in quos ratio incurrit, si fi-

*) Si dici potest, scientiam quamdam certe in idea omnium hominum *exstare*, simulatque certum sit, quaestiones, quibus ad eam ducimur, cuique per naturam rationis humanae propositas esse, et proinde semper multa, quamuis vitiosa, tentamina nequeant vitari; etiam dicendum erit: metaphysicam subiectiue (et quidem necessario) exstare, ergo iure quaerimus, qui ea fieri (obiectiue) queat

nem suum praue interpretetur, eaque modo transscendente ad rem refe at per se ipsam, quae suum ipsius subiectum modo eiusque ductum attingit in vniuerso vsu immanenti.

§. 41.

Distinctio *idearum*, hoc est, purorum conceptuum rationalium, a categoriis, siue puris conceptibus intellectualibus, quippe cognitionum et genere, et origine, et vsu, maxime diuersarum, pars est tam necessaria ad constituendam scientiam, qua omnium istarum cognitionum systema debeat ex anticipatione contineri, vt, nulla eiusmodi facta separatione, nullo modo fieri queat metaphysica, vel maxime tentamen sit iners et indigestum, sine materiarum notitia, in quibus versamur, vtilitatisque eius ad hunc illumue finem aedificium cartaceum consarciendi. Quodsi critica rationis purae modo istud solum praestitisset, vt hocce discrimen prima ob oculos posuisset, iam eo ipso plus ea ad illustrandum conceptum nostrum, ducendamque inuestigationem in campo metaphysices contulisset, quam omnes conatus inanes quaestionum transscendentium rationis purae soluendarum, qui vsquequaque suscepti sunt, neque vmquam reputatum est, in longe alio hic campo quaeri, quam intelligentiae, et proinde conceptus intellectuales et rationales, quasi forent degenere eodem, vno tenore recitati.

§. 42.

Omnium cognitionum purarum intellectualium hoc proprium videtur, vt conceptus earum proponi in experientia possint, decretaque per experientiam confirmari; contra cognitiones rationales transscendentes, neque quoad *ideas* proponi in experientia possunt, neque *decreta* vmquam per experientiam confirmari nec refutari; vnde in eo fortasse error irrepens nulla re alia, quam ipsa ratione pura, poterit aperiri, quod vero difficillimum est, quoniam haec eadem ratio per ideas suas per naturam rei dialectica efficitur, atque haec

ſpecies ineuitabilis nullis inueſtigationibus rerum obiectiuis ac dogmaticis, ſed ſolis ſubiectiuis, rationis ipſius vtpote idearum fonte, poteſt coërceri.

§. 43.

Semper mihi in critica in primis fuit propoſitum, vt non ſolum genera cognitionum diligenter discernerem, verum etiam ſolus poſſem, qui ad quodque earum pertinent, conceptus ex fonte communi deriuare, quo non et ſolum, quod, vnde oriantur, edoctus vſum eorum certo poſſem determinare, verum etiam inopinatum, ſed praeclarum commodum adipiſcerer, plenum numerum in recenſendis ordinandisque ac deſcribendis conceptibus ex anticipatione, proinde ex principiis cognoſcendi. Quod ſi fieri nequeat, omnia in metaphyſica verſantur in rhapſodiis, vbi nemo nouit, vtrum eorum, quae poſſideas, ſatis ſit, an num, et vbi, adhuc quidquam deſit. Sane quidem huiuſce commodi tantummodo copia erit in philoſophia pura, cuius quidem illo eſſentia efficitur.

Cum categoriarum originem in quatuor iſtis functionibus logicis omnium intelligentiae iudiciorum inveniſſem, non mirum erat, ſi idearum ortum in tribus illis ratiocinationum functionibus quaererem; namque datis ſemel atque oblatis eiusmodi conceptibus rationalibus puris (ideis transſcendentalibus), potuerint illi quidem, niſi innatos iſtos mentibusque inſculptos putaveris, nuſpiam fere alibi, quam in eadem functione rationis, offendi, quae, quatenus ſolam formam attinet, naturam logicam conſtituit ratiocinationum, quatenus autem iudicia intelligentiae vnius alteriusue formae ex anticipatione determinata repraeſentat, conceptus rationis purae efficit transſcendentales.

Discrimine ratiocinationum formali diuiſio earum in categoricas, hypotheticas, et diſiunctiuas, neceſſaria redditur. Conceptus rationales in ea conſtituti proinde in ſe continent ideam ſubiecti abſoluti (ſubſtantiale), deinde ideam ſeriei conditionum abſolutae, tertio de-

terminationem omnium conceptuum in idea cuiuspiam abfoluti complexus eorum, quae effe poffunt.*) Prima idea fuit phyfiologica, altera cosmologica, tertia theologica, cumque vniuerfae tres, fuo tamen quaeque peculiari modo, anfam praebeant dialecticae, factum eft, vt diuifio vniuerfae dialectices rationis purae niteretur paralogismo, antinomia, et denique ideali illius, qua deriuatione prorfus certi reddimur, omnia rationis purae iura hic prorfus plena proponi, et ne vllum quidem poffe deeffe, quoniam ipfam rationalem facultatem, ex qua vniuerfam originem ducunt, iis totam dimetimur.

§. 44.

In hacce contemplatione in vniuerfum praeterea notatu dignum videtur: ideas rationales haud fere, vti categorias, nobis ad vfum intelligentiae refpectu experientiae quidpiam prodeffe, fed ratione illius prorfus fuperuacaneas effe, atque adeo defideriis cognitionis rationalis aduerfarias naturae atque impedimento videri, nihilominus tamen alio refpectu adhuc determinando neceffarias. Anima fubftantia fimplex fit necne, id quidem ad enodanda illius phaenomena nihil prorfus quidquam intereffe poteft; neque enim vlla, quae effe poteft, experientia conceptum naturae fimplicis ad fenfum reuocare poffumus, nec proinde in fingulo explicare, atque ita, ratione vniuerfae perfpicientiae fperatae cauffae phaenomenorum, prorfus inanis eft, neque

*) In iudicio disiunctiuo *vniuerfa poffibilitas*, refpectu ad certum quemdam conceptum habito, tamquam diuifa confideratur. Principium ontologicum determinationis perpetuae cuiusdam rei in vniuerfum (ex omnibus, quae fieri poffint, praedicatis contrariis cuique rei vnum competit), quod idem principium eft iudiciorum omnium disiunctiuorum, complexum vniuerfae poffibilitatis conftituit, in quo poffibilitas rei vniuerfe tamquam determinatior contemplatur. Hic aliquantum facit ad illuftrandam fententiam illam fuperiorem: functionem rationis in ratiocinationibus disiunctiuis quoad formam eamdem effe cum ea, qua ideam complexus conficit vniuerfae realitatis, quae pofitiuum in fe continet praedicatorum omnium inuicem contrariorum.

principio inferuire poterit explicandi ea, quae experientia interna vel externa fubminiftrat. Aeque minus ideae cosmologicae de initio mundi vel aeternitate (a parte ante) nobis quidquam poterunt conferre ad vllum quodpiam in ipfo mundo euentum ex iis enodandum. Tandem, fecundum veram philofophiae naturalis regulam, ab omni nobis explicatione conftitutionis phyficae e voluntate entis cuiusdam fummi ductae, temperandum videtur, propterea quod hoc non amplius philofophia naturalis eft, fed confeffio de terminis noftrae cognitionis. His itaque ideis longe alius finis eft fui vfus, quam iftis categoriis, quibus, quaeque in iis conftituta funt, decretis efficitur, vt effe demum queat experientia. Interim tamen laboriofa noftra intelligentiae analytica, fi nihil aliud nobis propofitum fuerit, quam fola cognitio phyfica, prout ea in experientia poterit proponi, prorfus foret fuperuacanea; namque cum in mathefi tum phyfica, etiam fine vlla hac deductione fubtili, munere fuo ratio certo beneque fungitur: ergo noftra intelligentiae critica cum ideis rationis purae ad finem confpirat, vltra omnem vfum intelligentiae empiricum conftitutum, quem tamen fupra diximus hoc refpectu nullo modo poffe fieri, omnique re obiecta feu fignificatione carere. Nihilominus tamen eorum, quae ad naturam rationis pertinent atque intelligentiae, neceffe eft, confpirationem effe, illamque ad huius perfectionem conferre, nec fieri poteft, vt eam confundat.

Huiufce quaeftionis haec folutio eft: rationi purae in ideis fuis non propofitae funt res obiectae peculiares, vltra campum experientiae fitae, fed poftulat modo vniuerfitatem vfus intelligentiae in contextu experientiae. Haec vniuerfitas autem effe duntaxat vniverfitas poteft principiorum, non vero vifionum rerumque obiectarum. Nihilominus, vt illa determinate repraefententur, cogitatione fibi ea informat tamquam cognitionem cuiusdam obiectae rei, cuius cognitio ratione regularum illarum plene determinata fit, fed ea

res obiecta modo est idea, vt cognitio intellectualis perfectioni, quam illa idea designat, quantum fieri possit, appropinquetur.

§. 45.

PRAEVIA ANIMADVERSIO

AD DIALECTICAM RATIONIS PURAE.

Supra §. 33. et 34. ostendimus, puritate categoriarum ab omni admixtione determinationum sensibilium rationem posse seduci ad vsum vltra omnem experientiam, ad res per se ipsas, prorsus extendendum, quamvis, cum ipsae nullas visiones inueniant, quibus vim sensumque in singulo possent accipere, eae, qua solae functiones logicae, rem vniuerse quidem repraesentent, per se autem solae nullum determinatum vllius rei cuiuspiam conceptum possint suppeditare. Eiusmodi obiectae res hyperbolicae dicuntur *noumena* siue entia pura intellectualia (melius entia rationis), velut *substantia*, quae vero sine *constantia* in tempore cogitetur, vel *causa*, quae vero *haud in tempore* efficiat, et caetera generis eiusdem, quibus attribuuntur praedicata, quae hoc modo agunt, vt esse conuenientia queat experientiae, et nihilominus vniuersae visionis conditiones, quibus solis efficitur, vt esse possit experientia, iis adimuntur, quo fit, vt illi conceptus omnem rursus significationem amittant.

Nec vero metuendum videtur, intelligentiam sponte, neque legibus alienis coactam, vltra terminos suos, temere in campum solorum entium rationis euagaturam. Cum vero ratio, nullo regularum intellectualium vsu empirico, quippe qui semper aliunde pendet, prorsus contenta, absolutionem huiusce conditionum catenae postulat, tum intelligentia pellitur e gyro, vt partim res experientiae subiectas in serie tam late patente repraesentet, cuiusmodi nulla prorsus potest experientia complecti, partim adeo (ad eam perficiendam)

penitus extra eam *noumena* quaerat, ad quae catenam illam iungere possit, eoque a conditionibus experientiae tandem aliquando libera, eam absoluere. Illud igitur ideae sunt transscendentales, quae, siue ex vero, sed ignoto, sine constitutionis naturalis rationis nostrae, haud conceptus spectent transscendentes, sed solum infinitum vsum experientiae, tamen per speciem ineuitabilem intelligentiae vsum eliciunt *transscendentem*, qui, quamquam fallax, tamen nullo consilio potest intra terminos experientiae retineri, sed sola institutione docta ac difficulter in ordinem redigi.

§. 46.

I. IDEAE PSYCHOLOGICAE.

(Crit. rat. pur. pag. 261. seq.)

Iam dudum animaduersum est, nobis in vniuersis substantiis proprium subiectum, nempe id, quod, cunctis accidentibus (qua praedicatis) separatis, relinquitur, proinde ipsum *substantiale* ignotum esse, iisque de carceribus perspicientiae nostrae multae sunt multorum querelae exauditae. In quo quidem probe notandum est, intelligentiae humanae non esse vitio vertendum, quod ea substantiale rerum ignoret, id est, per se solam nequeat determinare, potiusque propterea inculpandam, quod illud, qua solam ideam, instar datae cuiusdam rei obiectae determinatum, cupiat cognoscere. Ratio pura postulat, vt ad quodque cuiusquam rei praedicatum suum cuiusque subiectum, ad hoc autem, quod necessario vicissim in praedicato duntaxat versatur, porro subiectum, et sic in infinitum (aut quoad nos pertinuerimus) quaeramus. Hinc autem sequitur, nihil nobis, quo peruenire queamus, pro vltimo subiecto habendum esse, ipsumque substantiale ab intelligentia nostra vel maxime profunde penetrante posse, si vel vniuersa ipsi natura fuerit aperta, cogitari; propterea quod singularis natura intelligentiae nostrae in eo cernitur, vt omnia discursiue, id est, per conceptus, pre-

inde et per mera praedicata cogitet, ad quod proinde ſubiectum abſolutum, neceſſe eſt, ſemper deeſſe. Idcirco omnes proprietates reales, quibus corpora cognoſcimus, in meris accidentibus verſantur, vel ratio imperuia, quae ſemper modo qua effectum cuiuspiam virtutis cogitanda eſt, cuius nobis ſubiectum deſit.

Ac videmur quidem in conſcientia noſtri ipſius (ſubiecto cogitante) hoc ſubſtantiale tenere, idque in viſione quadam proxima; namque vniuerſa praedicata ſenſus interni ſpectant illud *ego*, qua ſubiectum, neque hoc vlterius poteſt vt praedicatum vllius cuiuspiam ſubiecti cogitari. Ergo hic vniuerſitas in relatione conceptuum datorum qua praedicatorum ad quoddam ſubiectum, non mera idea videtur, ſed res obiecta, nempe *ſubiectum abſolutum* ipſum, in experientia eſſe propoſitum. Sed ea ſpes fallitur. Namque illud *ego* in nullo prorſus conceptu *) verſatur, ſed modo in deſignatione rei ſenſui interno ſubiectae, quatenus nullo illud praedicato vlterius cognoſcimus, proinde per ſe quidem eſſe haud praedicatum poteſt rei alius cuiuspiam, ſed aeque minus conceptus determinatus ſubiecti cuiusdam abſoluti, ſed modo, vti vniuerſis aliis temporibus, relatio phaenomenorum intimorum ad ignotum eorum ſubiectum. Nihilominus haec idea (qua commode vti poteris, qua principio regulatiuo, vt omnes explicationes materialiſticae internorum animae noſtrae phaenomenorum prorſus euertantur) ex errore prorſus naturali anſam praebet argumento cuidam admodum ſpecioſo, vt ex hac putatitia cognitione ſubſtantialis eſſentiae cogitantis noſtrae, natura illius, quatenus cognitio eius prorſus extra experientiae complexum cadit, concludatur.

*) Si repraeſentatio apperceptionis. illud *ego*, foret conceptus, quo vllum quidpiam cogitaretur, poſſet etiam vt praedicatum de aliis rebus vſurpari, aut eiusmodi praedicata in ſe cohiberet. Iam nihil quidquam aliud eſt, niſi ſenſus cuiuspiam exiſtentiae ſine vllo conceptu, et modo repraeſentatio eius, ad quod omnis cogitatio adfecta tenetur (relatione accidentis).

§. 47.

Hoc ipſum cogitans (anima) vel qua vltimum cogitationis ſubiectum, quod ipſum amplius nequeat qua praedicatum alius rei cuiuspiam repraeſentari, ſubſtantiam vocaueris: tamen hic conceptus prorſus inanis manet, omnique conſequentia deſtitutus, niſi de eo conſtantia poſſit, tamquam id, quo ſubſtantiarum conceptus in experientia vtilis reddatur, euinci.

Sed conſtantia numquam poteſt e conceptu ſubſtantiae, qua rei per ſe, ſed tantum in gratiam experientiae, probari. Id quod in prima analogia experientiae abunde probatum eſt (crit. rat. pur. p. 151.), et, ſi huic argumento cedere nolueris, ipſe periculum facias, an ſuccedat, ſi e conceptu ſubiecti, quod ipſum non qua praedicatum rei alius cuiuspiam exſtet, exſiſtentiam eius probes neceſſario conſtantem eſſe, illudque nec per ſe ipſum poſſe, nec per vllam quampiam cauſam phyſicam, oriri aut interire. Eiusmodi enunciationes ſyntheticae ex anticipatione numquam per ſe poſſunt, ſed ſemper duntaxat in relatione ad res, qua experientiae, quae eſſe queat, ſubiectas, probari.

§. 48.

Quodſi igitur e conceptu animae qua ſubſtantiae ad eius conſtantiam velimus concludere: tamen hoc tantummodo in gratiam experientiae poſſibilis de ea poterit, non qua re per ſe ipſa et vltra omnem, quae poſſit eſſe, experientiam valere. Atqui conditio ſubiectiua vniuerſae noſtrae poſſibilis experientiae vita eſt: ergo ad conſtantiam animae poteſt tantummodo in vita concludi, ſi quidem mors hominis finis eſt experientiae vniuerſae, quod animam qua rem ei ſubiectam attinet, niſi probetur contrarium, de quo ipſo quaeſtio eſt. Ergo conſtantia animae duntaxat in vita hominis (cuius probationem nobis, opinor, conceſſum iri) poteſt, non vero poſt mortem (quod ſcilicet proprie quaerimus), euinci, et quidem ex vniuerſali ratione, quia conceptus ſubſtantiae quatenus cum conceptu conſtantiae neceſſario

coniunctus debeat spectari, hoc esse tantummodo ex decreto experientiae possibilis poterit, et proinde etiam duntaxat in gratiam illius. *)

§. 49.

Perceptionibus nostris externis quiddam, quod extra nos in veritate rerum appareat, non solum respondere, verum etiam respondere oportere, itidem numquam qua coniunctio rerum per se ipsarum potest, sed in gratiam experientiae, probari. Id quod hanc vim habet: quoddam empirice, proinde qua phaenomenon in spatio extra nos esse, facile euinci potest; namque cum aliis rebus, quam quae ad experientiam possibilem pertinent, nobis nihil negotii est, ob eam ipsam

*) Sane quidem admodum notatu dignum videtur, metaphysicos vsquequaque tam supine decretum constantiae substantiarum tractasse, vt ne vmquam illius tentarent probationem; sine dubio propterea hoc factum est, quoniam, simulatque cum conceptu substantiae inciperent, omni se ratione destitutos viderent. Intelligentia communis, facile sentiens, sine hac sumtione fieri nullam posse perceptionum in experientia coniunctionem, expleuit huncce defectum postulato quodam: neque enim ex ipsa vmquam poterat experientia hocce decretum deduci, partim quia materias (substantias) in omnibus mutationibus earum ac solutionibus, haud eo vsque potest persequi, vt materia semper haud deminuta deprehendatur, partim quoniam decretum istud continet *necessitatem*, quae semper insigne est principii cuiuspiam ex anticipatione. Iam hocce decretum fidenter adhibuere ad conceptum animae tamquam cuiuspiam *substantiae*, ad durationemque illius necessariam post mortem hominis concluserunt (praesertim cum simplicitas huiusce substantiae, quae ex ratione elicitur indiuidua conscientiae, de interitu ex solutione caueret). Quodsi verum huiusce decreti fontem aperuissent, quod vero longe profundiores indagationes postulabat, quam vmquam animus esset instituere, visuri fuissent: illam legem constantiae substantiarum in gratiam duntaxat experientiae locum habere, proinde modo ad res, quatenus agnosci in experientia debeant cum aliisque coniungi, numquam vero ad eas, vel nullo respectu habito experientiae possibilis, proinde quoque nec de anima posse post mortem valere.

caufam, quoniam nobis non poffunt in vlla experientia proponi, et proinde nobis nihil funt. Empirice extra me effe dicitur, quod in fpatio confpicitur, cumque hoc cum omnibus, quae continet, phaenomenis, ad perceptiones pertineat, quarum coniunctio ex legibus empiricis aeque veritatem earum obiectiuam probet, quam coniunctio phaenomenorum fenfus interni exfiftentiam animae meae (qua rei fenfui interno obnoxiae), pariter ope experientiae internae mihi confcius fum exfiftentiae corporum, quam phaenomenorum externorum in fpatio, vti interuentu experientiae internae exfiftentiae confcius fum animae meae in tempore, quam etiam tantummodo qua rem fenfui interno obnoxiam, per phaenomena, quibus ftatus efficitur interior, cognofco, cuiusque natura ipfa, quae his phaenomenis fundamento fubeft, ignota videtur. Idealismus Cartefianus igitur duntaxat experientiam externam difcernit a fomnio, et ordinem, vtpote criterium veri prioris, a peruerfitate falfaque fpecie pofterioris. In ambobus fpatium tempusque fumit qua conditiones exfiftentiae rerum obiectarum, et modo quaerit, an res fenfibus externis propofitae reapfe in fpatio inueniantur, quas vigilantes in eo ponimus, quemadmodum res fenfui interno fubiecta, anima, vere in tempore fit, id eft, an experientia certa in fe criteria cohibeat diftinctionis ab opinione. Atque hoc loco facile difpelli dubium poterit, illudque in vita communi eo femper difpellimus, vt coniunctionem phaenomenorum in ambobus fecundum leges experientiae vniuerfales anquiramus, neque, repraefentatione externarum rerum perpetuo confpirante, dubitare poffumus, quin vera iis experientia efficiatur. Igitur idealismus materialis, cum phaenomena qua phaenomena tantummodo fecundum coniunctionem fuam in experientia confiderantur, facile poterit conuelli, itidemque certa experientia eft, corpora extra nos (in fpatio) exftare, quam me ipfum, ex repraefentatione fenfus interni (in tempore) adeffe: namque conceptus: *extra nos*, folam notat exfiftentiam in fpatio. Cum autem illud ego, in enunciatione: *ego fum*, non

folum rem vifioni internae fubiectam (in tempore) denotet, fed confcientiae fubiectum, quemadmodum corpus non folum vifionem externam (in fpatio), verum etiam rem *per fe ipfam*, quae huic phaenomeno fundamento eft, defignat; quaeftio: an corpora (qua phaenomena fenfus externi) *extra cogitationem meam* qua corpora exftent, fine vlla dubitatione poteft in natura rerum negari; verum in eo quidem longe aliter comparatum cum quaeftione eft, an ego ipfe *qua phaenomenon fenfus interni* (anima fecundum pfychologiam empiricam) extra facultatem repraefentandi meam in tempore exftem, haec enim pariter neganda videtur. Sic omnia, fi ad verum fenfum reuocentur, decifa funt et certa. Idealismus formalis (quem alias transfcendentalem dico) reapfe tollit materialem fiue Cartefianum. Namque fi fpatium nihil eft nifi forma facultatis meae fenfitiuae, illud qua repraefentatio tam vere in me exftat, quam ego ipfe, et de veritate modo empirica phaenomenorum in eo agitur. Quod fi non ita fit, fed fpatium et in illo phaenomena aliquid fint, quod extra nos exftet, vniverfa experientiae criteria extra perceptionem noftram numquam poterunt exfiftentiam harum rerum obiectarum extra nos probare.

§. 50.

II. IDEAE COSMOLOGICAE.

(Crit. rat. pur. p. 285.)

Hocce effectum rationis purae in vfu transfcendente euentum eft eius notatu digniffimum, quod maxime omnium vim fuam exferit, vt philofophia ex fopore fuo dogmatico excitetur, ad ipfumque opus arduum critices rationis purae adducatur.

Hanc ideam propterea cosmologicam dico, quod rem obiectam femper fibi in mundo fenfibili proponit, nullaque alia opus habet, quam cuius res obiecta in fenfus cadat, proinde eatenus immanens eft, nec trans-

fcendens, proinde vsque eo nondum idea eſt; contra animam cogitatione vt ſubſtantiam ſimplicem informare, perinde eſt, ac rem obiectam cogitare (ſimplex), cuiusmodi nullo pacto ſenſibus res poſſunt proponi. Nihilominus tamen idea cosmologica coniunctionem eius, quod adſtrictum pendet cum conditione ſua (ſiue haec mathematica ſit, ſiue dynamica), adeo amplificat, vt experientiam numquam poſſit eam adſequi, ideoque ratione huius puncti ſemper idea eſt, cuius res obiecta numquam queat in vlla quapiam experientia adaequate proponi.

§. 51.

Ac primum hic vtilitas ſyſtematis categoriarum tam perſpicue patet ac dilucide, vt, etiamſi haud plura eius argumenta forent, hoc ſolum earum neceſſitatem in ſyſtemate rationis purae ſatis euinceret. Eiusmodi idearum transſcendentium haud plures ſunt, quam quatuor, quippe quot claſſes ſunt categoriarum; in quaque illarum ſpectant modo vniuerſitatem abſolutam ſeriei conditionum ad propoſitum quiddam inde pendens ad conditionemque adſtrictum. His ideis cosmologicis conuenienter quatuor quoque ſpecies ſunt adſertionum dialecticarum rationis purae, quae, cum dialecticae ſint, eo ipſo probant, vnicuique illarum, ex principiis rationis purae aeque ſpecioſis, contrariam ei eſſe repugnantem, quae pugna nulla poterit arte metaphyſica diſtinctionis ſubtiliſſimae vitari, ſed quae cogit philoſophum, vt ad primos rationis purae fontes ipſos reuertatur. Quae quidem haud fere arbitratu excogitata, ſed in natura rationis humanae fundata, proinde ineuitabilis et nullo vmquam tempore ceſſans antinomia haec enunciata continet cum ſuis contrariis.

1.

Thefis.

Mundus quoad tempus et fpatium habet initium (terminos).

Antithefis.

Mundus quoad tempus fpatiumque eft infinitus.

2.

Thefis.

Vniuerfa in mundo conftant e fimplicibus.

Antithefis.

Nihil quidquam fimplex eft, fed omnia funt compofita.

3.

Thefis.

In mundo caufae funt per *libertatem.*

Antithefis.

Nulla eft libertas, fed vniverfa funt *natura.*

4.

Thefis.

In ferie caufarum mundi vlla quaepiam *natura neceffaria* eft.

Antithefis.

Nihil in mundo neceffarium eft, verum *vniuerfa* in hac ferie *funt fortuita.*

§. 52.

Hic igitur rariffimum humanae rationis euentum eft, cuius alibi nufpiam exemplum poteft in vllo quopiam illius vfu oftendi. Si, quod fieri folet, phaenomena mundi fenfibilis vt res cogitemus per fe ipfas, fi decreta coniunctionis illorum, vt quae vniuerfe de rebus per fe ipfis nec modo de experientia valeant, accipia-

mus, quod quidem consuetum est, quia sine critica nostra necessarium et ineuitabile, pugna emergit haud opinata, quae numquam potest in consueta via dogmatica componi, quoniam et thesis et antithesis argumentis aeque perspicuis, quaeque eamdem vim adferant, possunt probari - nam de veritate horum argumentorum omnium cauebo - alioque tum ab se ipsa sese sentit diffidere, de quo quidem scepticus triumphat, sed philosophus criticus, necesse est, ad inuestigationem rapiatur.

§. 52. b.

Multifariam poteris in metaphysica circumuagari, neque tamen metuere, ne in errore deprehendare. Etenim, si modo haud tecum ipse pugnes, quod sane potest fieri in enunciationibus syntheticis, quamuis prorsus commentitiis: in omnibus caussis eiusmodi, vbi conceptus, quos coniungimus, merae ideae sunt, quae neutiquam possunt (quoad totam earum materiam) in experientia proponi, numquam poterimus per experientiam confutari. Qui enim per experientiam decernas: vtrum mundus ex aeterno sit, an initium habeat; an materia in infinitum diuidua sit; an partibus simplicibus constet? eiusmodi conceptus in nulla possunt, et vel, quantum fieri possit, maxima experientia proponi, proinde nec falsitas enunciationis aientis negantisue hoc Lydio lapide potest aperiri.

Vno tantum modo fieri posset, vt ratio dialecticam suam arcanam, quam falso dogmaticam vendit, inuita aperiret, si ea scilicet in principio quodam vniuersali concessoque adsertionem constitueret, atque ex alio quodam itidem certo argumentatione exquisitissima ipsum contrarium concluderet. Quod quidem hic vere accidit, et quidem respectu quatuor idoarum rationis naturalium, vnde adsertiones quatuor ex vna parte, totidemque adsertiones contrariae ex parte altera, quaeque cum iusta consequentia ex decretis, vniuerse concessis, oriuntur, eoque speciem dialecticam rationis purae in hisce decretis vtendis aperiunt, quae alias aeternum abscondita mansisset.

Hic igitur manifesto falsitatem deprehendimus, in sumtionibus rationis absconditam. *) Duarum enunciationum repugnantium ambae non possunt simul falsae esse, nisi conceptus ipse, qui iis fundamento subest, repugnet; velut enunciationes duae: circulus quadratus est rotundus, et circulus quadratus non est rotundus, ambae sunt falsae. Quod enim attinet illam priorem, falsum est, quadratum circulum rotundum esse, propterea quod is est quadratus; sed itidem falsum est, eum non rotundum esse, hoc est angulosum, quoniam circulus est. In eo enim nota logica impossibilitatis cuiusdam conceptus cernitur, quod ea sumta duae enunciationes pugnantes simul falsae forent, proinde, cum nullum quiddam tertium inter eas cogitando possit interiici, illo conceptu *nihil omnino quidquam* cogitatur.

§. 52. c.

Iam duabus prioribus antinomiis, quas mathematicas dico, quoniam in addendis diuidendisue versantur similibus, eiusmodi conceptus pugnans fundamento subest; atque inde demonstro, qui fiat, vt et thesis et antithesis in vtraque falsa videatur.

Cum de obiectis rebus in tempore spatioque loquor, tum non de rebus loquor per se ipsis, eo quod de his nihil quidquam noui, sed modo de rebus in phaenomeno, id est, de experientia, qua peculiari parte cognitionis rerum obiectarum, soli homini concessa. Quidquid igitur in spatio cogito aut tempore, de eo non dicen-

*) Lectorem criticum in hac antinomia potissimum velim versari, quoniam eam natura ipsa videtur proposuisse, vt ratio in sententiis audacter arrogatis ad se reuocaretur, ad se ipsamque examinandam cogeretur. Quodque argumentum ad probandum et thesin et antithesin a me allatum polliceor defendere ac tueri, eoque certitudinem antinomiae rationi ineuitabilis euincere. Sic lector miro euento eo adductus fuerit, vt ad examinandam, quae fundamento est, sumtionem regrediatur, sese coactum sentiet, prima vniversae cognitionis ex ratione pura stamina profundius mecum anquirere.

dum eſt: per ſe ipſum, etiam ſine hac cogitatione mea, in ſpatio ac tempore eſſe; tum enim mihi ipſi repugnarem; quoniam ſpatium tempusque, cum phaenomenis in ſe, nihil quidquam ſunt per ſe ipſum, quodque extra repraeſentationes meas exſtet, ſed ſolae repraeſentationum ſpecies ſunt, aperteque pugnat, ſi dicas, ſolam repraeſentationum ſpeciem etiam extra repraeſentationes noſtras exſtare. Igitur res ſenſibus obnoxiae exſtant modo in experientia; contra et ſine ea, aut ante eam, peculiarem iis et in ſeſe conſiſtentem exſiſtentiam attribuere, idem eſt, ac cogitare, experientiam etiam ſine experientia eſſe, aut ante ſe exſtare.

Si igitur quantitatem mundi, quoad ſpatium tempusque, quaero, per vniuerſos conceptus meos fieri itidem non poterit, vt eum infinitum dicam, atque finitum. Neutrum enim in experientia poteſt eſſe contentum, quoniam neque ſpatii *infiniti*, neque temporis infiniti praeterlapſi, neque mundi ſpatio inani *circumſcripti*, aut tempore vacuo antegreſſo, fieri vllo modo experientia poteſt; haec ſunt ſolum ideae. Ergo in mundo ipſo quantitatem eius vno alteroue modo determinatam ineſſe, neceſſe foret, atque ab vniuerſa experientia ſeparatam. Verum hoc pugnat cum conceptu mundi ſenſibilis, qui duntaxat complexus eſt phaenomeni, cuius exſiſtentia coniunctioque in ſola repraeſentatione, nempe experientia, locum habet, ſi quidem non res per ſe ipſa eſt, ſed ipſe nihil eſt, niſi genus repraeſentationum. Hinc cogitur, vt, cum conceptus mundi ſenſibilis per ſe exſtantis ſibi ipſe repugnet, ſolutio problematis de quantitate illius quoque ſemper falſa ſit, ſiue aiendo illam tentaueris, ſiue negando.

Id quod et de altera antinomia valet, quae diuiſionem attingit phaenomenorum. Haec enim ſolae repraeſentationes ſunt, partesque exſtant tantummodo in repraeſentatione illorum, proinde in diuiſione, hoc eſt, in quadam poſſibili experientia, in qua ea proponuntur, illaque haud longius progreditur, quam quo haec pertinuerit. Sumere, phaenomenon quodpiam,

velut corporis, omnes partes ante vniuersam experientiam in se ipso continere, ad quas, cuius vmquam fieri copia queat, experientia possit pertinere, idem erit, atque mero phaenomeno, quod modo in experientia exstare potest, tamen simul propriam experientiae praegressam exsistentiam tribuere, aut si dicas, solas adesse repraesentationes, antequam in facultate repraesentatiua inueniantur, id quod pugnat, ideoque et quaeque solutio problematis male intellecti, siue corpora per se partibus effici infinite multis adseras, aut numero partium simplicium finito.

§. 53.

In prima classe antinomiae (mathematica) falsitas sumtionis in eo fuit: vt, quae pugnant (velut phaenomenon qua res per se ipsa), coniungi in quodam conceptu posse, cogitaretur. Quod autem alteram attingit antinomiae classem, nempe dynamicam, falsitas sumtionis in eo cernitur: vt, quae coniungi possunt, qua pugnantia cogitentur, ergo, cum illic ambae adsertiones contrariae essent falsae, hic rursus eae, quae per solum errorem inuicem sibi opponantur, esse verae queant.

Nimirum coniunctione mathematica necessario ponitur similitudo eorum, quae coniuncta sunt (in conceptu quantitatis), quod quidem dynamica nullo modo postulat. Si de quantitate extensi agatur, omnes sui inuicem partes totiusque similes sint, oportebit; contra in coniunctione causae atque effecti etiam poterit similitudo deprehendi, verum ea haud est necessaria; namque conceptus causalitatis (cuius ope per aliquid ponitur quoddam prorsus diuersum) certe eam neutiquam postulat.

Quodsi obiectae res mundi sensibilis pro rebus caperentur per se ipsis, legesque physicae, quas supra diximus, pro legibus rerum per se ipsarum, repugnantia non posset vitari. Pariter, si subiectum libertatis, quemadmodum caeterae res obiectae, qua sola phaeno-

mena repraesentaretur, itidem haud posset repugnantia vitari, si quidem idem de eadem re obiecta eodem sensu simul adfirmaretur, et negaretur. Quodsi autem necessitas physica ad sola referatur phaenomena, libertasque modo ad res per se ipsas, nulla exsistet repugnantia, etiamsi vtrumque effectionis caussarum genus accipias vel concedas, vtcumque difficile fuerit aut impossibile hanc posteriorem demonstrari.

In phaenomeno quodque effectum euentum est, siue aliquid, quod fit in tempore; ante illud, ex vniuersalibus legibus physicis praegredi debet determinatio effectionis causae illius (status eius), quam illud sequitur ex lege sempiterna. Verum haec determinatio causae ad effectionem quiddam etiam esse debet, *quod* eueniat siue *fiat;* causam, necesse est, *incepisse agere;* neque enim alias inter illam et effectum nulla posset cogitari successio. Effectum semper fuisset, sicut causae effectio. Ergo in phaenomenis etiam, oportebit, *determinationem* caussae *ad efficiendum*, ortam esse, ideoque perinde, atque effectum illius, euentum esse, quae rursus debeat causam habere, et sic porro, et proinde necessitatem physicam esse conditionem, qua causae efficientes determinentur. Contra ea vero si libertas esse debeat proprietas certarum quarumdam causarum phaenomenorum, necesse est, vt, cum his comparata, qua euentis, in facultate cernatur, ea *sponte* incipiendi, hoc est, ita, vt effectioni causae haud ipsi incipiendum foret, ideoque nullius alius causae initium determinantis indigeret. Tum autem, necesse foret, *causam*, quoad effectionem suam, non subesse determinationibus chronicis sui status, hoc est, *nullum* prorsus *phaenomenon* esse, hoc est, illud, qua rem per se ipsam, sed *effecta* sola qua *phaenomena* accipi debere.*) Si eiusmo-

*) Idea libertatis obtinet solummodo in relatione *intellectualis*, qua causae, ad *phaenomenon*, qua effectum. Itaque materiae ratione actionis illius perpetuae, qua spatium complet, non possumus libertatem attribuere, quamuis haec actio fiat ex principio quodam interno. Aeque minus naturis puris

di vis contagioque naturarum intellectualium in phaenomenis sine repugnantia possit cogitari, vniuersae quidem coniunctione causae effectiue in mundo sensibili necessitas physica adhaerebit, contra ea vero illi caussae, quae ipsa haud phaenomenon est (quamuis ei fundamento subsit), libertas concedi potest, proinde natura et libertas vni eidemque rei, sed diuerso respectu, primo qua phaenomeno, deinde qua rei per se ipsi, sine repugnantia attribui.

Facultatem in nobis habemus, quae non solum cum rationibus suis subiectiue determinantibus, quae causae physicae sunt actionum illius, in coniunctione versatur, atque eatenus facultas naturae est, quae ipsa pertinet ad phaenomena, verum etiam ad rationes obiectiuas, quae merae ideae sunt, refertur, quatenus hanc facultatem queant determinare, quae coniunctio verbo *debere* exprimitur. Haec facultas vocatur *ratio*, et quatenus naturam quamdam (hominem) ex sola hac ratione obiectiue determinabili consideremus, non poterit qua natura sensitiua spectari, verum illa proprietas cernitur in proprietate rei per se ipsius, cuius possibilitas, quomodo nimirum istud *debere*, quod tamen numquam factum est, actionem eius determinet, caussaque esse actionum possit, cuius effectum sit phaenomenon, nullo modo possumus comprehendere. Interim tamen

rationalibus, verbi gratia deo, quatenus eius actio immanens sit, nullum possumus libertatis conceptum consentaneum inuenire. Eius enim actio, vt libera ab omni causa externa determinante, tamen est in ratione eius aeterna, proinde in *natura* diuina, determinata. Tum demum, si per actionem *aliquid* debeat *incipere*, proinde effectum in serie temporis, ergo in mundo sensibili, deprehendi debeat (velut initium mundi), quaestio oritur: an ipsa causae effectio etiam possit incipere, neque ipsa eius effectio incipiatur. Si prius fuerit, conceptus huiusce effectionis conceptus est necessitatis physicae, si posterius, libertatis. Ex quo lector intelliget, me, cum libertatem definirem euentum sponte incipiendi, accurate conceptum tetigisse, quo problema efficitur metaphysices.

rationis effectio ratione effectorum in mundo fenfibili libertas foret, quatenus *rationes obiectiuae*, quae ipfae ideae funt, ratione earum fpectentur vt determinantes. Earum enim actio tum non in fubiectiuis, proinde nullis conditionibus chronicis, haereret, neque ideo ab lege phyfica penderet, quae facit ad has determinandas, quoniam argumentis rationis vniuerfe, ex principiis, fine vi et contagione temporum et locorum, regula actionibus praecipitur.

Quae hoc loco attuli, faciunt modo inftar exemplorum ad intellectum, neque neceffario pertinent ad noftram quaeftionem, quae, libere a proprietatibus, quas in mundo vero offendimus, e folis eft conceptibus decidenda.

Iam fine omni pugna dicere poffum: omnes actiones naturae rationisque, quatenus phaenomena funt (in vlla quapiam experientia deprehenduntur), neceffitati phyficae fubfunt: eaedem actiones autem, folum cum fubiecto ratione praedito comparatae, eiusque facultate ex fola ratione agendi, liberae videntur. Quid enim ad neceffitatem phyficam requiritur? Nihil nifi ratio determinabilis cuiusque euenti mundi fenfibilis, ex legibus perpetuis, proinde relatio ad caufam in phaenomeno, in quo, quae fundamento fubeft, res ipfa per fe, eiusque effectio manet ignota. Ego vero dico; *lex phyfica* manet, fiue natura rationali ex ratione, proinde ex libertate, caufa fit effectuum mundi fenfibilis, fiue haec haud ex caufis rationalibus determinet. Namque, fi prius erit, actio fit ad regulas fubiectiuas, quarum effectum in phaenomeno vsquequaque legibus perpetuis confentaneum erit: fi pofterius, actioque haud fiat ex principiis rationis, legibus ea empiricis fubiecta erit facultatis fenfitiuae, atque in vtraque caufa, effecta ad leges perpetuas cohaerent; plus haud poftulamus ad neceffitatem phyficam, atque etiam in ea haud plus nouimus. Sed in priori caufa ratio caufa eft harum legum phyficarum, proinde libera eft, in pofteriori, effecta fequuntur ex folis legibus phyficis facultatis fenfi-

timae, propterea quod ratio nullam ad ea vim exserit: sed ratio haud ideo ipsa facultate sensitiua determinatur (quod fieri non potest), ideoque et in hac caussa libera videtur. Ergo libertas nihil impedit legem physicam phaenomenorum, quemadmodum nec lex physica libertati officit vsus practici rationis, qui cum rebus per se ipsis, qua rationibus determinantibus, est coniunctus.

Qua igitur re libertas practica, scilicet ea, in qua rationi effectio est ex rationibus coniectiue determinantibus, seruatur, neque tamen necessitati physicae ratione eorumdem effectorum, qua phaenomenorum, vel minimum derogatur. Eadem et vsui esse possunt ad illustranda ea, quae de libertate transscendentali eaque cum necessitate physica (in eodem subiecto, sed non in vna eademque relatione sumta) coniungenda dicenda erant. Quod enim hanc spectat, quodque actionis initium naturae cuiuspiam e causis obiectiuis, ad has causas determinantes relate, semper *primum initium* videtur, quamuis eadem actio in serie phaenomenorum tantummodo *initium* sit *subalternum*, quod status causae antecedere debeat, qui eam determinet, ipseque ab alio antegresso determinetur: ita, vt in naturis ratione instructis, aut omnino naturis, quatenus earum effectio in iis qua rebus per se ipsis determinetur, nec propterea in pugnam incurrat cum legibus physicis, facultas cogitari queat, seriem statuum sponte incipiendi. Namque relatio actionis ad rationes obiectiuas nulla est relatio chronica; hic id, quo effectio determinatur, tempore haud praecedit actioni, quoniam eiusmodi rationes determinantes non adfectiones rerum ad sensus designant, proinde haud ad causas in phaenomeno, sed causas determinantes, qua res per se ipsas, quae non subsint determinationibus chronicis. Sic actio ratione effectionis rationis qua primum initium, respectu seriei phaenomenorum, sed tamen simul qua initium mere subordinatum poterit spectari, sineque repugnantia illo respectu qua libera, in hac (cum merum phaenomenon est) qua necessitati physicae subiecta considerari.

Quod *quartam* attingit antinomiam, ea similiter tollitur, atque pugna rationis secum ipsius in tertia. Etenim, si *caussa in phaenomeno*, duntaxat a *caussa phaenomenorum*, quatenus qua *res* potest *per se ipsa* spectari, distinguatur, ambae enunciationes possunt commode consistere, nempe, nullam omnino mundi sensibilis caussam (ex similibus effectionis caussarum legibus), cuius exsistentia absolute necessaria sit, locum habere, itemque ex altera parte, hunc mundum nihilominus cum natura necessaria vtpote caussa sua (sed generis alius aliaque ex lege) coniunctum esse; quae duae quidem enunciationes quare nequeant inuicem conciliari, caussa in errore inest, quo quae de solis phaenomenis valent, ad res per se ipsas extenduntur, omninoque vtraque in vno conceptu confunduntur.

§. 54.

Haec igitur expositio est solutioque antinomiae vniuersae, in quam ratio se in adhibendis principiis suis ad mundum sensibilem videt irretitam, quarumque illa (sola expositio atque ostensio) vel sola iam praeclare de cognitione humanae rationis mereret, etiamsi solutio huiusce antinomiae lectori, cui hic cum naturali quadam specie colluctandam est, illi modo nuperrime qua talis ostensa, postea quam huc vsque eam semper veram putasset, eo nondum penitus satisfieret. Quoniam autem nullo modo fieri potest, vt quis ex hac pugna rationis secum ipsa sese queat expedire, donec res obiectas mundi sensibilis pro rebus per se ipsis accipiat, neque pro eo, quod reapse sunt, nempe pro meris phaenomenis, fieri non potest, quin eo lector cogatur, vt vniuersae cognitionis nostrae ex anticipatione deductionem, eiusque, quam exhibui, deductionis explorationem denuo instituat, quo ea de re possit sententiam ferre. Neque in praesentia plus postulo; si enim in hac occupatione satis profunde demum naturam rationis purae cogitatione complexus fuerit, conceptus, quibus solis efficitur, vt solutio antinomiae rationis fieri possit, ei iam erunt consueti, quod nisi fiat, haud

potero vel ab ipſo attentiſſimo lectore plenum adſenſum exſpectare.

§. 55.

IDEA THEOLOGICA.

(Crit. rat. pur. p. 394. ſeq.)

Tertia transſcendentalis idea, quae vſui rationis longe grauiſſimo, ſed, ſi ſolum contemplatiue tractetur, transſcendenti, eoque ipſo dialectico, materiam praebet, ideale eſt rationis purae. Cum ratio hoc loco non, vti in pſychologica idea et cosmologica, ab experientia proficiscatur, augendisque rationibus, quantum fieri poſſit, ad vniuerſitatem abſolutam ſeriei tendere conetur, ſed penitus abrumpat, atque ex meris conceptibus ab eo, quod vniuerſitatem abſolutam rei cuiuspiam vniverſe efficeret, proinde per ideam auctoris primi ſumme perfecti ad determinationem poſſibilitatis, proinde et exſiſtentiae aliarum rerum omnium, deſcendat; ſola hic ſumtio naturae, quae, quamquam haud in ſerie experientiae, tamen in gratiam experientiae, propter rationem coniunctionis et ordinis, huiusque vnitatis comprehenſibilem, cogitatur, id eſt, *idea*, facilius, quam in ſuperioribus caſibus, diſcerni poteſt. Idcirco ſpecies dialectica, inde oriunda, quod conditiones cogitationis noſtrae ſubiectiuas pro conditionibus accipimus obiectivis rerum ipſarum, et hypotheſin ad rationem noſtram explendam neceſſariam pro dogmate, facile hoc loco ſub adſpectum ſubiici, nec proinde quidquam amplius de arrogantia theologiae transſcendentalis monendum videtur, quum, quae critica ea de re tractat, facilia et perſpicua ſint ad diiudicandumque idonea.

§. 56.

ANIMADVERSIO VNIVERSALIS AD IDEAS TRANSSCENDENTALES.

Res, quae nobis per experientiam proponuntur, vario nobis respectu sunt incomprehensibiles, multaeque quaestiones possunt, ad quas naturae lege ducimur, si ad certum quoddam fastigium, sed legibus istis semper conuenienter, prouehantur, omnino haud solui, veluti vnde se inuicem attrahant materiae. Verum, si naturam penitus relinquamus, aut in progressu coniunctionis illius vniuersam, quae potest esse, experientiam transscendamus, proinde in solis nos ideis abdamus, tum non possumus dicere, rem nobis obiectam incomprehensibilem esse, naturamque rerum nobis insolubiles quaestiones proponere; tum enim haud de natura agimus aut vniuerse de rebus oblatis, sed de meris conceptibus, quorum origo solum in nostra ratione est, de solisque entibus rationis, quorum respectu, quae ex conceptu illius oriri debent, quaestiones omnes expediri possunt, quoniam ratio de sua ipsius methodo plenam sane rationem et potest reddere et debet. *) Cum ideae psychologicae, cosmologicae et theologicae in meris conceptibus rationalibus versentur puris, quae in

*) Celeberrimus Platnerus in Aphorismis §. 728. 729. proinde acute „si ratio, inquit, criterium sit, nullus poterit conceptus esse, qui humanae rationi incomprehensibilis videatur. — In eo solo, quod exstat, locum habet ratio incomprehensibilis. Hic incomprehensibilitas ex imperfectione exsistit idearum partarum." Igitur duntaxat sonat admirabile contraque omnium opinionem, neque caeteroquin est dictu alienum, in natura rerum multa non posse a nobis comprehendi, veluti facultas procreandi, quodsi vero altius adscendamus, ipsamque transeamus naturam, a nobis tunc omnia comprehendi; tum enim prorsus res relinquimus, quae nobis possunt proponi, in solisque versamur ideis, in quibus, quam per eas intelligentiae ratio praecipit ad experientiam adhibendae, legem facile possumus comprehendere, propterea quod ea in ipsis est rationis effectis.

nulla possint experientia proponi, quaestiones, quas ratio respectu earum nobis proponit, haud per res obiectas, sed per solas regulas rationis subiectiuas, ad eam ipsam explendam, nobis propositae videntur, ad cunctasque, necesse est, posse responderi, quod etiam eo efficitur, vt eas esse decreta monstremus, quibus vsus intelligentiae ad perpetuam et conuenientiam perducatur, et perfectionem, et vnitatem syntheticam, atque eatenus ad solam experientiam, sed in *toto* illius, ea valere. Quamuis autem absolutum experientiae totum esse nequeat, tamen idea totius cuiuspiam cognitionis ex principiis omnino in eo versatur, quod illi solum peculiarem vnitatis speciem, nempe systematicam, comparare potest, sine qua cognitio nostra manca est imperfectaque, et ad finem summum (qui non nisi in omnium finium systemate cernitur) non potest adhiberi; sed hoc loco non solum finem practicum intelligo, verum etiam finem summum vsus contemplatiui rationis.

Quocirca ideis transscendentalibus proprius rationis finis effertur, nimirum tamquam principii vnitatis systematicae vsus intelligentiae. Quodsi autem hanc vnitatem cognitionis eam putaueris, quae rei cognitioni subiectae adhaereat, si, quae proprie vereque *regulatiua* est, pro *constitutiua* acceperis, tibique persuasus fueris, his ideis notitiam posse vltra omnem, quae esse possit, experientiam, proinde modo transscendente, dilatari atque amplificari, cum tamen soli inseruiat experientiae ad vniuersitatem, quantum fieri possit, propius admouendae, id est, vt progressus illius nulla re circumscribatur, quae nequeat ad experientiam pertinere, id merus error est in fine proprio rationis nostrae diiudicando, decretisque illius, et dialectica, quae partim vsum rationis empiricum confundit, partim rationem contra se ipsam excitat.

CONCLUSIO
DE DETERMINATIONE RATIONIS PURAE.

§. 57.

Ex iis, quae fupra maxime perfpicue dilucideque difputauimus, abfurdum foret, fi vllius rei cuiuspiam obiectae quidquam pluris nos cognituros fperaremus, quam quod ad eius poffibilem experientiam pertinet, aut vel minimam vllius rei cuiuspiam, quam experientiae, quae poffit effe, haud fubiectam fumimus, cognitionem nobis arrogaremus, qualisque per fe ipfa fit, determinare vellemus; quibus enim adiumentis eam determinationem efficiemus, cum temporis fpatiique et omnium conceptuum intellectualium, multo magis autem conceptum per vifionem empiricam, *perceptionemue* in mundo fenfibili effectorum, nullus alius vfus fit, nec effe poffit, quam vt iis effe queat experientia, quam fi a conceptibus puris intelligentiae conditionem feiunxerimus, tum illi nullam prorfus rem obiectam determinare queant, nullamque omnino vim virtutemque habere.

Contra ea vero multo foret abfurdius, fi nullas prorfus res per fe ipfas concedere, noftramue experientiam pro vno illo, qui effe poffit, rerum cognofcendarum modo, proinde noftram in tempore fpatioque vifionem pro vifione vnice poffibili, noftramque intelligentiam discurfiuam pro prototypo cuiuscumque, quae effe poffit, intelligentiae vendere velimus, proinde principia poffibilitatis experientiae pro conditionibus vniuerfalibus rerum per fe ipfarum reputare.

Quocirca principia noftra, quae vfum rationis ad folam experientiam poffibilem adftringunt, ipfa poffent *transfcendentia* fieri, carceresque rationis noftrae pro carceribus poffibilitatis rerum ipfarum declarari, cuius rei exemplo effe poffunt *Humii* dialogi, nifi critica diligens terminos rationis noftrae etiam refpectu vfus illius empirici, cuftodiret, eiusque arrogantiae fines terminosque poneret. Scepticismus originarie ex metaphy-

ſica eiusque dialectica omni politia vacua exortus videtur. Initio quidem in gratiam vſus rationis empirici, quae hunc ſuperant, vniuerſa poterat vana et fallacia declarare, ſed pedetentim, cum intelligerent, eadem adhucdum decreta eſſe ex anticipatione, quibus nosmet vtamur in experientia, quae ſenſim paulatimque, atque, vt videbatur, eodem iure longius progrederentur; quam quo experientia pertineret, coeptum eſt, de ipſis decretis empiricis dubitari. Quod quidem, non eſt, quod metuamus; ſi quidem intelligentia communis in eo ſemper ſua iura obtinebit, verum ſingularis inde orta confuſio ſcientiae, quae non poteſt determinare, quantum et quare modo eo vsque neque vlterius rationi credendum videatur, ſed huic confuſioni tantummodo ſolemni atque ex decretis ducta determinatione vſus rationis noſtrae mederi poteſt, omnique relapſui in poſterum tempus praecaueri.

Verum eſt, nos non poſſe vltra omnem, quae eſſe poſſit, experientiam illius, quid res per ſe ipſae ſint, determinatum conceptum oſtendere. Neque tamen omnino ſuperſedere poſſumus illius quaeſtione, ab eaque nobis prorſus temperare; namque experientia numquam facit rationi ſatis; in expediendis ea quaeſtionibus nos ſemper vlterius remittit, nosque reſpectu plenioris earum enodationis ſinit inexpletos, vti quisque iſtud ex dialectica rationis, cuius propterea cauſa ſubiectiua eſt, ſatis poterit intelligere. Ecquis ferre poterit ac ſuſtinere, nos de natura animae noſtrae vsque ad claram ſubiecti conſcientiam perſuaſionemque peruenire, phaenomena non poſſe ad *materialiſmi* rationem explicare, neque quaerat, quid anima proprie ſit, et, ſi nullus conceptus empiricus ad id idoneus videatur, conceptum quemdam rationalem (naturae ſimplicis cuiuspiam materialis) ad eam rem ſolum ſumat, quamuis realitatem eius obiectiuam nullo modo poſſimus euincere? Ecquis per ſolam cognitionem empiricam in omnibus quaeſtionibus cosmologicis, de duratione et quantitate mundi, de libertate aut neceſſitate

phyſica, poterit expleri, cum, quomodo cumque inſtituerimus, quaeque ex legibus experientiae conſtitutivis data reſponſio ſemper nouam quaeſtionem pariat, ad quam pariter debeat reſponderi, et quo planum ſit, quam minus vniuerſis explicandi modis phyſicis ratio queat ſatiari? Eccui tandem in fortuita ratione perpetua ac dependentia eorum omnium, quae ex principiis empiricis cogitauerit vel ſumſerit, haud in oculos incurrit, fieri non poſſe, vt in iis ſubſiſtat, neque, quantumuis vetitum ſit, ad ideas transſcendentes delabi, ſeſe tamen ſentire coactum, vt vltra omnes conceptus, quos per experientiam poſſit tueri, in conceptu naturae cuiusdam quietem quaerat et ſaturationem, cuius idea quidem per ſe ipſa quoad poſſibilitatem non poteſt perſpici, quamuis nec confutari, quoniam ea ſolum ens rationis attingit, ſine qua vero rationem aeternum inſatiatam manere oporteret.

Fines (in naturis extenſis) ſemper ponunt ſpatium, quod extra certum quemdam locum deprehendatur, eumque includat; carceres haud indigent eiusmodi, ſed ſolae negationes ſunt, quae quantitatem adficiunt, quatenus vniuerſitate abſoluta videntur carere. Sed noſtra ratio quaſi circumquaque ſpatium videt cognitioni rerum per ſe ipſarum, quamuis numquam earum queat conceptus habere determinatos, ad ſolaque phaenomena adſtricta videatur.

Cognitionis rationalis, quamdiu homogenea ſit, nulli fines poſſunt ac termini certi cogitari. In matheſi et phyſica carceres quidem humana ratio agnoſcit, ſed nullos terminos ac fines, id eſt, videt quidem, quiddam extra ſe ſitum eſſe, quo numquam queat pertinere, nec vero, ſe ipſam in progreſſu interno ſuo vſpiam abſolui. Amplificatio cognitionum in matheſi, et poſſibilitas inuentorum nouorum tendit in infinitum; ſic et patefactio nouarum proprietatum phyſicarum, nouarum virium legumque, continuata experientia et coniunctione earum per rationem. Sed carceres hic nihilominus ſentiantur, neceſſe eſt, nam matheſis ſolum

ſpectat *phaenomena*, et quod non eſſe ſubiectum poteſt viſioni ſenſitiuae, velut conceptus metaphyſices et philoſophiae moralis, illud prorſus extra ſphaeram illius poſitum eſt, neque illam eo vmquam poterit ducere, quorum quidem ea quoque haud indiget. Igitur nullus progreſſus continuus eſt nec appropinquatio ad hasce partes ſcientiae, quaſique punctum lineaue attrectationis. Phyſica numquam interiora rerum, hoc eſt, ea, quae haud phaenomena ſint, ſed tamen pro ſummo enodandorum phaenomenorum eſſe principio queant, aperiet; nec vero hoc ad explicationes phyſicas opus habet; qui ſi aliunde illi eiusmodi offerretur (velut contagio naturarum incorporearum), tamen debebit recuſare, neque illud in progreſſum explicationum inferere, ſed has ſemper ſolum in iis conſtituere, quae qua res ſubiectae ſenſibus ad experientiam pertinent, quarumque cum veris perceptionibus noſtri fieri ex legibus empiricis contextus poteſt.

Sed metaphyſice in periculis dialecticis rationis purae (quae haud arbitratu ſuſcipiuntur nec temere, ſed ratione ipſa naturam impellente) ducimur ad terminos, ideaeque transſcendentales, eo ipſo, quod iis non poſſumus ſuperſedere, neque tamen vmquam eae dari effectae poſſunt, hanc nobis vtilitatem adferunt, vt non ſolum iis reapſe termini vſus puri rationis monſtrentur, verum etiam, modus eorum conſtituendorum, idque etiam finis eſt atque vtilitas huiuſce dotis rationis noſtrae, quae metaphyſicam peperit, cuius procreatio, vt quaeque alia in mundo, non caſui fortuito, ſed ſurculo originario attribuenda eſt, ad magnos fines ſapienter organice fabricato. Namque metaphyſica fortaſſe magis, quam vlla alia ſcientia, per naturam ipſam, quoad primas illius lineas, nobis inſita videtur, neque qua effectum poteſt optionis arbitrariae, aut qua amplificatio fortuita in progreſſu (a quibus prorſus ſeſe diuellit) experientiarum ſpectari.

Ratio vniuerſis ſuis conceptibus legibusque intelligentiae, ad vſum empiricum, proinde intra mundum

fenfibilem, idoneis, non poteft expleri: namque quaeftionibus in infinitum femper redeuntibus fpes omnis illi abfolutae illarum folutionis eripitur. Ideae transfcendentales, quibus illa abfolutio propofita eft, eiusmodi rationis problemata videntur. Iam ea videt perfpicue, mundo fenfibili iftam abfolutionem haud poffe contineri; proinde nec omnes conceptus illos, qui tantummodo faciunt ad intellectum illius: fpatium tempusque, et vniuerfa, quae purorum intelligentiae conceptuum nomine attulimus. Mundus fenfibilis nihil eft, nifi catena phaenomenorum ad leges vniuerfales coniunctorum, qui proinde minime in fefe confiftit, proprieque haud res eft per fe ipfa, ideoque neceffario refertur ad id, quod caufam continet huius phaenomeni, ad naturas, quae non folum qua phaenomenon, fed qua res per fe ipfae poffunt cognofci. In quibus cognofcendis folis ratio fperare poterit, defiderium aliquando iri expletum vniuerfitatis in progreffu ab eo, quod pendet, ad eas, vnde pendet, conditiones.

Supra (§. 33. et 34.) carceres rationis indicauimus refpectu vniuerfae cognitionis folorum entium rationis, nunc, cum ideis transfcendentalibus tamen nobis progreffus vsque ad eos neceffarius effectus fit, nosque quafi ad contrectationem fpatii completi (experientiam) adducti fimus et vacui (de quo nil quidquam fcire poffumus, noumena), etiam terminos poffumus rationis determinare; namque in omnibus terminis etiam ineft quiddam pofitiuum (exempli gratia, fuperficies eft terminus fpatii corporei, interim tamen et ipfa fpatium, linea eft fpatium, quod in terminis cernitur fuperficiei, punctum fiue nota eft terminus lineae, fed tamen locus in fpatio), cum e contrario carceribus folae negationes contineantur. Quos in §. laudata indicauimus, carceres haud fufficiunt, pofteaquam inuenimus, vltra eos aliquid (etiamfi, quid illud per fe ipfum fit, numquam cognofcemus) fitum effe. Nunc enim quaeritur, quo modo fefe gerit ratio in hac coniunctione eorum, quae nouimus, cum iis, quae haud nouimus, neo vnquam

noſcituri ſumus? Hic eſt vera coniunctio cogniti cum prorſus incognito (quod et ſemper incognitum manebit), et, ſi praeterea incognitum ne minima ex parte quidem fieret notius — vti profecto haud ſperandum videtur — tamen conceptus huiuſce coniunctionis, neceſſe eſt, determinari poſſit, reddique dilucidus.

Igitur nobis naturam incorpoream, mundumque ſenſibilem, et ens ſummum omnium (mera noumena) cogitatione debemus informare, propterea quod ratio in his ſolis, tamquam rebus per ſe ipſis, et abſolutionem inuenit, et in quibus adquieſcat, quod in deriuandis phaenomenis e cauſis ſuis ſimilibus, numquam ea poteſt ſperare, et quoniam haec ad quiddam ab ſe diverſum (proinde prorſus diſſimile) referuntur, propterea quod phaenomenis ſemper res per ſe ipſa ponitur, et proinde indicatur, ſiue eam propius cognoueris, ſive non.

Cum vero haec entia rationis, quid per ſe ipſa ſint, hoc eſt, determinate, numquam queamus cognoſcere, nihilominus ea tamen in relatione ad mundum ſenſibilem ſumamus, cum eoque per rationem debeamus coniungere, certe tamen coniunctionem iſtam poterimus per eos conceptus cogitare, quibus eorum ad mundum ſenſibilem relatio exprimatur. Namque ſi ens rationis non niſi per puros intelligentiae conceptus cogitemus, ea re ſane nil quidquam determinati cogitamus, proinde conceptus noſter omni eſt ſignificatione deſtitutus: quod ſi illud per proprietates cogitemus, a mundo ſenſibili depromtas, illud haud amplius ens rationis erit, ſed potius vt phaenomenon cogitatur, proinde ad mundum pertinet ſenſibilem. Eius generis exemplo nobis poſitus ſit conceptus entis ſummi.

Conceptus *deiſtarum* conceptus eſt prorſus purus rationalis, qui vero rem repraeſentat, quae omnes contineat realitates, quarum tamen ne vllam quidem queat determinare, quoniam illius exemplum ex mundo ſenſibili depromendum foret, tum autem duntaxat in re

ſenſibus ſubiecta verſarer, non vero in re prorſus diſſimili, quae non poſſet ſenſibus obnoxia eſſe. Ei enim exempli gratia mentem tribuerem; ſed nullam prorſus habeo cogitationem de mente, praeterquam de ea, quae talis ſit, qualis mea eſt, nempe eiusmodi, cui per ſenſus offerendae viſiones ſint, quaeque in eo eſt, vt illas regulis ſubiiciat vnitatis conſcientiae. Tum autem elementa cogitationis meae ſemper in phaenomeno ineſſent; ſed ea ipſa ratione phaenomenorum haud idonea cogerer vltra illa ad conceptum naturae tranſire, quae nullo modo a phaenomenis pendeat, aut cum iis, qua conditionibus determinationis ſuae complexum videatur. Quodſi autem a facultate ſenſitiua intelligentiam ſeparem ac ſeiungam, vt potiar intelligentia pura; nihil relinquetur praeter ſolam cogitationis formam ſine viſione, qua ſola nihil quidquam determinati potero, ergo nullam rem obiectam, cognoſcere. Hunc in finem alia mens intelligentiaque mihi foret cogitanda, quae res obiectas videret atque intueretur, cuius autem ne minimum quidem conceptum habeo, ſi quidem humana intelligentia eſt diſcurſiua, quae ideoque ſolis poteſt conceptibus vniuerſalibus cognoſcere. Id ipſum quoque mihi vſu venit, ſi enti ſummo tribuam voluntatem: namque hunc conceptum habeo tantummodo, ductum ab experientia mea interna, cui vero, quod a rebus obiectis, quarum exiſtentia indigemus, vt contentus ſim, pendet, et proinde facultas ſenſitiua fundamento ſubeſt, id quod cum conceptu entis ſummi prorſus pugnat.

Humii dubia, contra deismum prolata, infirma ſunt, neque quidquam attingunt amplius, quam argumenta, numquam ipſam adſertionis deiſticae enunciationem. Verum reſpectu theismi, accuratiori determinatione conceptus noſtri ibi ſolum transſcendentis de ente ſummo conficiendi, perquam firma et valida videntur, et, pro eo ac conceptus iſte formetur, in certis quibusdam (reapſe, omnibus conſuetis) cauſis haud refellenda. Vsque vrget *Humius*: ſolo conceptu naturae primae, cui nulla alia niſi ontologica praedicata

(aeternitatem, omnipraesentiam, omnipotentiam) attribuamus, nos reuera nihil quidquam determinati certique cogitare, sed accedere proprietates debere, quae vicem possint conceptus cuiuspiam in singulo sustinere: haud satis esse, dicere: illam esse causam, sed docendum videri, quomodo eius effectio comparata sit, fere per intelligentiam ac voluntatem; ibique primi fiunt eius impetus in rem ipsam, scilicet theismum, cum antea tantummodo argumenta impugnasset deismi, vnde haud ita magnum periculum enascitur. Argumenta eius periculosa cuncta attingunt anthropomorphismum, quem non putat a theismo posse diuelli, eumque in se ipso reddere pugnantem, illo autem omisso et hunc tolli, nihilque praeter deismum relinqui, quo non vti possimus, quique nullis prorsus esse fundamentis queat et religionis et morum. Quodsi certum foret, hoc nón posse anthropomorphismum euitari, argumentis pro exsistentia entis summi, quibus illis cumque vniuersis concessis, conceptum huiusce entis numquam posse a nobis determinari, nisi in repugnantias nosmet sentiamus irretitos.

Quodsi cum interdicto, vt omnia iudicia transscendentia vitemus rationis purae, cum praecepto illi ad speciem contrario, vt ad conceptus, qui extra campum sunt vsus immanentis (empirici) progrediamur, coniungimus, intelligemus, vtrumque posse simul consistere, sed in ipso *termino* vniuersi liciti vsus rationis; hic enim terminus pariter ad campum pertinet experientiae, quam entium rationis, eoque simul edocemur, quomodo ideae illae tam notatu dignae solummodo inseruiant determinationi rationis humanae, nempe, partim ne cognitio empirica infinite extendatur, ita, vt nihil omnino praeter mundum nobis cognoscendum relinquatur, partim tamen ne vltra terminos experientiae transeamus, deque rebus extra illos, qua rebus per se ipsis, velimus iudicare.

Sed manemus in hisce terminis, si iudicium nostrum duntaxat ad relationem adstringamus, quam mun-

dus habere ad naturam poterit, cuius ipſe conceptus extra omnem poſitus eſt cognitionem, cuius nos intra mundum ſimus capaces. Tum enim enti ſummo nullam proprietatum *per ſe ipſarum* attribuimus, quibus nobis res experientiae ſubiectas cogitatione depingimus, eoque anthropomorphismum *dogmaticum* euitamus, nihilominus eas tamen relationi illius ad mundum attribuimus, nobisque anthropomorphismum concedimus *ſymbolicum*, qui re vera tantummodo orationem ſpectat, non ipſam rem ei obnoxiam.

Si dico: cogimur mundum ſpectare, *quaſi* opus ſit intelligentiae ſummae voluntatisque; nihil quidquam amplius dico, quam: quemadmodum adfectum eſt horologium, nauis, legio, ad artificem, ad architectum, ad imperatorem, ita etiam mundus ſenſibilis (ſiue cuncta ea, quae ſtamina huiuſce phaenomenorum complexus efficiunt) ſeſe habet ad illud ignotum, quod proinde hac re non quidem pro eo, quod in ſe ipſum eſt, verumtamen pro eo, quod mihi eſt, nempe reſpectu mundi, cuius equidem pars ſum, cognoſco.

§. 58.

Eiusmodi cognitio eſt *ex analogia*, quae haud fere, vti plerumque hoc vocabulum accipitur, ſimilitudinem duarum rerum imperfectam, ſed ſimilitudinem perfectam duarum relationum denotat in rebus prorſus diſſimilibus. *) Ope huius analogiae conceptus relinquitur

*) Sic analogia eſt inter relationem iuridicam actionum humanarum, et relationem mechanicam virium motricium: nihil quidquam agere erga alium poſſum, niſi illi ius concedam, iisdem conditionibus idem erga memet agendi; perinde ac nullum corpus vi motrice ſua in aliud corpus poteſt efficere, neque impedire queat, quominus illud tantumdem reagat. Hic ius et vires motrices ſunt res prorſus diſſimiles, ſed in relatione earum perfecta ſimilitudo eſt. Per hanc ergo analogiam conceptum relatiuum ſuppeditare poſſum rerum, ſimpliciter mihi abſoluteque ignotarum. Exempli gratia: quomodo adfecta eſt promotio ſalutis liberorum = a. ad amorem parentum = b. ita et ſalus humani ge-

nobis fatis determinatus entis fummi, quamuis omiffis vniuerfis, quibus abfolute poffet et *in fe ipfe determinari;* namque determinamus eum habito refpectu ad mundum, ideoque ad nos, neque nobis plus opus videtur. Impetus, quos *Humius* facit in eos, qui hunc conceptum volunt abfolute determinare, dum materias illius ab fe ipfis mundoque depromunt, nos non feriunt; neque nobis poteft obiicere, nihil quidquam nobis relinqui, nobis anthropomorphismo obiectiuo de conceptu entis fummi demto.

Etenim fi modo initio (quod etiam facit *Humius* fub perfona Philonis aduerfus Cleanthem in dialogis) nobis, tamquam hypothefis neceffaria, conceptus naturae primae *deifticus* concedatur, quo ens originarium meris praedicatis ontologicis fubftantiae, caufae et fimilibus, cogitatur (*quod faciendum eft*, quoniam ratio in mundo fenfibili meris conditionibus, itidem rurfus adftrictis, agitata, alias non expleri poterit, et *quod initio commode fieri poterit*, neque in anthropomorphismum cadamus, qui praedicata e mundo fenfibili depromta ad naturam transfert a mundo diuerfam, fi quidem praedicata illa folis in categoriis verfantur, quae nullum quidem determinatum conceptum, neque tamen ad conditiones fenfus adftrictum efficiunt): nos nihil poterit impedire, quo minus de natura ea *effectionem per rationem* praedicemus, atque ita ad theismum transgrediamur, neque tamen coactos, ei hanc rationem per fe ipfi, tamquam proprietatem adhaerentem, attribuamus. Quod enim *prius* attinet, vna, quae effe poterit, via eft, qua vfus rationis poffit, refpectu vniuerfae poffibilis experientiae, in mundo fenfibili perpetuo fibi ipfi

neris = c. ad ignotum illud in deo = x, quod vocamus amorem; non quafi minimam fimilitudinem cuiuspiam vllius propenfionis humanae haberet, fed, quoniam relationem eius ad mundum illi poffumus fimilem ponere, quae rebus in mundo inter fe inuicem videtur. Sed conceptus relatiuus hoc loco cernitur in mera categoria, nempe conceptus caufae, cui nihil negotii eft cum facultate fenfitiua.

consentanee ad summum fastigium perduci, ipsa rursus ratione summa tamquam causa omnis in mundo coniunctionis sumta: eiusmodi principium ei perpetuo vtilem esse, necesse est, sed illi numquam poterit in vllo vsu suo physico nocere; *deinde* vero eo tamen ratio non velut proprietas ad ens originarium per se ipsum transfertur, sed modo *ad relationem* eius ad mundum sensibilem, et proinde anthropomorphismus prorsus euitatur. Namque hic duntaxat *causa* formae rationalis, quae vbique in mundo deprehenditur, consideratur, summaeque naturae, quatenus causam huius formae rationalis mundi continet, ratio quidem attribuitur, verum tantummodo secundum analogiam, hoc est, quatenus hoc vocabulo duntaxat indicetur relatio, quam ad mundum habet causa suprema nobis ignota, vt in eo vniuersa possit rationi conuenienter constituere. Quo quidem cauetur, ne proprietate rationis vtamur, ad deum, sed ad mundum per eam ita cogitandum, vti necessarium est, quo, quantus fieri poterit, maximum rationis vsum respectu huius ex quodam principio habeamus. Quo quidem confitemur: ens summum pro eo, quod per se ipsum sit, prorsus nobis imperscrutabile *certoque* ac *determinato modo* adeo incogitabile esse, eoque arcemur, ne conceptuum nostrorum, quos de ratione tamquam causa efficiente (per voluntatem) habemus, vsum faciamus transscendentem, vt naturam diuinam per proprietates determinemus, ab sola natura humana desumtas, nosque in crassos fanaticosque conceptus demergamus, contra ea vero contemplationem mundi, ex conceptibus nostris ab ratione humana ad deum transferentibus, explicandi modis hyperphysicis inundemus, a fine proprie illi constituto demoueamus, ex quo in studio solius naturae per rationem debet, neque in temeraria phaenomenorum illius ab ratione summa quadam versari. Nostris viribus imbecillis conueniens oratio erit: mundum nosmet cogitare, *quasi* ab ratione quadam summa quoad et exsistentiam et determinationem internam descendat, quo partim naturam, quae mundo ipsi competat, cognoscamus, ne-

que tamen nobis tantum arrogemus, vt eum secundum causam illius per se ipsam velimus constituere, partim vero *in relationem* causae supremae ad mundum causam huiusce naturae (formae rationalis in mundo) indamus, neque mundum per se ipsum inueniamus idoneum. *)

Tali modo difficultates euanescunt, quae aduersari theismo videntur, eo quidem: vt cum decreto *Humii* vsum rationis haud vltra campum vniuersae possibilis experientiae dogmatice extendendi, aliud principium coniungatur, ab *Humio* prorsus neglectum, nimirum: ne campum experientiae possibilis consideremus, tamquam eum, qui in adspectu rationis se ipsum determinet. Critica hic veram designat viam mediam inter dogmatismum, quem *Humius* impugnauit, et scepticismum, quem contra voluit introducere, quae quidem via haud instar aliarum viarum mediarum est, quae quasi mechanice (quiddam de hac, quiddam de illa) ad nosmet ipsos determinandos suadentur, quibusque nemo homo meliora edocetur, sed ea, quae ex principiis possit accurate determinari.

§. 59.

Initio huiusce animaduersionis imagine vsus sum *terminorum* ac finium, vt carceres rationis constituerem respectu vsus sui sibi conuenientis. Mundus sensibilis non nisi phaenomena continet, quae nondum sunt res per se ipsae, quippe quas posteriores (noumena) sumere cogitur, propterea quod res experientiae subiectas pro meris phaenomenis agnoscit. Vtraque in ratione

*) Dicam: effectio causae supremae respectu mundi cernitur in eo, quod ratio humana est, respectu operum artis. In quo quidem natura ipsa supremae causa manet mihi abscondita: tantummodo effectum eius notum mihi (ordinem cosmicum) eiusque cum ratione conuenientiam cum notis mihi rationis humanae effectis comparo, et illud proinde rationem voco, neque propterea idem, quod in homine per hoc vocabulum intelligo, aliudue quid mihi cognitum illi, qua proprietatem attribuo.

noſtra continentur complexa, et quaeritur: quomodo ſe ratio componit, vt intelligentiam reſpectu vtriusque campi determinet? Experientia, qua, quae ad mundum ſenſibilem pertinent, vniuerſa continentur, ſe ipſam haud determinat: a quouis ea ad conditionem adſtricto ſemper modo ad aliud quid, quod aliunde pendet, peruenit. Id, quo ea determinari debet, prorſus extra eam ſit, neceſſe eſt, et hoc campus eſt entium purorum intelligentiae. Hic autem nobis vacuum ſpatium eſt, quatenus de determinatione agitur naturae huiuſce entium intelligentiae, et eatenus, ſi conceptus dogmatice determinati ſpectentur, non poſſumus campum tranſire poſſibilis experientiae. Cum autem termini ipſi aliquid poſitiuum ſint, quod tam ad ea pertinet, quae intra eos, quam ad ſpatium, quod eſt extra complexum datum, tamen vera cognitio poſitiua eſt, cuius ratio eo duntaxat particeps fit, vt ſe vsque ad hos terminos amplificet, ita tamen, vt ne iſtos tranſire terminos conetur, quoniam ibi ſpatium vacuum videt, in quo formas rerum quidem poſſit, ſed nullas res ipſas cogitare. Sed *determinatio* campi experientiae eo, quod ei alias ignotum videtur, tamen cognitio, quae rationi in hac ſtatione relinquitur, quo non intra mundum ſenſibilem concluſa, neque extra illum delirans, verum vt cognitioni terminorum conuenit, ſe ſolum ad relationem adſtringit eorum, quae extra illum ſita ſunt, ad ea, quae intra continentur.

Theologia naturalis eiusmodi conceptus eſt in terminis rationis humanae, vbi ſe ſentit coactam, ad ideam naturae ſummae (reſpectuque practico etiam mundi intelligibilis) proſpicere, non, quo ratione huiuſce ſolius entis intelligentiae, proinde extra mundum ſenſibilem, quidquam determinet, verum vt modo ſuum ipſius vſum intra illum ex principiis moderetur (cum theoreticae tum practicae) vnitatis, quanta poteſt eſſe, maximae, ad illudque relatione eius vtatur ad rationem in ſeſe conſiſtentem, vtpote cauſam omnium coniunctionum, eo vero haud fere naturam ſolam *effingat*, ſed,

cum extra mundum ſenſibilem neceſſario aliquid, quod ſola intelligentia pura cogitat, deprehendi debeat, iſtud hoc tantummodo, quamquam ſane duntaxat ſecundum analogiam, *determinet.*

Tali modo manet ſententia noſtra ſupra propoſita, quae conſectarium eſt critices totius: „a ratione nos „vniuerſis eius principiis ex anticipatione numquid- „quam amplius edoceri, quam ſolas res experientiae „poſſibili ſubiectas, etiamque de iis nihil amplius, „quam quae poſſint in experientia cognoſci;" ſed haec circumſcriptio nihil impedit, quominus nos vsque ad *terminos* rationis ducat obiectiuos, nimirum ad *relationem* ad quiddam, quod ipſum experientiae haud obnoxium ſit, verum tamen cauſa ſuprema eſſe debeat rerum omnium experientiae ſubiectarum, neque tamen nos quidquam de eo doceri per ſe ipſum, ſed duntaxat reſpectu vſus illius proprii pleni abſolutique ad ſummosque fines in campo poſſibilis experientiae. Atque haec etiam vniuerſa vtilitas eſt, quae recte in eo poterit ſperari, et qua contenti eſſe debemus.

§. 60.

Atque ita metaphyſicam, vti reuera in *naturalibus* humanae rationis *initiis* data eſt, et quidem in iis, quae finem tractationis illius conſtituunt eſſentialem, quoad poſſibilitatem eius ſubiectiuam copioſe propoſuimus. Interim tamen cum inueniremus, hunc vſum *ſolum naturalem* eiusmodi initiorum rationis noſtrae, ſi nulla diſciplina illius, quae duntaxat per criticam ſcientificam fieri poteſt, eam domet atque coërceat, in transſcendentes, partim modo ſpecioſas, partim in ſe inuicem adeo controuerſas concluſiones *dialecticas* eam implicare, praetereaque haec metaphyſica argutans ad promouendam cognitionem phyſicam inutilis et ſupervacanea, quin illi adeo noxia ſit, quaeſtio manet inueſtigatione digniſſima, *fines naturales* quos initia illa conceptuum transſcendentalium in ratione noſtra ſpectauerint, aperiendi, quoniam, quae in natura inſunt, ne-

esse est, cuncta ad vllum quemdam finem vtilem originarie constituta videri.

Eiusmodi inuestigatio sane lubrica est: et fateor, quae ea de re dicere possim, vti vniuersa, quae fines primos spectant naturae, meras coniecturas esse, quod mihi quidem in hac sola causa liceat, cum haud valorem obiectiuum iudiciorum metaphysicorum quaestio attingat, sed initia eorum naturae, ideoque extra systema metaphysices posita sit in anthropologia.

Si omnes ideas transscendentales considero, quarum summa propriam naturalis rationis purae quaestionem efficiunt, quae eam cogit, vt, sola contemplatione physica relicta, vniuersam, quae esse potest, experientiam transeat, et hoc conatu illud (siue scientia sit, siue argutatio), quod metaphysicam dicimus, conficiat, videor mihi animaduertere, ea initia natura eo spectare, vt conceptus noster a vinculis experientiae carceribusque solius contemplationis physicae eatenus liberetur, vt saltem campum coram videat apertum, tantummodo res continentem subiectas intelligentiae purae, quas nulla potest adsequi facultas sensitiua, non eo quidem consilio, vt iis contemplandis occupemur (quoniam nullum solum inuenimus, in quo pedem figere queamus), verum vt principia practica constituantur, quae, nisi eiusmodi spatium inueniant exspectationi suae speique necessariae, non possent ad vniuersalitatem dilatari, cuius respectu morali ratio necessario indiget.

Iam, quantulumcumque de pura et vniuersos conceptus empiricos superante natura intelligam animae humanae, ideam *psychologicam* video certe insufficientiam istorum conceptuum satis perspicue ostendere, eoque me a materialismo auocare, quippe qui ad nullam enodationem physicam idoneus conceptus psychologicus videtur, rationemque praeterea respectu practico angustans. Ita ideae *cosmologicae*, aperta vniuersae, quae esse potest, cognitionis physicae imperfectione ad rationem in iusta inuestigatione sua explendam, nobis

inferuiunt ab naturalismo, qui naturam per ſe vult eſſe idoneam, arcendis. Tandem cum vniuerſa neceſſitas phyſica in mundo ſenſibili ſemper ſit ad conditiones adſtricta, abſolutaque neceſſitas duntaxat in vnitate cauſae cuiuspiam a ſenſibili mundo diuerſa quaeri debeat, ſed effectio eius rurſus, ſi modò phyſica foret, numquam poſſet exſiſtentiam fortuitorum qua conſequentiam ſuam explicare, ratio ſe per ideam *theologicam* a fataliſmo liberat, cum caecae neceſſitatis phyſicae in ipſo naturae contextu, ſine principio primo, tum vero etiam in effectione ipſa huiuſce principii, ad conceptumque cauſae ducit per libertatem, proinde ad intelligentiam ſupremam. Ita ideis transſcendentalibus efficitur, quamuis haud vt poſitiue edoceamur, tamen vt impudentes campumque rationis coarctantes *materialiſmi*, *naturaliſmi* et *fataliſmi* tollantur, eoque ideis moralibus extra campum contemplationis locus cedatur, id quod illa naturae initia quodammodo, opinor, enodabit.

Vtilitas practica, quae ſcientiae ſolum contemplatiuae eſſe fere poſſit, extra terminos huius ſcientiae poſita videtur, proinde vt ſcholion poterit ſpectari, et, vti vniuerſa ſcholia, haud tamquam pars ad ipſam ſcientiam pertinet. Nihilominus tamen haec relatio certe intra terminos philoſophiae ſita eſt, praeſertim illius, quae ex ratione pura haurit, vbi vſus rationis contemplatiuus in metaphyſica, neceſſe eſt, cum practico in philoſophia morali vnitatem habeat. Quocirca, quae non poteſt vitari, dialectica rationis purae, in metaphyſica tamquam initia naturae ſpectata, non ſolum velut ſpecies, quae ſolutionis indigeat, verum etiam vt *inſtitutum naturae* ex conſilio ſuo, ſi fieri poſſit, meretur explicari, quamquam hoc opus velut ſupererogationis, a metaphyſica propria non iure debet poſtulari.

Pro altero, ſed materiae metaphyſices adfini ſcholio, ſolutio quaeſtionum habenda foret, quae in critica rationis purae inde a p. 430. vsque ad p. 437. proponuntur. Ibi enim certa rationis principia tractantur,

quae ordinem naturae, vel potius intelligentiam, quae eius leges per experientiam quaerere debet, ex anticipatione definiunt atque conſtituunt. Videntur ea conſtitutiua eſſe et legislatoria reſpectu experientiae, cum tamen ex ſola ratione exſiſtant, quae non poteſt, quemadmodum intelligentia, vt principium experientiae poſſibilis reputari. An igitur haec conuenientia in eo poſita ſit, vt, quemadmodum natura phaenomenis eorumve fonti, facultati ſenſitiuae, haud per ſe ipſa adhaeret, ſed tantummodo in relatione huius facultatis ſenſitiuae ad intelligentiam deprehenditur, ita huic intelligentiae vnitas vſus ſui perpetua, in gratiam vniuerſae experientiae poſſibilis (in ſyſtemate), duntaxat cum relatione ad rationem poſſit competere, proinde et experientiae interuentu legislationi rationis ſubſit, ii perpendant, qui rationis naturam, etiam extra eius vſum in metaphyſica, vel in vniuerſalibus principiis hiſtoriam naturalem ſyſtematice conſtituendi, inueſtigabunt; hanc enim quaeſtionem in ipſo libro vt grauiſſimam propoſui quidem, nec vero eius ſolutionem tentaui. *)

Atque ita finem impono ſolutioni analyticae quaeſtionis principis a me ipſo propoſitae: qui fieri vniuerſe poteſt metaphyſica? dum ab iis, in quibus illius vſus vere, certe in conſequentibus, datus atque oblatus eſt, ad rationes adſcendi illius poſſibilitatis.

*) Per vniuerſam criticam mihi fuit propoſitum, vt ne quidquam negligerem, quod inueſtigationem naturae rationis purae poſſet perficere, etiamſi quantum velis profunde abditum lateret. Cuique tum, vti in libidinem venerit, licebit inueſtigationem perſequi, ſi modo, quae adhuc inſtituenda ſint, ei indicatum fuerit; id enim ab eo aequius erit exſpectari, qui ſibi propoſuit, hunc vniuerſum campum dimetiri, qui poſthac aliis olim colendus diuidendusque permittatur. Atque eo item duo illa ſcholia ſpectant, quae proinde per ieiunitatem difficulter gratiam captauerint eorum, qui ſolam oblectationem quaerunt, ideoque ſolis peritis rerum earum arbitris propoſita ſunt.

SOLUTIO

QUAESTIONIS VNIVERSALIS PROLEGOMENORUM

QUI FIERI METAPHYSICA POTEST QUA SCIENTIA?

Metaphyſica, qua initia phyſica rationis ſpectata, exſtat, ſed per ſe ſola (vti ſolutione analytica quaeſtionis principis tertiae probatum eſt) dialectica eſt et fallax. Si igitur ex hac principia velis depromere, in eorumque vſu naturalem quidem ſpeciem, ſed nihilominus falſam ſequi, numquam poteris ſcientiam efficere, ſed vanam tantummodo artem dialecticam, qua ſcholam ſchola ſuperat, nulla vero vmquam iuſtum poteſt et durabilem adſenſum ſibi comparare.

Vt ea igitur qua ſcientia non ſolum poſſit perſuaſionem fallacem, ſed perſpicientiam adſenſusque firmitatem poſtulare, criticam rationis ipſam oportet vniverſam conceptuum ex anticipatione copiam, eorumque ex variis fontibus, facultate ſenſitiua, intelligentiaque et ratione, porro integram eorum tabulam, omniumque conceptuum eorum analyſin, vniuerſaque, quae inde poſſunt concludi, in iis autem potiſſimum poſſibilitatem cognitionis ſyntheticae ex anticipatione, per deductionem horum conceptuum, principiaque vſus illorum, tandem etiam illius terminos, cuncta vero in ſyſtemate perfecto proponere. Ergo critica, eaque ſola vniuerſam probe examinatam probatamque formam continet, atque adeo adiumenta omnia eius perficiendae, qua metaphyſica poſſit qua ſcientia confici; aliis viis et adminiculis fieri ea non poteſt. Igitur hoc loco non tam quaeritur, quomodo iſtud opus fieri queat, quam tantummodo, quomodo debeat inſtitui, bonaque ingenia a peruerſa iſta ſterilique, quae huc vsque fuit, tractatione ad certam poſſint atque infallibilem adduci, et quomodo eiusmodi coniunctio ad finem communem queat facillime dirigi.

Tantum certum eſt: qui ſemel criticam delibauit, eum taedet ſemper nugarum dogmaticarum, in quibus antea coactus acquieuerat, quoniam ratio ſua quidpiam opus habebat, neque tamen melius quidquam poterat inuenire. Critica ad conſuetam ſcholarum metaphyſicam itidem adfecta eſt, atque *chemia* ad *alchemiam*, aut *aſtronomia* ad *aſtrologiam* diuinantem. Equidem fidem do, neminem, qui principia critices vel in hiſce modo prolegomenis rite perpenderit et comprehenderit, vmquam fore ad iſtam veterem ſophiſticamque ſcientiam putatitiam reuerſurum; certa potius quadam animi laetitia ad metaphyſicam proſpiciet, quae nunc ſane quidem penes ſe eſt, nulliſque amplius opus habet patefactis praeparantibus, quaeque primum poteſt rationem explere. Quam quidem praeſtantiam omnium, quae eſſe poſſunt, artium ſola poteſt metaphyſica fidenter exſpectare, nempe, ſe ad perfectionem duci poſſe ſtatumque conſtantem, quo nulla amplius mutatione opus habeat, nulliusque per inuenta noua incrementi amplius capax videatur; ſi quidem ratio hic fontes cognitionis non in rebus obiectis earumque viſione (quibus haud vlterius poterit plura edoceri) verum in ſe ipſa habet, et, ſi leges conſtitutiuas facultatis ſuae plenas contraque omnem calumniam determinatas propoſuerit, nihil relinquitur, quod ratio pura ex anticipatione poſſit cognoſcere, quin iure quaerere. Certa exſpectatio indubitataque eiusmodi ſcientiae tam determinatae et confectae peculiare quoddam in ſe continet inuitamentum, quamuis omnis vtilitas (de qua poſtea adhuc dicam) in medio relinquatur.

Quaeque ars falſa, quae vana ſapientia ſuum tempus perdurat; tandem enim ſe ipſam euertit, ſummaque illius cultura ſimul tempus eſt illius interitus. Tempus hocce ratione metaphyſices iam adeſſe, ſtatus planum facit, in quem, quamuis omni, quo artes omnis generis tractantur, ſtudio exculta eſt, in vniuerſis doctis populis delapſa videtur. Vetus ſtudiorum academicorum conſtitutio adhuc vmbram ſuam ſeruat, vna

ſcientiarum academia propoſitis praemiis ſubinde excitat, ad vnum alterumue periculum in ea faciendum, verum in artibus doctis haud amplius ea numeratur, et quisque ipſe iudicet, quomodo vir pollens ingenio atque acumine, quem magnum dixeris metaphyſicum, hanc laudem excepturus ſit, a bono quidem animo profectam, ſed vix ab vllo quodam inuiſam.

Quamquam ſine dubio tempus adeſt interitus vniverſae metaphyſices dogmaticae, tamen permulta adhuc deſunt, vt dici queat, tempus illius inſtaurandae per doctam perfectamque rationis criticam iam veniſſe. Omnes tranſitiones ab vna propenſione ad alteram ei contrariam per ſtatum fiunt aequabilitatis, et hoc tempus ſcriptori periculoſiſſimum eſt, ſed fauſtiſſimum, opinor, ſcientiae. Nam cum facta disciſſione tota coniunctionum priſtinarum ſtudium partium extabuit, tum mentes maxime aptae ſunt, ad conditiones coniunctionis ſecundum aliam formam paullatim audiendas.

Si dico, memet ſperare, hiſce prolegomenis inveſtigationem in campo critices fortaſſe excitatum iri, vniuerſalique philoſophiae genio, cui in parte contemplatiua deeſſe alimenta videntur, nouam rem multumque pollicentem, qua ſuſtineatur, miniſtratum, iam ante cogitare poſſum: quemque, qui ſpinoſas vias, per quas eum in critica duxi, quaeque iram illi ac taedium commouere, memet interrogaturum fore, in quo tandem eam ſpem poſuerim? Reſpondeo, *in lege neceſſitatis, cui nulla vi poteſt obſiſti.*

Ingenium hominis inueſtigationes metaphyſicas aliquando prorſus miſſurum eſſe, tam minus exſpectari poteſt, quam nos, ne ſemper aërem impurum hauriamus, aliquando nullum prorſus ſpiritum ducturos fore. Quamobrem in mundo ſemper, et, quod maius eſt, in quouis, praeſertim meditabundo homine, metaphyſica erit, quam, deficiente norma publica, ad ſuum quisque ingenium formabit. Atqui, quae hucusque metaphyſica appellata eſt, nulli homini ſcrutanti ſatisfacere

potest, nec tamen fieri potest, vt se prorsus ab ea abdicet; ergo tandem ipsa rationis purae critica *tentanda*, aut, si adsit, *examinanda* atque ad vniuersalem explorationem vocanda est, quoniam alias non habemus, quo ista indigentia queat, quae plus est, quam sola discendi cupiditas, expleri.

Ex quo criticam noui, perlecto quoque libello metaphysico, qui conceptibus determinatis, varietate rerum atque ordine facilique tractatione me et oblectasset, et coluisset, non potui non quaerere: *anne hic scriptor metaphysicen vel vnum gradum promouit?* Ignoscant, precor, docti homines, quorum scripta alio respectu mihi vsui fuerunt, ad animi vires excolendas contulere, si fateor, me nec in eorum, nec in meis qualibus illis cumque periculis potuisse reperire, iis scientiam vel minimum longius promotum fuisse, idque per causam sane minime miram, propterea quod scientia nondum exstaret, neque particulatim posset conflari, sed surculus eius antea in critica prorsus esse debeat praeformatus. Vt autem omnis calumnia euitetur, ex superioribus iuuabit meminisse, tractatione conceptuum nostrorum analytica intelligentiae profecto permagnam vtilitatem adferri, sed scientiam ipsam (metaphysices) eo ne minimum quidem promoueri, quoniam illae conceptuum analyses duntaxat materiae sunt, quibus demum debeat scientia fabricari. Sic conceptum substantiae et accidentis vtcumque disseces ac determines; id fit optime in praeparationem ad vllum quempiam vsum futurum. Quodsi autem nullo modo possum probare, in vniuersis, quae sunt, substantiam esse constantem, solaque accidentia vicissitudinem experiri, omni illa analysi scientia ne minimum quidem promouebitur. Atqui metaphysica neque hanc enunciationem, neque effatum rationis sufficientis, multo minus pronunciatum aliud magis compositum, velut aliquod, quod ad psychologiam pertineat aut cosmologiam, nullamque omnino enunciationem syntheticam ex anticipatione rite potuit probare: ergo per omnem illam analysin nihil effectum

eſt, nihil promotum, poſt tantosque ſtrepitus concurſusque ſcientia etiamnunc eodem in loco verſatur, in quo temporibus Ariſtotelis fuit, quamquam apparatus ad eam, ſi modo, quo ad cognitiones ſyntheticas ducamur, filum inuentum eſſet, ſine dubio multo melius, quam olim, ſunt inſtituti.

Quibus quidem ſi quis ſe putet offenſum, hanc reprehenſionem facile poterit diluere, ſi vel vnam modo enunciationem ſyntheticam, quae ad metaphyſicam pertinet, in via dogmatica ex anticipatione demonſtret; tum enim duntaxat, cum hoc effecerit, eum reuera ſcientiam promouiſſe concedam: etiamſi enunciatio illa per experientiam communem ſatis videatur confirmata. Nullum quidquam aequius poteſt et moderatius poſtulari, et ſi (quod certiſſime futurum eſt) id non praeſtiterit, nulla ſententia iuſtior, quam haec: metaphyſicam qua ſcientiam huc vſque prorſus nullam exſtitiſſe.

Res tamen modo duas, ſi euocationi pareatur, deprecari cogor: primo ludicra illa *veriſimilium* et coniecturae, quae metaphyſicam tam dedecent, quam geometriam: deinde et deciſionem per virgulam diuinatoriam *ſanioris*, quae dicitur, *intelligentiae humanae*, quae haud cuique diuinat, ſed ad proprietates ſeſe accommodat cuiusque perſonae.

Etenim, quod ludicra iſta attinet *veriſimilium*, ſane nihil inueniri poterit abſurdius, quam in metaphyſica, quae philoſophia eſt ex ratione pura, ſententias iudiciaque in probabilitate conſtitui et coniectura. Vniuerſa, quae ex anticipatione debent cognoſci, eo ipſo pro apodicticis venduntur, ideoque et ita probanda videntur. Eodem iure poſſes geometriam aut arithmeticam in coniecturis conſtituere; quod enim calculum probabilium ſpectat in arithmetica, is haud probabilia continet, ſed prorſus certa iudicia de gradu poſſibilitatis certorum caſuum, ſub datis conditionibus ſimilibus, quae in ſumma vniuerſorum caſuum poſſibilium ſine omni dubio

regulae conuenienter debent congruere, quamuis ratione cuiusque casus singuli haud satis determinata videatur. In sola physica empirica coniecturae possunt (per inductionem et analogiam) concedi, ita tamen, vt certe possibilitas eorum, quae sumo, prorsus esse certa debeat.

Cum *prouocatione ad saniorem intelligentiam humanam*, si de conceptibus decretisque sermo sit, non quatenus ratione experientiae debeant valere, sed quatenus et praeter conditiones experientiae valere dicantur, si fieri poterit, peius comparatum videtur. Quid enim est *intelligentia sana?* Est *intelligentia communis*, quatenus recte iudicat. Et quid tandem est intelligentia communis? Ea est facultas cognitionis vsusque regularum in singulo, quo discernatur ab *intelligentia contemplatiua*, quae in facultate cernitur cognitionis regularum in abstracto. Sic intelligentia communis regulam: vniuersa, quae eueniunt, esse per caussam suam determinata, vix intelliget, numquam autem ita in vniversum poterit perspicere. Quocirca exemplum poscit ex vsu atque experientia, cumque audit, hoc non aliud esse, nisi quod semper cogitauerit, cum fenestra fracta erat, aut vtensile euanuerat, decretum intelligit, illudque etiam concedit. Ergo nullus intelligentiae communis vsus vlterior est, quam quatenus ea regulas suas (quamuis eae reapse in illo insint ex anticipatione) possit in experientia videre probatas, proinde, vt illae ex anticipatione et ab experientia libere perspiciantur, opus est intelligentia contemplatina, idque situm prorsus est extra orbem finientem intelligentiae communis. Sed metaphysica in sola versatur cognitione ex anticipatione, et profecto malum indicium est intelligentiae sanioris, si ad auctorem prouocet, cui hoc loco nulla sententia competit, quemque alias fere despiciunt, praeterquam cum premi se sentiunt, neque exitum contemplationis suae possunt inuenire.

Effugium est maxime frequentatum, quo infideles solent amici communis intelligentiae humanae vti

(quam data occasione laudibus extollunt, plerumque autem contemnunt), cum dicunt: necesse est, quasdam enunciationes esse, quae proxime certa sint, quarumque non solum nullum argumentum adferri debeat, verum etiam nulla omnino ratio reddi, quoniam alias nullus rationum finis foret iudiciorum suorum; verum ad hocce ius suum probandum, numquam possunt (praeter effatum repugnantiae, quod vero haud idoneum est ad veritatem iudiciorum syntheticorum euincendam) aliud quidpiam indubitatum, quod proxime communi intelligentiae humanae tribui liceat, adferre, quam enunciationes mathematicas: veluti bis binis effici quaterna, inter duo puncta tantummodo lineam rectam esse, et id genus alias. Haec vero iudicia sunt, quae a iudiciis metaphysicis toto, quod aiunt, coelo abhorrent. Namque in mathesi vniuersa ea cogitando possum ipse efficere (construere), quae per conceptum tamquam possibilia cogito. Ad bina alia bina successiue addo, ipseque numerum efficio quaternum, vel mente et cogitatione ab vno puncto ad alterum varias lineas duco, et vnam modo ducere possum, in omnibus partibus suis (cum aequalibus, tum inaequalibus) sui similem. Verum ex conceptu rei cuiuspiam per totam meam cogitandi facultatem non possum conceptum elicere alius cuiuspiam, cuius exsistentia necessaria sit cum illa priori coniuncta, sed experientia consulenda est, et, quamuis intelligentia ex anticipatione (sed semper modo respectu habito ad experientiam possibilem) conceptum eiusmodi coniunctionis (effectionis) subministret, tamen illum non possum, quemadmodum conceptus matheseos, ex anticipatione, in visione proponere, et proinde eius possibilitatem ex anticipatione docere, sed hicce conceptus, cum principiis vsus sui semper, si debeat ex anticipatione valere — vti tamen in metaphysica postulatur — defensionis indiget ac deductionis suae possibilitatis, quoniam alias nescias, quousque is locum habeat, et vtrum tantummodo in experientia, an etiam extra eam, queat adhiberi. Ergo in metaphysica, vtpote scientia contemplatiua rationis pu-

rae, numquam poteris ad communem intelligentiam humanam prouocare, sed sane, si coactus fueris eam relinquere, omnique cognitione pura contemplatiua, quam semper esse scientiam, necesse est, proinde quoque ipsa te metaphysica, eiusque institutione (in certis quibusdam causis) abdicare, fidesque rationalis sola nobis possibilis, ad nostramque necessitatem etiam idonea (haud scio, an adeo magis salutaris, quam scientia ipsa) inuenitur. Tum enim facies rerum tota mutata est. Metaphysica scientia sit, necesse est, non solum in toto, verum etiam in cunctis partibus suis, alias ea nulla omnino erit; propterea quod, qua contemplatio rationis purae, nuspiam alibi se poterit sustinere, nisi in cognitionibus vniuersalibus. Extra illam vero et probabilitas et sana intelligentia hominum sane possunt salutarem vsum ac legitimum habere, sed secundum principia prorsus peculiaria, quorum pondus semper pendet ex adfectione ad actionem vitae.

Haec sunt, quae ad possibilitatem metaphysices qua scientiae iure mihi posse videor postulare.

APPENDIX

DE IIS, QUAE FIERI POSSUNT AD METAPHYSICAM QUA SCIENTIAM VERE EFFICIENDAM.

Cum viae omnes, quas huc vsque ingressi sunt, hunc finem haud videantur adsecutae, et nulla praeuia critica rationis purae numquam ferietur, mihi videor haud inique postulare, vt, quod hic ob oculos positum est, periculum accurato ac diligenti examini subiiciatur, nisi ducatur satius, ab omni sibi metaphysica temperare, quod quidem, si proposito steteris, non videtur reprehendendum. Si cursus rerum spectetur ita, vti reuera fit, non vti fieri debet, duplex iudiciorum genus erit, vnum, *quod inuestigationem antecedit*, quod in hac nostra causa vsu venire videmus, cum lector ex metaphysica sua de critica rationis purae (quae tamen possi-

bilitatem illius debet examinare) iudicat, tumque aliud porro *iudicium, quod inuestigationem sequitur,* cum lector consectaria inuestigationum criticarum, quae oppido vehementer metaphysicam suam olim acceptam offenderint, aliquamdiu poterit seponere, et rationes prius examinat, vnde illa possint consectaria deriuari. Si, quae metaphysica communis proponit, indubitato certa forent (vti fere in geometria), prior iudicandi ratio locum haberet; etenim cum certorum quorumdam principiorum consectaria comprehensis certisque veritatibus repugnant, principia illa falsa erunt, et sine vlla vlteriore inuestigatione repudianda. Quodsi autem secus sit, neque metaphysica enunciationibus (syntheticis) abundet indubitato certis, et fortasse adeo copiam earum habeat, aeque speciosarum atque optimarum illarum, nihilominus in consectariis inuicem pugnantium et controuersarum, nullam autem omnino veri notam in se certam contineat pronunciatorum proprie metaphysicorum (syntheticorum); prior iudicandi ratio non poterit locum inuenire, sed exploratio principiorum critices omne debet iudicium antecedere, quale ipsi pretium statuendum videatur.

IMMANUELIS KANTII
ELEMENTA METAPHYSICA
PHYSICES.

PRAEFATIO.

Si vocabulum *naturae* solum sensu *formali* sumatur, pro principio interno eorum omnium, quae ad exsistentiam rei cuiuspiam pertinent, *) tot physices esse formae possunt, quot res sunt specifice diuersae, quarum suum quaeque peculiare principium internum habeat, necesse est, conditionum ad exsistentiam suam pertinentium. Alias autem natura et sensu *materiali* sumitur, non qua qualitas quaedam, sed qua complexus rerum omnium, quatenus *sensibus nostris subiectae*, proinde et experientiae esse possunt, quo proinde vniuersitas phaenomenorum omnium, hoc est, mundus sensibilis, intelligitur, exclusis rebus obiectis cunctis sensibus haud obnoxiis. Natura, hoc sensu sumta, pro diuersitate sensuum nostrorum duabus partibus efficitur, quarum vna res sensibus *externis* obuias, altera res sensui *interno* subiectas complectitur, proinde duplex illius physica, et *corporum doctrina* et *animorum* esse potest, quarum illa naturam *extensam* contemplat, haec *cogitantem*.

Vnaquaeque doctrina, si *systema* esse debeat, hoc est, totum quiddam cognitionis secundum principia ordinatum, vocatur scientia, cumque principia illa decreta esse possint vel *empiricae* notitiarum in toto quodam coniunctionis, vel *rationalis*, etiam physica, siue corporum doctrina sit, siue animorum, in physicam *historicam* et *rationalem* diuidenda foret, si modo vocabu-

*) *Essentia* cernitur in principio interno omnium eorum, quae pertinent ad possibilitatem cuiuspiam rei. Idcirco figuris geometricis (cum in conceptu earum nihil quidquam, quod exprimat exsistentiam, cogitetur) tantummodo essentia potest attribui, non vero natura.

lo *naturae* (quoniam hoc variorum ad exſiſtentiam rerum pertinentium e principio interno deriuationem notat) cognitio contextus per rationem haud neceſſaria efficeretur, ſi nomen ea phyſices debeat merere. Quamobrem phyſica melius in *doctrinam naturae hiſtoricam*, quae nihil niſi facta continet ſyſtematice ordinata (quaeque viciſſim ex *phyſiographia*, tamquam ſyſtemate quodam claſſium illorum ſecundum ſimilitudines, et *hiſtoria naturali*, tamquam expoſitione eorum in locis temporibusque variis conſiſteret), et in *ſcientiam naturae* poterit diſpeſci. Iam vero ſcientia naturae porro vel *proprie* vel *inproprie* dicta foret ſcientia naturae; illa rem ſibi propoſitam prorſus ſecundum principia tractat ex anticipatione, haec ex legibus empiricis.

Scientia *proprie* dici ea ſola poterit, cuius certitudo apodictica videtur; quae duntaxat poteſt certitudinem empiricam continere, cognitio tantummodo *ſcientia* eſt improprie ſic dicta. Illud cognitionis totum, quod ſyſtematicum eſt, propterea iam dici *ſcientia* poteſt, et, ſi coniunctio cognitionis in hoc ſyſtemate in contextu verſetur rationum et conſequentium, adeo ſcientia *rationalis*. Quodſi autem hae rationes ſiue principia in ea, veluti in chemia, tamen in fine empiricae ſint, legesque, ex quibus facta data per rationem explicantur, ſolae leges empiricae videantur, nullam in ſe cohibent conſcientiam neceſſitatis ſuae (non ſunt apodictice certae), tumque totum ſenſu anguſtiori haud dignum eſt nomine ſcientiae, proinde chemia potius ars ſyſtematica foret, quam ſcientia, dicenda.

Igitur phyſica rationalis nomine ſcientiae tum demum digna videtur, cum leges phyſicae, quae in ea fundamento iacent, ex anticipatione poſſunt cognoſci,

neque mere leges ſunt empiricae. Cognitio phyſica prioris generis dicitur *pura;* quam poſteriori loco deſcripſimus, cognitio rationalis *applicata* vocatur. Cum vocabulum naturae iam conceptum inuoluat legum, hic autem conceptum *neceſſitatis* omnium rei cuiuspiam determinationum, ad eius exſiſtentiam pertinentium, facile intelligitur, quare ſcientia naturae hoc nomen legitime debeat a parte *pura* deriuare, quippe quae principia continet reliquarum omnium enodationum phyſicarum, et ſola vi huiuſce partis purae propria *ſcientia* videatur, itemque inde planum erit, quamque phyſicam, ex deſideriis rationis tandem ad ſcientiam naturae redire debere in eaque finiri, propterea quod illa legum neceſſitas conceptui naturae indiuidua adhaeret, et proinde ex iis, oportebit, perſpiciatur; quocirca pleniſſima quorumdam phaenomenorum e principiis chemicis explicatio numquam nobis prorſus ſatisfacit, ſi quidem eorum, tamquam fortuitarum legum, quas ſola docuit experientia, nullae poſſunt ex anticipatione rationes adferri.

Omnis itaque, quae proprie vocatur, ſcientia naturae indiget partis cuiusdam *purae*, in qua certitudo apodictica, quam ratio in ea quaerit, niti queat, quaeque quoniam ſecundum principia ſua, comparata cum iis, quae ſolum empirica ſunt, prorſus diſſimilis videtur, ſimul maxime e re erit, quin, pro natura rei, neceſſario in officio ratione methodi, vt illa pars ſeparata, ab alteraque prorſus ſeiuncta, quantum fieri poſſit, pleniſſima perfectiſſimaque proponatur, quo, quid per ſe ratio valeat, atque vbi illius facultas incipiat adiumento indigere principiorum empiricorum, accurate queat determinari. Cognitio rationalis pura ex meris

conceptibus dicitur philoſophia pura ſiue metaphyſica; contra ea, quae cognitionem conſtituit in ſola conceptuum conſtructione, rem obiectam proponendo in viſione ex anticipatione, vocatur *matheſis*.

Scientia naturae, quae *proprie* ſic dicatur, primum metaphyſicam naturae ponit; namque leges, id eſt, principia neceſſitatis eorum, quae pertinent ad exſiſtentiam rei cuiuspiam, verſantur in conceptu, qui non poteſt conſtrui, propterea quod exſiſtentia non poteſt in vlla quapiam viſione ex anticipatione proponi. Quocirca propria ſcientia naturae requirit naturae metaphyſicam. Atque haec quidem ſemper ſola, neceſſe eſt, principia contineat, quae non empirica videantur (nam ob hanc ipſam cauſam nomen ea gerit metaphyſices), ſed ea tamen *vel* adeo ſine vlla ad vllam quampiam rem experientiae ſubiectam relatione, proinde indeterminate reſpectu naturae huius illiusue rei in mundo ſenſibili, de legibus, quibus efficitur, vt naturae cuiuspiam vniuerſe conceptus eſſe queat, agere poteſt, tumque ea pars eſt *transſcendentalis* metaphyſices naturae: vel peculiarem naturam tractat huius illiusue generis rerum, quarum conceptus empiricus propoſitus eſt, ita tamen, vt, praeterquam quod in hoc conceptu ineſt, nullo alio principio ad eas cognoſcendas vtamur (veluti ea conceptum materiae empiricum aut naturae cogitantis conſtituit, cognitionisque quaerit compagem, cuius ratio capax eſt hiſce de rebus ex anticipatione), tumque eiusmodi ſcientia vocanda eſt metaphyſica naturae, nempe corporeae naturae vel cogitantis, tunc autem ea non eſt vniuerſalis, ſed *ſpecialis* ſcientia naturae metaphyſica (phyſica et pſychologia), in qua principia illa transſcendentalia ad duo illa genera rerum ſenſibus noſtris obnoxiarum adhibentur.

Ego vero contendo, in quaque physica speciali duntaxat tantum *propriae* posse scientiae inueniri, quantum in ea *matheseos* deprehendatur. Namque, vti in superioribus docuimus, propria scientia, praesertim naturae, partem puram postulat, quae empiricae fundamento est, quaeque in cognitione posita est rerum naturalium ex anticipatione. Atqui aliquid cognoscere ex anticipatione est illud ex eius sola possibilitate cognoscere. Sed possibilitas rerum naturalium determinatarum non potest ex solis earum conceptibus cognosci; ex his enim possibilitas cogitationis (eam sibi ipsam haud repugnare) cognosci potest, non autem obiectae rei, qua rei naturalis, quae extra cogitationem (qua exstans) potest proponi. Ergo vt possibilitas determinatarum rerum naturalium, proinde hae ex anticipatione cognoscantur, praeterea requiritur, vt, quae conceptui respondeat, *visio* ex anticipatione offeratur, id est, vt conceptus construatur. Atqui cognitio rationalis per constructionem conceptuum mathematica est. Ergo potest quidem philosophia pura naturae vniuerse etiam sine mathesi esse, id est, ea, quae illa tantum inuestigat, quibus conceptus naturae vniuerse efficitur, sed physica pura de rebus naturalibus *determinatis* (doctrina corporum et animorum) solius matheseos interuentu esse potest, cumque in quaque physica modo tantum *propriae* scientiae inueniatur, quantum in ea inest cognitionis ex anticipatione, physica modo tantum propriae scientiae complectetur, quantum in ea possit matheseos adhiberi.

Quamdiu ergo effectorum chemicorum materiarum in se inuicem nondum inuentus fuerit conceptus, qui possit construi, hoc est, nulla lex appropinquantium partium et fugientium, ex quibus fere ad proportionem soliditatis et similium motus earum cum consequenti-

bus in ſpatio poſſint ex anticipatione ſub adſpectum ſubiici ac proponi (quod quidem vmquam difficulter futurum videtur), chemia non niſi in arte poterit ſyſtematica, ſiue doctrina experimentali verſari, ſed numquam propria ſcientia fieri, quoniam principia ſolum empirica ſunt, neque ex anticipatione poſſunt in viſione oſtendi, proinde decreta phaenomenorum chemicorum quoad eorum poſſibilitatem ne minimum quidem demonſtrant, ad quae quippe nequeat matheſis applicari.

Multo autem longius, quam ipſa chemia, a dignitate ſcientiae naturalis proprie ſic dictae, neceſſe eſt, pſychologiam empiricam remotam manere, primo propterea, quod matheſis ad phaenomena ſenſus interni eorumque leges non poteſt adhiberi, niſi ſolius legis *continuitatis* in defluxu mutationum internarum rationem habeas, quod vero amplificatio cognitionis foret, quae ad eam, quam doctrinae corporum impertit matheſis, perinde fere foret adfecta, ac doctrina de proprietatibus lineae rectae ad geometriam totam. Namque pura viſio interna, in qua phaenomena animi conſtrui debent, tempus eſt, quod vnam duntaxat dimenſionem habet. Verum ne quidem qua ars analyſeos ſyſtematica, aut doctrina experimentalis, ea vmquam ad chemiam propius poteſt accedere, quoniam in ea varia obſeruationis internae ſola cogitatione facta diuiſione ab ſe inuicem poſſunt ſeparari, nec ſeparata recondi arbitratuque rurſus coniungi, multo minus autem ſubiectum cogitans periculis noſtris poteſt fini conuenienter a nobis ſubiici, ipſaque obſeruatio per ſe iam ſtatum obiectae rei obſervatae turbat ac deformat. Igitur ea numquam poterit, niſi hiſtorica, et qua talis, quoad eius eſſe poſſit, ſyſtematica doctrina naturalis interni ſenſus, id eſt, deſcriptio naturalis animi fieri, non vero ſcientia animi, quin ne doctrina experimentalis quidem pſychologica; id quod

etiam in caufa eft, quare titulo huiufce operis, quod proprie principia continet doctrinae corporum, recepto mori conuenienter, vfi fimus nomine generalis fcientiae naturalis, quoniam iftud nomen fenfu proprio illi folum competit, proinde ea re nulla ambiguitas creatur.

Vt autem applicatio mathefeos ad doctrinam corporum, quae per eam folam effe fcientia poteft, fieri queat, principia *conftructionis* conceptuum, quae ad poffibilitatem materiae vniuerfe pertinent, praemittenda videntur; idcirco plena analyfis conceptus materiae in vniuerfum conftituenda erit, id quod opus eft philofophiae purae, quae in hunc finem nullis peculiaribus experientiis vtitur, fed duntaxat iis, quae in ipfo conceptu feparato abftractoue (quamquam in fe empirico) ea deprehendit, comparatis cum vifionibus puris in fpatio et tempore, ex legibus, quae funt iam continentes cum ipfo conceptu naturae in vniuerfum, proinde vera eft *metaphyfica naturae corporeae.*

Omnes philofophi naturales, qui negotium tractare vellent mathematice, idcirco femper (quamuis fui ipfius haud confcii) vfi funt principiis mathematicis, iisque vti debuerunt, quamuis alioquin contra vniuerfam metaphyfices in fuam fcientiam contagionem fibi folemniter profpicerent. Sine dubio metaphyficam putabant effe opinionem poffibilitatis ad libidinem excogitandi ludendique conceptibus, qui nullo pacto poffunt in vifione proponi, nullamque aliam realitatis fuae obiectiuae fidem habent, quam quod fecum ipfi haud pugnare videantur. Omnis vera metaphyfica ex ipfa facultatis cogitandi effentia depromta eft, neque vllo modo propterea conficta, quoniam haud ab experientia defumta eft, fed puras continet cogitationis actiones, proinde conceptus et decreta ex anticipatione, quae varia *repraefentationum empiricarum* demum legitime coniungunt,

quo fieri poſſit *cognitio empirica*, hoc eſt, experientia. Quamobrem phyſici illi mathematici prorſus non poterant carere principiis metaphyſicis, et in his nec iis, quae conceptum rei proprie ſibi propoſitae, ſcilicet materiae, ex anticipatione reddunt ad applicationem ad experientiam externam idoneum, veluti conceptus motus, completionis ſpatii inertiae et ſimilium. De quibus vt decreta mere empirica concederent, iure optimo iudicarunt, certitudini apodicticae, quam legibus ſuis naturalibus impertire vellent, neutiquam conuenire, quocirca ea potius poſtularunt, neque fontes eorum ex anticipatione ſunt ſcrutati.

Sed ad commodum ſcientiae partium grauiſſimum erit, vt principia diſſimilia ab ſe inuicem ſeparentur, quodque eorum ad ſingulare quoddam ſyſtema redigatur, vt iis in ſuo genere ſcientia efficiatur, quo incertitudo atque ambiguitas vitetur, e confuſione oriunda, cum haud facile diſcerni queat, cuinam partim carceres, partim etiam errores, qui in vtendis iis euenerint, tribui debeant. Idcirco neceſſarium duxi de parte purae ſcientiae naturalis (phyſica generali), vbi conſtructiones metaphyſicae ſolent cum mathematicis miſceri, metaphyſicas, cum iisque ſimul principia conſtructionis horum conceptuum, proinde poſſibilitatis ipſius phyſices mathematicae, in ſyſtemate proponere. Quae quidem ſeparatio ſeiunctioque, praeter commodum, quod diximus, eam adferre, peculiare quoddam inuitamentum habet, quod vnitas cognitionis in ſe cohibet et continet, ſi caueamus, ne termini partium ſcientiae miſceantur, ſed campos ſuos occupent rite deſcriptos.

Quae quidem tractandi ratio porro et eo poterit laudari, quod in vniuerſis, quae metaphyſica vocantur, *vniuerſitas abſoluta* ſcientiae partium poterit ſperari,

quod in nulla alia cognitionum forma licet exſpectari, proinde perinde atque in metaphyſica naturae in vniverſum, ita et hoc loco vniuerſitas metaphyſices naturae corporeae certo poteſt exſpectari; in cauſa eſt, quod in metaphyſica res obiecta tantummodo ita conſideratur, vti ſolum ea ex legibus vniuerſalibus cogitandi, in aliis ſcientiae partibus autem, vti ex datis viſionis (tam purae, quam empiricae) proponi debet, vbi illa, quoniam res obiecta ſemper in ea debet cum *vniuerſis* legibus cogitandi neceſſariis comparari, certum cognitionum numerum promat, neceſſe eſt, qui prorſus queat exhauriri, hae autem, eo quod infinitam viſionum (purarum vel empiricarum) varietatem, proinde res cogitationi ſubiectas ſubminiſtrant, numquam poſſunt adſequi vniuerſitatem abſolutam, ſed in infinitum poſſunt amplificari; quemadmodum matheſis pura et phyſica empirica. Quam quidem doctrinam corporum metaphyſicam, quam illa late pateat, penitus mihi videor exhauſiſſe, neque eo tamen haud opus ita magnum confeciſſe.

Schema autem perfectionis ſyſtematis metaphyſici, ſiue natura in vniuerſum ſit, ſiue natura corporea ſingulatim, cernitur in tabula categoriarum. Neque enim plures ſunt conceptus intelligentiae, quae naturam rerum poſſint attingere. Ad quatuor claſſes illas, et *quantitatis*, et *qualitatis*, et *relationis*, et denique *modalitatis*, neceſſe eſt, vniuerſas determinationes conceptus vniuerſalis materiae generatim, proinde et cuncta, quae ex anticipatione de illa cogitantur, quae in conſtructione mathematica proponuntur, aut in experientia, vt determinata res illi obnoxia, dari poterunt, referri. Nec plus hic effici poterit, vel aperiri, aut addi, ſed fere, vbi in perſpicuitate doctrinaque peccatum fuerit, emendari.

Quamobrem conceptus materiae, necesse fuit, vt per omnes, quas diximus, quatuor conceptuum intellectualium functiones (quatuor capitibus) pertractaretur, quarum in quoque noua illius determinatio accessit. Determinatio constitutiua rei cuiuspiam, quae obnoxia debet sensibus externis esse, necesse fuit, motus sit; eo enim solo pelli sensus possunt atque adfici. Ad hunc et intelligentia vniuersa materiae praedicata, quae ad eius naturam pertinent, reuocat, atque ita scientia naturalis tota aut pura est, aut applicata *motus doctrina*. Elementa scientiae naturalis *metaphysica* proinde *quatuor capitibus* sunt comprehendenda, quorum *primum* motum qua *quantum purum*, secundum compositionem illius, sine omni qualitate eius, quod moueri potest, considerat, et *phorometria* appellari potest, *alterum* eum ad rationem reuocat qua *qualitatem* materiae propriam, quae vis originarie motrix appelletur, ideoque *dynamice* vocatur, *tertium* materiam contemplatur cum hac qualitate per proprium motum in *relatione* ad se inuicem, et nomine *mechanices* insignitur, *quartum* vero denique motum illius proponit quietemue solum in relatione ad modum repraesentandi, siue *modalitatem*, proinde qua phaenomenon sensuum externorum determinatum, diciturque *phaenomenologia*.

Praeter internam illam necessitatem, alia ratio externa adest, quamquam modo fortuita, sed nihilominus tamen grauissima, quare elementa metaphysica doctrinae corporum non solum a physica, quae opus habet principiis empiricis, verum etiam ab ipsis praemissis illius rationalibus, quae vsum in ea matheseos spectant, separentur, tractatioque eius absoluta seiungatur a systemate metaphysices vniuersali, eaque qua totum peculiare systematicum proponatur. Etenim, si licuerit, vt termini cuiuspiam scientiae non solum secundum naturam

obiectae rei, modique singularis cognoscendi illius, verum etiam ex fine, quem in ipsa scientia vlterius vtenda propositum habemus, describantur, atque inuentum fuerit, metaphysicam huc vsque tot ingenia haud propterea exercuisse, porroque illa exercituram esse, vt cognitiones ea naturales amplificentur augeanturque (quod multo facilius et obseruatione efficitur; et experimentis, et vsu matheseos ad phaenomena externa), sed vt cognitione potiare eorum, quae sita prorsus sunt vltra vniuersos experientiae terminos, de deo, libertate, et animorum immortalitate; lucrabere in promouendo hoc fine, si eam a germine liberaueris, ex eius quidem radice progerminante, verumtamen incrementum iustum impediente, hoc separatim plantaueris, neque tamen deriuationem illius neglexeris, plantamque eius totam e systemate metaphysices vniuersalis exstirpaueris. Id quod perfectioni huius neutiquam quidquam derogat, et nihilominus cursum huius scientiae aequabilem ad finem eius reddit faciliorem, si vsquequaque, vbi vniuersali opus habeas corporum doctrina, ad separatum illius licuerit systema prouocare, neque maius illud hoc augere. Et sane quidem notatu maxime dignum videtur (sed hoc loco non potest plene sub adspectum subiici), metaphysicam vniuersalem semper, si quando opus habeat exemplis (visionibus), ad conceptibus puris suis intellectualibus vim potestatemque impertiendi, haec semper ex vniuersali corporum doctrina depromere, proinde a forma principiisque visionis externae oportere, quaeque si haud absoluta adsint, vagam titubantemque in meris conceptibus palpare sententia destitutis. Ex quo notae illae controuersiae, certe obscuritas quaestionum de possibilitate antinomiae realitatum, quantitatis intensiuae, et similium, in quibus intelligentia solis exemplis e natura corporea edocetur, quae

conditiones ſint, ſub quibus ſolis conceptus eſt: realitatem obiectiuam habere poſſint, id eſt, ſignificationem veritatemque. Atque ita metaphyſica ſeparata naturae corporeae *vniuerſali* officia praeclara praeſtat et ſumme neceſſaria, propterea quod exempla ſuppeditat (caſus in ſingulo), quibus conceptus et theoremata huius (propriae philoſophiae transſcendentalis) ad effectum transfert, hoc eſt, ſoli cogitationis formae vim ſenſumque attribuit.

In hac tractatione methodum mathematicam, quamquam haud cum rigore ſummo ſecutus ſum (quo longiori tempore opus fuiſſet, quamquod poſſem impendere) tamen imitatus, non eo quidem, vt ei per pompam diligentiae doctrinaeque viam faciliorem pararem, ſed quia exiſtimo, eiusmodi ſyſtema illius capax videri, eamque perfectionem progreſſu temporis ab ſolertiori manu poſſe accipere, ſi hac forma adductis, phyſicis mathematicis operae pretium videretur, partem mathematicam, qua praeterea non poſſunt ſuperſedere, in phyſica generali tamquam ſingularem partem conſtitutiuam tractare, cumque doctrina de motu mathematica coniungere.

Newtonus in praefatione principiorum philoſophiae naturalis (poſteaquam animaduerterat, geometriam ex artificiis mechanicis, quas ea poſtulat, duorum tantummodo egere, nempe lineae rectae, circulique deſcribendi) „gloriatur, inquit, geometria, quod tam paucis prin„cipiis aliunde petitis tam multa praeſtet.“ De metaphyſica dici poſſet: *perculſa ſtupet, quod tam multis e matheſi pura petitis tam pauca praeſtet.* Interim tamen his paucis quiddam efficitur, quod matheſis ipſa in vſu ſuo ad ſcientiam naturalem neceſſario opus habet, quam proinde, cum hic neceſſario mutuum ſumere ab metaphyſica debeat, haud pudere debet, cum ea in commercio apparere.

CAPUT PRIMUM

ELEMENTA METAPHYSICA

PHORONOMIAE.

Definitio 1.

Materia est mobile in spatio. Spatium, quod ipsum mobile est, dicitur spatium materiale siue relatiuum; id vero, in quo omnis motus postremo necesse est cogitetur, (qui proinde ipsum simpliciter immobile est), vocatur spatium purum, siue etiam absolutum.

Scholion 1.

Cum in phoronomia non debeas loqui nisi de motu, subiecto illius, nempe materiae, hic nulla alia proprietas attribuitur, quam *mobilitas*. Haec ipsa proinde tam diu etiam valere pro puncto potest, ab omnique qualitate, proinde et quantitate mobilium in phoronomia nobis temperamus, in soloque motu versamur, iisque, quae in eo vt quantitates possunt cadere sub contemplationem celeritate et directione. — Si nihilominus vocabulo corporis hic vsi nonnumquam fuerimus, fiet hoc duntaxat propterea, vt applicationem principiorum phoronomiae ad secuturos conceptus materiae magis determinatos quodammodo anticipemus, vt tractatio minus sublimis atque abstracta eoque comprehensu facilior reddatur.

Scholion 2.

Si conceptum materiae haud praedicato debeam, quod illi ipsi qua res obiecta competat, sed modo per relationem quamdam ad facultatem cognoscendi, in qua repraesentatio demum mihi dari possit, definire, materia quaeque *res* erit *sensibus externis obnoxia*, eaque foret definitio illius mere metaphysica. Spatium autem tantummodo forma foret vniuersae externae visionis

fenfitiuac (quae eadem vtrum obiectae rei externae, quam vocamus materiam, *per fe ipfi* competat, an modo in natura maneat fenfus noftri, id quidem hoc loco haudquaquam quaeritur). *Materia* foret, *formae* oppofita, id, quod in vifione externa res eft fenfationi obnoxia, proinde proprie empiricum vifionis fenfitiuae externae, quoniam nullo modo poteft ex anticipatione proponi. In omni experientia, neceffe eft, aliquid fentiatur, idque eft reale vifionis fenfitiuae, ergo et fpatium, in quo capere experientiam de motibus eius debemus, poterit fentiri, hoc eft, iis, quae fentiri posfunt, notatum effe, illudque qua complexus rerum omnium experientiae fubiectarum, quod ipfum illi fubiectum fit, *fpatium* appellatur *empiricum*. Hoc autem, vtpote materiale, ipfum mobile eft. Sed fpatium mobile, fi eius motus poffe debeat percipi, aliud amplificatum requirit fpatium materiale, in quo mobile fit, hoc itidem aliud, et fic porro in infinitum.

Ergo omnis motus, qui fubiectus eft experientiae, tantummodo eft relatiuus; fpatium, in quo is percipitur, fpatium relatiuum eft, quod ipfum viciffim, et fortaffe in directione contraria, in fpatio amplificato moveri, proinde et materiam refpectu prioris motam in relatione ad fpatium alterum quiefcere dici poteft, eaeque mutationes conceptus motuum cum mutatione fpatii relatiui fic in infinitum progrediuntur. Spatium abfolutum, id eft, illud, quod, quoniam haud materiale eft, nec effe res poterit experientiae obnoxia, vt *per fe datum* fumere, eft aliquid, quod nec per fe, neque in confequentibus fuis (motu in fpatio abfoluto) percipi queat, propter experientiam fumere, quae tamen femper fine vllo inftituenda videtur. Ergo fpatium abfolutum *per fe* quidem nihil eft, neque vlla res obiecta, fed denotat folum quodque aliud fpatium relatiuum, quod extra datum femper poffum cogitatione informare; quodque modo vltra quoduis datum in infinitum produco, vtpote tale, quo hoc includatur, atque in quo prius poffim vt motum fumere. Quoniam fpatium am-

plificatum, quamquam ſemper adhuc materiale, duntaxat in mente habeo, neque mihi quidquam materiae, quae illud deſignat, notum eſt, ab hac memet contineo, illudque proinde vt purum, haud empiricum et abſolutum repraeſentatur, quocum quodque poſſum empiricum comparare, hocque illo vt mobile repraeſentare, quod ideo ſemper valeat vt immobile. Illud in rem, quae in veritate appareat, conuertere, eſt *uniuerſalitatem logicam* vllius cuiuspiam ſpatii, quocum quodque poſſum empiricum, tamquam illo incluſum comparare, idem eſt, atque *vniuerſalitatem phyſicam* compagis verae confundere, rationemque in eius idea praue intelligere.

Tandem animaduerto, *mobilitatem* rei cuiuspiam obiectae in ſpatio, cum ex anticipatione ſineque inſtitutione per experientiam nequeat cognoſci, a me ob eam ipſam cauſam in critica rationis purae non potuiſſe in conceptibus puris intelligentiae numerari, eumque conceptum, tamquam empiricum, duntaxat in ſcientia naturali, vtpote metaphyſica applicata, quae in conceptu per experientiam oblato, quamquam ſecundum principia ex anticipatione, verſatur, poſſe locum habere.

Definitio 2.

Motus rei cuiuspiam cernitur in mutatione relationum externarum illius ad quoddam ſpatium datum.

Scholion 1.

Antea conceptui materiae iam conceptum motus fundamento poſui. Namque, cum illum ipſum libere a conceptu extenſionis vellem determinare, materiamque proinde et in puncto quodam poſſem conſiderare, licuit concedere, ibi vulgari *motus* definitione, vtpote *mutationis* loci, vti. Iam, cum conceptus materiae vniuerſe debeat, proinde ad corpora commota apte, definiri, illa definitio haud idonea videtur. Locus enim

cuiuscumque corporis punctum eſt. Quod ſi diſtantiam lunae ab terra cupimus determinare, ſcire auemus diſtantiam locorum illorum, et hunc in finem haud a puncto, quod velis, ſuperficiei, aut interioribus terrae, ad quodque pro lubitu lunae punctum metimur, ſed lineam breuiſſimam capimus a centro vnius ad centrum alterius, proinde cuiusque horum corporum tantummodo puncto locus efficitur. Iam corpus ſe poteſt mouere, neque tamen locum mutare, veluti terra, dum circa axim conuertitur. Sed relatio illius ad ſpatium externum tamen ea re mutatur; namque ea, exempli gratia, horis viginti quatuor lunae diuerſas ſua parte conuertit, vnde et varia ad viciſſitudinem effecta in terra oriuntur. De ſolo *puncto* mobili, id eſt, phyſico, dici poteſt, motum ſemper cerni in loci mutatione. Contra hanc definitionem poſſet moneri: motum internum, veluti *fermentationis* non in ea incluſum eſſe: verum res, quae mota dicitur, eatenus qua vnitas ſpectanda videtur. Materia, velut *dolium cereuiſiae*, mouetur, aliud erit, atque *cereuiſia in dolio in motu eſt*. Motus rei cuiuspiam non idem eſt cum motu in ea re; de illo priori hoc loco tantummodo ſermo eſt. Sed hic conceptus poſtea poterit facile ad alterum caſum adhiberi.

Scholion 2.

Motus poſſunt *conuertentes* (ſine loci mutatione) eſſe, aut progredientes, hi autem porro aut ſpatium amplificantes, aut ad certum quoddam ſpatium datum adſtricti motus poſſunt. *Superioris* generis motus ſunt rectilinei, vel etiam curuilinei *in ſe haud retrogradi*. Poſterioris generis motus ſunt *in ſe retrogradi*. Qui quidem rurſus vel *circulantes* ſunt, vel *oſcillantes*, id eſt, motus orbiculares et vibrantes. Illi idem ſpatium ſemper in eadem directione conficiunt, hi ſemper reciproce in directione contraria, velut pendula vibrantia. Ad vtrumque pertinet motus *tremulus*, qui non in motu cernitur progrediente corporis cuiusdam, nihilominus tamen in motu materiae reciproco, locum in vniuerſum

haud mutantis, vti tremores campanae pulſae, tremuliue motus aëris per ſonum commoti. Horum diuerſorum motus generum ſolummodo propterea in phoronomia mentionem facio, quoniam in vniuerſis, qui non progredientes ſunt, motibus vocabulum *celeritatis* ſolet alio ſenſu vſurpari, quam in progredientibus, quemadmodum ſequens ſcholium oſtendet.

Scholion 3.

In quoque motu directio et celeritas duo momenta ſunt contemplationis illius, ſi ab omni alia mobilium proprietate nobis temperemus. Hoc loco conſuetam vtriusque definitionem ſumo; ſed directionis definitio variarum adhuc indiget adſtrictionum. Corpus in orbe commotum continenter mutat ac perpetuo directionem, ita, vt vsque ad regreſſum ad punctum illud, vnde proficiſceretur, omnes, quae fieri poſſunt, in ſuperficie directiones inſtituerit, et tamen dicitur ſemper in eadem directione moueri, velut ſtella errans ab occaſu ad orientem.

Sed, quaenam hic *pars* eſt, ad quam motus dirigitur? quae quidem quaeſtio admodum adfinis eſt quaeſtioni: in quonam poſitum eſt diſcrimen internum concharum; quae caeteroquin ſimiles adeoque aequales videntur, quarum tamen alia ſpecies dextrorſum eſt, alia ſiniſtrorſum contorta; vel conuolutionis fabarum et polentae, e quibus illae inſtar ſiue, vti nautae dicerent, *verſus ſolem*, haec cum ſole adminicula ambiunt? qui quidem conceptus fere conſtrui poterit, ſed, qua conceptus, per ſe nullis notis generalibus atque in diſcurſiuo cognitionis genere nullo modo poteſt explicari, et a quo in rebus ipſis (exempli gratia in raris iſtis hominibus, in quorum cadaueribus omnes partes regulae phyſiologicae conuenienter cum aliis hominibus congruentes, ſed vniuerſa inteſtina ſola dextre ſiniſtreve, contra conſuetum ordinem transpoſita ſunt reperta) nullum cogitari diſcrimen poteſt conſequentium internorum, et proinde verum diſcrimen mathematicum,

idque internum eſt, cui quidem conceptus diſcriminis duorum caeteroquin ex omni parte aequalium, quoad directionem autem diuerſorum motuum orbicularium non quidem prorſus idem eſt, nihilominus tamen cum eo cohaeret. Alio loco oſtendi, hocce diſcrimen, cum in viſione quidem proponi queat, ſed minime ad diſtinctos conceptus reuocari, proinde non intelligi, argumento eſſe confirmanti enunciato: ſpatium omnino non in proprietatibus eſſe vel relationibus *rerum per ſe ipſarum*, quae neceſſario poſſunt ad conceptus obiectivos reuocari, ſed tantummodo ad formam ſubiectiuam viſionis noſtrae ſenſitiuae rerum relationumue, nobis pro eo, quod per ſe ſint, prorſus ignotarum, pertinere. Verum videor deflectere a propoſito, quo ſpatium neceſſario vt *qualitatem* rerum, quam conſideremus, nempe *naturarum corporearum*, tractare debemus, propterea quod hae ipſae tantummodo phaenomena ſunt ſenſuum externorum, et duntaxat qua talia indigent explicationis. Conceptus quidem celeritatis communi conſuetudine ſermonis nonnumquam etiam aliam ſignificationem accipit. Dicimus, terram celerius circum axim verti ſole, quoniam tempore vertitur breuiori; quamquam motus ſolis longe celerior videtur: circuitum ſanguinis in auicula multo celeriorem atque in homine, quamquam motus fluctuans in auicula ſine dubio minori celeritate fit, et ſic etiam in oſcillationibus materiarum elaſticarum. Breuitas temporis in reditu, ſive circulantium ſiue oſcillantium, motuum cauſa eſt huiuſce vſus, quo quidem, ſi modo calumnia vitetur, non peccamus. Namque ſola auctio properationis in reditu, non aucta celeritate locali, peculiaria in rerum natura effecta habet et perquam grauiſſima, cuius quidem rei in circuitu orbiculari humorum in animantibus fortaſſe haud ſatis habita ratio videtur. In phoronomia celeritatis vocabulo vtimur tantummodo in ſignificatione locali $c = \frac{S}{T}$.

Definitio 3.

Quies eſt praeſentia conſtans et perdurabilis in eodem loco; ſed perdurabile id eſt, quod per aliquod tempus exſtat, hoc eſt, perdurat.

Scholion.

Corpus, quod in motu eſt, in quouis, quam percurrit, lineae puncto momentum eſt. Iam quaeritur, vtrum in eo quieſcat, aut moueatur. Sine dubio iſtud dicetur moueri; namque in hoc puncto eatenus duntaxat praeſens eſt, quatenus mouetur. Sed motus illius ſumatur ita:

A B
o—o . . o,

a vt corpus celeritate aequali lineam A B antrorſum et retrorſum a B ad A percurrat, ita vt, quoniam momentum, quo in B eſt, vtrique motui commune eſt, motus ab A ad B $\frac{1}{2}$ Sec. ſed motus a B ad A itidem $\frac{1}{2}$ Sec. vterque autem coniunctim in integra ſecunda abſoluatur, ita, vt ne minima quidem temporis pars ad praeſentiam corporis in B conſumta fuerit: motus poſterior, in directione B A factus, ſine vllo horum motuum incremento, in motum ex directione B a, quod cum A B in linea recta ſitum eſt, poterit mutari, vbi tum corpus, dum in B eſt, in eo haud vt quieſcens, verum vt in motu conſiderandum videtur. Proinde et in priori in ſe ipſum reuertente motu in puncto B vt in motu neceſſe erat ſpectari, quod autem fieri non poteſt; quoniam, pro iis, quae ſumſimus, vnum modo momentum eſt, quod ad motum A B et ſimul ad motum aequalem B A pertinet, priori contrarium cum eoque in vno atque eodem momento coniunctum, omnem motus defectum, proinde, ſi hoc conceptus efficeretur *quietis*, et in motu aequali A a quietem corporis in quoque puncto, velut in B neceſſe foret euincere, quod adſertioni ſuperiori repugnat. Contra lineam A B fingatis vt ſupra puncto A erectam, ita, vt corpus ab A ad B adſcendens, poſteaquam grauitate in puncto B motum perdidit, a B ad A itidem re-

cidat; quaero, vtrum corpus in B vt motum, poſſit, an vt quieſcens, ſpectari. Sine dubio dicetis, vt quieſcens: ſi quidem ei omnis motus priſtinus ademtus ſit, poſteaquam hocce punctum adſecutus fuerit, tumque motus aequalis retro demum ſequi debeat, proinde nondum adſit; ſed defectus motus, pergetis, quies eſt. Verum in motu illo ſumto aequali motus B A itidem non eſſe poterat, niſi ante motus A B ceſſaſſet, neque motus a B et A iam eſſet, proinde, vt in B defectus motus vniuerſi atque ad receptam explicationem quies ſumenda foret, neque eam tamen ſumi licuit, propterea quod in celeritate quadam data, nullum corpus in puncto quodam motus ſui aequabilis vt quieſcens cogitandum videtur. Quo tandem iure in poſteriori caſu conceptus ſumetur quietis, cum tamen iſte adſcenſus delapſusque itidem vno modo momento inuicem diuellantur? In cauſa eſt, quod motus poſterior haud cogitatur aequalis celeritati datae, ſed primo vt aequaliter retardatus, poſteaque vt aequaliter acceleratus, ita tamen, vt celeritas in puncto B haud tota, ſed ad certum modo gradum, quauis nominanda celeritate minorem, cui ſi, loco relapſus, linea lapſus ſui B A in directionem B a poneretur, proinde corpus porro vt adſcendens ſpectaretur, illud, tamquam ſolo momento celeritatis (reactio grauitatis tum in medio relinquitur), quouis tempore, quantum fieri poſſit, maximo aequaliter tamen modo ſpatium, quouis ſpatio nominando, minus abſoluere, proinde locum (pro vlla quapiam, quae fieri queat, experientia) aeternum haud mutaret. Ergo in ſtatum illud transfertur praeſentiae *perdurabilis* in illo loco, id eſt, quietis, quamquam ea propter continuam grauitatis contagionem, id eſt, huiuſce ſtatus mutationem, continuo tollitur. *In ſtatu* eſſe conſtanti et *perdurabili* in eoque *perdurare* et conſtare (ſi nulla re alia is mutetur) duo conceptus ſunt diuerſi, quorum alter alteri nihil quidquam derogat. Ergo quies non poterit per defectum motus, qui, $vt = 0$, vllo modo conſtrui, ſed per praeſentiam in eo loco perdurabilem explicanda videtur, vbi tum hiece conceptus etiam per repraeſentatio-

nem motus cum infinite parua celeritate, per tempus finitum conſtrui poteſt, proinde ad applicationem matheſeos ad ſcientiam naturalem poſtea adhiberi.

Definitio 4.

Conceptum motus compoſiti conſtruere eſt motum, quatenus e duobus pluribusue datis in quadam re mobili coniunctis oritur, ex anticipatione in viſione proponere.

Scholion.

Ad conſtructionem conceptuum requiritur, vt conditio, qua poſſunt proponi, haud ab experientia ſit depromta, proinde nec vires certas ponat, quarum exſiſtentia ab ſola poſſit experientia deriuari, aut omnino, vt conditio conſtructionis non ipſe eſſe conceptus debeat, qui nullo modo poteſt ex anticipatione in viſione proponi, veluti conceptus cauſae et effecti, actionis et reactionis, et ſi quid eiusmodi eſt. Hic itaque praeſertim notandum videtur: phoronomiam neceſſario debere primo conſtructionem motuum, qua *quantitatum*, in vniuerſum, cumque in materia verſetur ſolum qua *quopiam mobili*, in quo proinde nullius prorſus quantitatis ratio habetur, hos motus ſolos qua quantitates, cum quoad celeritatem eorum, tum quoad directionem, et quidem ſecundum eorum compoſitionem ex anticipatione determinare. Tantum enim prorſus ex anticipatione idque intuitiue in gratiam matheſeos applicatae conficiendum eſt. Namque regulae coniunctionis motuum per cauſas phyſicas, id eſt, vires, numquam poſſunt, priusquam principia compoſitionis earum vniuerſe mathematice pure conſtituta fuerint, proponi.

Axioma 1.

Quisque motus, qua res experientiae poſſibili obnoxia, ad libidinem poteſt qua motus corporis in ſpatio quieſcente, vel qua quies corporis, contraque motus ſpatii in directione contraria cum celeritate aequali conſiderari.

Scholion.

Ad capiendam experientiam motus cuiuspiam corporis requiritur, vt non solum corpus, verum etiam, in quo mouetur, spatium, res sint experientiae externae subiectae, proinde materiales. Motus ergo absolutus, id est, in relatione ad spatium aliquod immateriale, nullius omnino experientiae capax videtur, nobisque proinde nihilum (etiamsi, spatium absolutum esse quiddam per se, concesserimus). Sed in omni quoque motu relatiuo spatium ipsum, quoniam pro materiali sumitur, vicissim vt quiescens potest vel motum proponi. Illud fit, cum praeter spatium, cuius ratione corpus vt motum specto, nullum magis dilatatius illudque includens mihi propositum est (sic in cubiculo nauis globum video in tabula commotum); alterum deinde vsu venit, cum mihi vltra hoc spatium aliud praeterea spatium illud includens (vt in allato exemplo ripa fluminis) datum est, vbi tum ratione huius spatium proximum (cubiculum) vt in motu, corpusque ipsum fere vtpote in quiete possum considerare. Sed cum nullo modo fieri possit, vt de spatio quodam empirice dato, quo illud cumque modo dilatatum sit, statuatur, illud ipsum respectu cuiuspiam maiori compage istud includentis spatii, vicissim in motu sit necne, necesse est, ad vniversam experientiam, ad quodque ex experientia consequens nihil prorsus interesse, vtrum corpus vt in motu, an vt in quiete, spatium vero in directione contraria cum celeritate aequali motum considerem. Cum praeterea spatium absolutum vniuersae, quae esse possit, experientiae nihil sit, et conceptus erunt iidem, vtrum corpus dicam ratione huiusce dati spatii in hac directione hac celeritate moueri, an corpus cogitem quiescere, spatioque haec cuncta, sed ex directione contraria, attribuam. Etenim quisque conceptus prorsus idem cum eo est, cuius de discrimine, quo differt ab illo, nullum omnino esse exemplum possit, distatque sola relatione ad coniunctionem, quam ei mente volumus tribuere.

Nec vero possumus in vlla quapiam experientia locum fixum indicare, cuius respectu, quid motus qui-

esque absolute dicatur, determinetur; quidquid enim hoc modo nobis offertur ac proponitur, materiale est, et proinde etiam mobile, et (cum in spatio nullos extremos terminos experientiae possibilis norimus) fortasse et vere motum, neque tamen nos hunc motum poterimus ex aliqua re percipere. - De hoc corporis motu in spatio empirico partem modo vnam possum celeritatis datae corpori impertire, alteram spatio, sed in directione contraria, vniuersaque possibilis experientia ratione consequentium horum duorum motuum coniunctorum prorsus eadem est cum illa, qua corpus vt in quiete spatiumque eadem celeritate in directione contraria motum cogito. *Sed hoc loco omnes motus sumo rectilineos.* Etenim motus curuilineus, cum haud ex omni parte idem sit, vtrum corpus (exempli gratia terram in quotidiana conuersione sua) in motu spatiumque cingens (coelum stellatum) in quiete iure queam, an spatium in motu corpusque in quiete, spectare. In phoronomia ergo, vbi motum corporis considero duntaxat cum spatio (in cuius quietem motumue nulla illius prorsus vis atque contagio est) in relatione, per se prorsus incertum est et arbitrarium, an quantumque celeritatis vni alteriue motus dati velim tribuere; infra in mechanice, in qua corpus motum in relatione efficaci ad alia corpora in spatio motus sui sub contemplationem cadit, hoc non amplius prorsus idem erit, vti suo loco ostendetur.

Definitio 5.

Compositio motuum cernitur in repraesentatione motus cuiuspiam puncti tamquam paris duobus pluribusue eius coniunctis.

Scholion.

In phoronomia, vbi materiam ex nulla alia proprietate noui praeter mobilitatem illius, proinde eam ipsam tantummodo vt punctum, licebit, considerem, motus duntaxat spectari poterit vt *spatii cuiuspiam de-*

scriptio, ita tamen, vt non solum, quemadmodum in geometria, ad spatium, quod describitur, verum etiam ad tempus, in quo illud fit, proinde ad celeritatem, qua punctum aliquod spatium describit, animum aduertam. Igitur phoronomia in mathesi motuum pura versatur. Conceptus quantitatis cuiuspiam determinatus est conceptus procreationis repraesentationis obiectae cuiusdam rei per compositionem similium. Cum autem motui nihil simile sit, nisi itidem motus, phoronomia erit doctrina componendorum motuum vnius eiusdemque puncti secundum directionem eorum et celeritatem, id est, repraesentatio motus vnius, vtpote eius, qui duos motus pluresue simul in se contineat, duorumue motuum vnius eiusdemque puncti simul, quatenus *coniuncti* vnum efficiunt, id est, cum hoc sunt iidem, nec fere quatenus posteriorem, quemadmodum causae effecta sua, producunt. Vt motus, ex compositione plurium, quantum volueris, exsistens inueniatur, licebit, vti in quaque quantitatum productione, primus is quaeratur, qui sub conditionibus datis *e duobus* compositus est; deinde hic cum tertio quodam coniungatur, et sic porro. Ergo doctrina de compositione omnium motuum ad doctrinam motuum duorum reuocari potest. Sed duo motus vnius eiusdemque puncti, qui simul in eo deprehenduntur, dupliciter possunt discerni, et, qua tales, tripliciter ad eum iungi. Primo quidem aut in vna atque *eadem linea* fiunt, aut in *lineis diuersis* simul; hi posteriores sunt motus, qui angulum includunt. Qui in vna *eademque linea* fiunt quoad *directionem* vel inuicem *contrariae* sunt atque oppositae, vel *eamdem directionem* seruant. Cum hi omnes motus vt simul euenientes considerentur, ex proportione linearum, id est, spatiorum motus descriptorum, tempore aequali, continuo quoque efficitur proportio celeritatis. Ergo tres casus sunt: 1) cum *duo motus* (siue aequalibus celeritatibus sint, siue inaequalibus) in corpore quodam ad eamdem directionem coniuncti, modum inde debent efficere compositum. 2) Cum *duo motus* eiusdem puncti (aequalis celeritatis aut inaequalis) ad


directionem contrariam coniuncti per compositionem tertium quemdam motum in eadem linea debent efficere. 3) Cum duo motus cuiuspiam puncti, aequalibus celeritatibus aut inaequalibus, sed in diuersis lineis, quae angulum includunt, vt compositi considerandi sunt.

Theorema 1.

Compositio duorum motuum vnius eiusdemque puncti eo duntaxat cogitari potest, vt alter eorum in spatio absoluto, pro altero vero motus, qui aequali celeritate ad directionem contrariam fiat, spatii relatiui, vt idem cum illo repraesentetur.

Probatio.

Casus primus. Cum duo motus *in vna eademque linea ac directione* vni atque eidem puncto simul competunt.



In celeritate quadam motus celeritates duae A B et a b, qua complexae, debent proponi. Sumas eas celeritates nunc quidem aequales, ita, vt A B = a b sit, eas haud dico in vno posse atque eodem spatio simul proponi. Namque, quia lineae A B et a b, quae celeritates designant, proprie spatia sunt, quae temporibus aequalibus percurrunt; compositio horum spatiorum A B et a b = B C, proinde lineae A C, vt summa spatiorum, *summam* deberet ambarum celeritatum exprimere. Sed partes A B et B C, per se quaeque, haud celeritatem = a b referunt; neque enim, vti a b, tempore aequali absoluuntur. Ergo etiam duplex linea A C, quae eodem tempore absoluitur, quemadmodum linea a b, non duplicem celeritatem refert posterioris, quod tamen postulabatur. Ergo compositio celeritatum dua-

rum ad vnam directionem *in eodem spatio* non potest sub adspectum subiici.

Contra, cum corpus A celeritate A B in spatio absoluto in motu proponitur, praetereaque spatio relativo celeritatem a b = A B attribuo ad directionem contrariam b a = C B, tum hoc idem erit, ac si celeritatem posteriorem corpori ad directionem A B impertiissem (Axioma 1.). Sed corpus tum mouetur eodem tempore per summam linearum A B et B C = 2 a b, quo lineam a b = A B solum absoluisset, et tamen eius celeritas repraesentata est qua summa duarum celeritatum aequalium A B et a b, quod ipsum est, quod postulatum fuit.

Casus secundus. Cum duo motus *in directionibus e diametro oppositis* in vno debent atque eodem puncto coniungi.




A B vnus esto horum motuum et A C alter ad directionem contrariam, cuius celeritatem hoc loco sumamus priori aequalem: ipsa cogitatio, duos eiusmodi motus in vno eodemque spatio in vno atque eodem puncto vt simultaneos repraesentandi, proinde ipsa eiusmodi motuum compositio fieri non posset, quod sumtioni aduersatur.

Contra ea vero cogitatione informes motum A B in spatio absoluto, loco motus A C autem in eodem absoluto spatio, contrarium C A spatii relatiui eadem celeritate, quae (ex axiom. 1.) motui A C prorsus habetur aequalis, ideoque tota potest in locum eius transferri: facile possunt duo e diametro oppositi atque aequales motus eiusdem puncti tempore eodem proponi. Quoniam autem spatium relatiuum eadem celeritate C A = A B ad eamdem directionem cum puncto A motum est, hoc punctum, corpusue, quod illud occupat,

ratione spatii relatiui locum suum haud mutat, hoc est, corpus ad directiones motum e diametro oppositas quiescit, vel, vt vniuerse dicam, motus eius aequalis est differentiae celeritatum ad directionem maioris (id quod facile potest ex iis, quae probata sunt, cogi).

Casus tertius. Cum duo motus eiusdem puncti, *ad directiones, quae angulum includunt*, coniuncti repraesentantur.



Duo motus dati sunt A B et A C, quorum celeritas ac directiones hisce lineis, angulus autem, quem posteriores includunt, per B A C exprimuntur (siue, vt hoc loco, rectus, siue quiuis, quem velis, angulus obliquus sit). Quodsi igitur hi duo motus simul ad directiones A B et A C, et quidem in vno atque eodem spatio, fieri debeant: tamen non in hisce duabus lineis A B et A C simul fieri posset, sed tantummodo in lineis parallelis. Ergo sumendum foret, vno horum motuum in altero mutationem effici (scilicet deflexionem a via data), etiamsi vtraque directio eadem maneret. Id quod contrarium est sumtioni theorematis, quae vocabulo compositionis innuit, vtrumque motum datum tertio quodam *contineri*, proinde cum hoc eumdem esse, neque, dum vnus alterum *mutat*, tertium quemdam producere.

Contra ſumas motum A C tamquam qui in ſpatio fiat abſoluto, loco motus A B autem motum ſpatii relatiui ad directionem contrariam. Linea A C diuiſa ſit in tres partes aequales AE, EF, FC. Dum corpus A in ſpatio abſoluto lineam A E percurrit, ſpatium relatiuum, cum eoque punctum E, ſpatium percurrit Ee = MA; interea dum corpus partes duas coniunctim = A F percurrit, ſpatium relatiuum, cum eoque punctum F, deſcribit lineam Ff = NA; interea dum corpus denique lineam totam AC percurrit, ſpatium, cum eoque punctum C, lineam deſcribit Cc — BA; quibus omnibus idem efficitur, ac ſi corpus A, in hiſce tribus temporis partibus lineas Em, Fn, et CD = AM, AN, AB, atque in toto tempore, quo AC percurrit, lineam CD = A B percurriſſet. Ergo corpus momento vltimo in puncto eſt D, atque in vniuerſo hoc tempore ſubinde in punctis omnibus lineae diagonalis AD, quae proinde tam directionem exprimit, quam celeritatem motus compoſiti.

Scholion 1.

Conſtructio geometrica poſtulat, vt quantitas cum quantitate, aut duae quantitates in compoſitione cum quapiam tertia ſint *eaedem*, non vt eae qua cauſae gignant tertiam, id quod conſtructio mechanica foret. Integra ſimilitudo atque aequalitas, quatenus duntaxat poſſunt in viſione cognoſci, eſt *congruentia*. Omnis conſtructio geometrica identitatis plenae poſita eſt in congruentia. Haec congruentia duorum motuum coniunctorum cum quodam tertio (vtpote ipſo motu compoſito) numquam poterit locum habere, cum illi duo in vno eodemque ſpatio, veluti relatiuo, proponuntur. Idcirco omnes conatus illud theorema in hiſce tribus caſibus probandi ſemper tantummodo ſolutiones fuere mechanicae, cum ſcilicet cauſis motricibus per datum motum vnum cum altero coniunctum gigni tertia poneretur, non autem probaretur, illum cum hoc eſſe eumdem, eumque, qua talem, poſſe in viſione pura ex anticipatione oſtendi.

Scholion 2.

Cum, vt hoc vtar, celeritas quaedam A B duplex vocatur, nihil aliud poterit intelligi, quam duabus eam simplicibus constare atque aequalibus A B et B C (*vid.* Fig. 1.). Quodsi autem celeritas duplex dicatur versari in motu, quo tempore eodem alterum tantum spatium absoluatur, sumitur aliquid, quod per se ipsum intelligitur, nempe, duas celeritates aequales perinde posse coniungi, ac duo spatia aequalia, nec per se manifestum est, celeritatem quamdam datam minoribus, et velocitatem quamdam tarditatibus perinde, ac spatium minoribus, constare; namque celeritatis partes non extra se sunt, quemadmodum partes spatii, et si illa debeat qua quantitas spectari, conceptus quantitatis illius, cum *intensiua* sit, alio modo construendus erit, quam conceptus quantitatis spatii *extensiuae*. Sed ea constructio nullo alio modo fieri potest, quam compositione *remota* (mediata) duorum motuum aequalium, quorum alter corporis, alter spatii relatiui ad directionem contrariam, sed ob eam ipsam caussam cum motu sibi aequali corporis ad directionem pristinam vnus est idemque. Namque *in eadem directione* celeritates duae aequales in corpore quodam non possunt componi, nisi caussis motricibus externis, veluti nauis, quae fert corpus cum vna illarum celeritatum, interea dum alia cum naui immobiliter coniuncta vis motrix corpori alteram, priori aequalem, celeritatem imprimit; in quo tamen semper sumendum est, corpus se cum prima celeritate in motu *libero* seruare, dum altera accedat; quod quidem lex physica est virium motricium, de qua neutiquam esse sermo poterit, cum tantummodo quaeratur, quomodo conceptus celeritatis qua quantitatis *construatur*. Tantum de celeritatibus ad se inuicem addendis. Cum autem sermo est de alterius ab altera subtractione, haec quidem posterior facile poterit *cogitari*, possibilitate celeritatis qua quantitatis per additionem semel concessa, verum conceptus ille non potest tam facile *construi*. Etenim in hunc finem duo motus, necesse est, contrarii in corpore coniungantur; sed quomodo istud

fieri debet? Proxime, hoc eſt, reſpectu eiusdem ſpatii quieſcentis, fieri non poteſt, vt duo motus aequales ad directionem contrariam in eodem corpore cogitentur; ſed repraeſentatio impoſſibilitatis horum duorum motuum non eſt conceptus de eius *quiete*, verum de *impoſſibilitate conſtructionis* huiuſce compoſitionis motuum contrariorum, quam tamen fieri poſſe in theoremate ſumitur. Haec autem conſtructio fieri non poteſt, niſi motu corporis cum *motu ſpatii* coniungendo, vti oſtendimus. Tandem compoſitio quidem duorum motuum, quorum directio angulum includit, itidem non poterit reſpectu vnius eiusdemque ſpatii cogitari, niſi adeo vnus eorum ſumatur vi quadam *externa* continuo in eo ſe exſerente effectus (veluti nauigium corpus quodpiam vehens), reliquos per ſe ſeruans immutatos; aut omnino, vires motrices tertiique cuiuspiam motus generatio e duabus *viribus* coniunctis conſtituendae ſunt, quod quidem expoſitionem efficit *mechanicam* eorum, quae continentur conceptu, non vero *mathematica* eius *conſtructio* eſt, quae duntaxat debet ſub adſpectum ſubiicere, quid ſit res obiecta (qua quantum); non quomodo natura aut arte ope certorum inſtrumentorum viriumque poſſit *produci.* — Compoſitio motuum, quorum ad alios relatio vt qua quantitas determinetur, neceſſe eſt, fiat ad regulas congruentiae, id quod in omnibus iſtis tribus caſibus per ſolum ſpatii motum, vni duorum motuum datorum congruentem, et quo ambo compoſito congruunt, fieri poteſt.

Scholion 3.

Phoronomia igitur, non qua mechanica pura, ſed tantummodo qua pura motus matheſis, in qua materia quoad nullam proprietatem niſi quoad ſolam cogitatur mobilitatem, non niſi ſolum hoc vnum, quod per tres illos caſus illuſtrauimus, theorema de compoſitione motus, et quidem de poſſibilitate ſolum *motus rectilinei*, non curuilinei. Quoniam enim in hoc motus continuo (quoad directionem) mutatur, neceſſe eſt, cauſam eſſe huiuſce mutationis arceſſendam, quae quidem non

poteſt ſolum ſpatium eſſe. Quod vero vocabulo *motus compoſiti* vnus ille caſus plerumque intelligeretur, cum directiones illius angulum includunt, eo quidem haud fere phyſicae, attamen principio diuidendae purae ſcientiae philoſophicae vniuerſe aliquid detrimenti illatum videtur. Namque quod phyſicam ſpectat, omnes tres illi caſus in ſuperiori theoremate tractati *ſolum in tertio* poſſunt ſufficienter proponi. Etenim, ſi angulus, quem duo motus dati includunt, tamquam infinite paruus cogitetur, continet primum; ſi autem ab vna linea recta data modo infinite parum diuerſus cogitetur, caſum cohibebit alterum; ita, vt ſane in noto illo de motu compoſito theoremate res omnes illi, quos diximus, caſus, vt in formula quadam vniuerſali, poſſint oſtendi. Verum hoc modo matheſis motuum haud commode poterit ex vniuerſis partibus ſuis ex anticipatione perſpici, quod vario reſpectu vtile videtur.

Si cui animus ſit, tres illas partes vniuerſalis iſtius phoronomici cum ſchemate diuiſionis comparare omnium purorum conceptuum intellectualium, nominatim conceptus *quantitatis*, is animaduertet: doctrinam compoſitionis motuum, cum conceptus quantitatis ſemper complectatur conceptum compoſitionis ſimilium, ſimul eſſe puram eorum matheſin, et quidem quoad tria momenta omnia, a ſpatio ſubminiſtrata, et *vnitatem* lineae ac directionis, et *multitudinis* directionum in vna eademque linea, tandem *vniuerſitatis* cum directionum, tum linearum, ex quibus motus fieri poſſit, id quod determinationem continet motuum, qui fieri poſſunt, omnium, qua cuiuſpiam quanti, quamquam illorum quantitas (in puncto quodam mobili) in ſola conſiſtit celeritate. Huiuſce animaduerſionis vſus eſt tantummodo in philoſophia transſcendentali.

CAPUT SECUNDUM

ELEMENTORUM METAPHYSICORUM SCIENTIAE NATURALIS.

DYNAMICE.

Definitio I.

Materia cernitur in mobili, quatenus illud spatium replet. Spatium replere est omni mobili reagere atque obsistere, quod motu suo spatium certum quoddam nititur intrare. Spatium haud repletum est spatium vacuum.

Scholion.

Haec est definitio dynamica conceptus materiae. Ea ponit phoronomicam, sed proprietatem addit, quae qua caufa ad effectum adfecta est, nempe facultatem, motui cuidam intra certum quoddam spatium resistendi, de quo in scientia antegressa non oportuit sermonem esse, ne tum quidem, cum in motibus occupabatur vnius eiusdemque puncti ad directiones contrarias. Haec repletio spatii certum quoddam spatium ab alio quodam mobili irrumpente liberum praestat, cuius motus si ad vllum locum quemdam in hoc spatio dirigatur. In quo vero resistentia materiae versus omnes partes directa posita videatur, quidque ea sit, adhuc inuestigandum videtur. Tantum autem iam ex superiori definitione patet: materiam hoc loco haud spectari, vti ea resistat et obnitatur, *si loco suo depelli* debeat, et proinde ipsa moueri (quod quidem infra, qua renisus mechanicus, ad rationem vocabitur), verum si tantummodo *spatium* suae ipsius extensionis debeat *imminui*. Vtimur verbo: spatium *occupare*, id est, in omnibus eius punctis proxime praesentem esse, vt *extensionem* cuiusdam rei in spatio eo denotemus. Quoniam autem in hoc conceptu haud definitum est, quodnam effectum, aut an omnino effectum aliquod ex hacce praesentia existat, vtrum vt aliis, quae intrare nitantur, resistatur,

an folummodo fpatium defignet, quod careat materia, quatenus illud in complexu cernitur fpatiorum plurium, vti quamque figuram geometricam dici poteft fpatium capere (extenfam effe), an adeo aliquid in fpatio fit, quo aliud quoddam mobile cogatur, profundius illud penetrare (alia attrahat), quoniam, inquam, conceptu occupationis fpatii haec omnia indefinita videntur, *repletio fpatii* propior erit determinatio conceptus fpatii *occupationis*.

Theorema 1.

Materia fpatium replet, non fola quidem exfiftentia, fed per peculiarem vim motricem.

Probatio.

Penetratio in fpatium (in momento initii ea dicitur nifus penetrandi) eft motus. Renifus contra motum caufa eft deminutionis, vel etiam mutatio illius in quietem. Atqui cum nullo motu quidpiam coniungi poteft, quod illum deminuat tollatue, nifi alius quidam motus eiusdem mobilis ad directionem contrariam (Phoronom. theor.). Ergo reactio, quam materia quaedam in fpatio, quod replet, omni aliarum penetrationi opponit, caufa eft motus pofterioris materiae ad directionem contrariam. Sed caufa motus dicitur vis motrix. Ergo materia fpatium replet per vim motricem, non vero per folam fuam exfiftentiam.

Scholion.

Lambertus aliique proprietatem materiae, qua ea fpatium replet, vocarunt *foliditatem*, et voluerunt eam in quaque, quae exftet, re (fubftantia) fumendam effe, certe in mundo fenfibili externo. Ex eorum conceptibus abfentia cuiuspiam *realis* in fpatio, hanc refiftentia iam ipfo fuo conceptu deberet, proinde ex effato repugnantiae, in fefe continere, atque efficere, vt ne quidquam aliud in fpatio praefentiae rei eiusmodi fimul effe queat. Sed effatum repugnantiae nullam materiam repellit, quae accedit, vt fpatium aliquod penetret, quod

alia iam occupat. Tum solum, cum ei, quod spatium occupat, vim attribuo, omne mobile externum appropinquans repellendi, intelligo, quomodo fiat, vt repugnet, in spatium, quod res quaedam occupat, et aliam rem eiusdem generis penetrare. Hic mathematicus tamquam datum quoddam primum sumsit construendi conceptus materiae, quod ipsum construi amplius nequeat. Iam a quocumque, quod libuerit, dato constructionem potest conceptus instituere; ita, vt haud necesse sit, datum istud rursum enodari; neque ideo vero ei competet, vt illud pro eo declaret, quod omnis constructionis mathematicae haud capax videatur, eoque regressum impediat ad prima principia scientiae naturalis.

Definitio 2.

Vis attractrix ea vis motrix est, qua materia quaedam esse causa potest aliarum ad se appropinquationis (siue, quod idem est, qua aliarum ab se remotioni obsistit).

Vis repellens ea est, qua materia quaedam esse causa potest aliarum ab se alienandarum remouendarumque (siue, quod eodem redit, qua aliarum ad se appropinquationi obsistit). Has posteriores etiam nonnumquam vires vocabimus *pellentes*, quemadmodum superiores *trahentes*.

Corollarium.

Hae duae tantummodo cogitari possunt materiae vires motrices. Omnis enim, quem materia quaedam alteri potest imprimere, cum hoc respectu earum quaeque modo vt punctum spectetur, motus semper debet tamquam in linea recta inter duo puncta diuisus considerari. Sed in hac linea recta duplex duntaxat fieri motus potest: alter, quo illa puncta ab se inuicem *remouentur*, alter, quo ad se inuicem *appropinquant*. Ea vis autem, quae causa est motus superioris, dicitur vis *repulsiua*, quae posteriorem efficit, *vis attractiua*. Ergo

haec duo genera virium ſola poſſunt cogitari, qua ea, ad quae cunctae vires motrices debeant in natura materiali reuocari.

Theorema 2.

Materia replet ſpatia ſua per vires repulſiuas omnium partium ſuarum, id eſt, per peculiarem vim expanſiuam, quae certum quemdam determinatum gradum habet, quo minores maioresue poſſunt in infinitum cogitari.

Probatio.

Materia ſpatium replet ſola vi ſua motrice (theor. 2.) atque ea quidem, quae irruptioni aliarum, hoc eſt, appropinquationi, reſiſtat. Atque haec eſt vis repulſiua (definit. 2.). Ergo materia replet ſpatium ſuum ſolis viribus repulſiuis, et quidem omnium ſuarum partium, quoniam alias pars ſpatii (contra ſumtionem) haud repleta foret, ſed duntaxat incluſa. *Vis* autem *extenſi per repulſionem* omnium ſuarum partium *vis* eſt *expanſiua.* Ergo materia ſpatium replet ſola ſibi propria vi extenſiua; *quod erat primum.* Vnaquaque vi data neceſſe eſt poſſe cogitari maiorem; qua enim fieri nulla maior poteſt, ea foret, qua tempore finito ſpatium infinitum abſolueretur (id quod fieri non poteſt). Iam vero ſub quaque vi data neceſſe eſt poſſe cogitari minorem (namque minima foret ea, cuius additione ad ſe ipſam infinita per quodque tempus datum nulla poſſet celeritas finita generari, quod vero defectum notat omnium virium motricium). Ergo ſub quouis vis motricis gradu dato ſemper oportebit poſſe dari minorem, id quod alterum videtur. Proinde vis expanſiua, qua quaeque materia ſpatium replet, gradum habet, nec maximum vmquam nec minimum, ſed quo in infinitum poſſunt maiores inueniri et minores.

Corollarium 1.

Vis expanſiua materiae dicitur et *elaſticitas.* Cum autem illa fundamentum ſit, in qua repletio ſpatii, quae eſſentialis cuiusque materiae proprietas eſt, poſita

videatur, haec elaſticitas dicenda erit *originaria;* propterea quod ea non poteſt ab vlla alia materiae proprietate deriuari. Ergo omnis materia originarie elaſtica eſt.

Corollarium 2.

Quoniam vnaquaque vi expanſiua vis motrix poteſt maior inueniri: haec autem illi reagere poteſt, quo ea tum ſpatium poſterioris coarctaret, quod haec cupit dilatare, quod ſi fieret, prior diceretur *vis comprimens;* ſequitur, vt cuique queat materiae vis comprimens inueniri, quae a quouis eam, quod replet, ſpatio poſſit in ſpatium anguſtius cogere.

Definitio 3.

Materia in motu aliam penetrat, cum compreſſu ſpatium extenſionis illius prorſus tollit.

Scholion.

Si in ocrea antliae pneumaticae aëre repleta tudicula fundo propius admouetur, materia aëris comprimitur. Quodſi haec compreſſio tantum poſſet augeri, vt tudicula fundum penitus tangeret (neque tamen quidpiam de aëre elaberetur), materia aëria tum foret penetrata; namque materiae, inter quas ea eſt, illi nihil quidquam ſpatii reliqui faciunt, proinde inter tudiculam et fundum ea deprehenderetur, nec tamen ſpatium occuparet. Haec materiae penetrabilitas per vires comprimentes externas, quam ſi quis ſumſerit vel modo cogitauerit, poſſet *mechanica* vocari. Eſt, cur eiusmodi circumſcriptione hanc materiae penetrabilitatem ab alia quadam diſtinguam, cuius conceptus fortaſſe perinde, ac prior, eſſe non poteſt, de qua tamen aliquando occaſio fuerit, quaedam notandi.

Theorema 3.

Materia poteſt in infinitum comprimi, ſed numquam, quanta illa cumque ſit eius vis comprimens, penetrari.

Probatio.

Vis originaria, qua materia per ſpatium; quod occupat, datum vbique ſe expandere conatur, neceſſe eſt, minori incluſa ſpatio, maior ſit, in ſpatioque compreſſa infinite paruo infinita. Atqui vi datae expanſivae materiae maior poteſt comprimens inueniri, quae hanc in ſpatium cogat anguſtius, et ſic in infinitum; quod erat primum. Ad penetrationem materiae autem coactio eius in ſpatium infinite paruum requireretur, proinde vis comprimens infinita, quod eſſe non poteſt. Ergo materia compreſſu non poteſt ab alia penetrari; quod eſt alterum.

Scholion.

In hoc argumento ſtatim initio ſumſi, vim expanſiuam, quo magis ea in anguſtum cogatur, eo fortius reagere debere. Quod quidem haud ad quodque virium elaſticarum, quae modo deriuatae ſunt, genus valeret, ſed in materia, quatenus ei qua materiae vniverſe, quae ſpatium replet, elaſticitas competit eſſentialis, poteſt poſtulari. Etenim vis expanſiua ex omnibus punctis verſus omnes partes exſerta adeo conceptum illius efficit. Idem quantum autem virium expanſiuarum in ſpatium coactum anguſtius, in quouis puncto illius neceſſe eſt eo fortius repellere, quo minor rurſus retro ſpatium eſt, in quo certum quantum vis effectionem ſuam extendit.

Definitio 4.

Impenetrabilitatem materiae, quae poſita eſt in reſiſtentia, cum gradibus compreſſionis ad proportionem creſcentis, relatiuam appello; eam vero, quae ſumtione nititur, materiam, qua talem, nullius prorſus compreſſionis capacem, dicimus impenetrabilitatem abſolutam. Repletio ſpatii impenetrabilitate abſoluta dici mathematica poteſt, quae vero relatiua ſit, repletio ſpatii dynamica.

Scholion 1.

Secundum conceptum folum mathematicum impenetrabilitatis (qui nullam ponit vim motricem materiae qua originariam) nulla materia capax eft compreffionis, quam quatenus ea vacua in fe fpatia continet; proinde materia qua materia omni penetrationi fimpliciter obfiftit, et cum neceffitate abfoluta. Secundum noftram expofitionem vero huius proprietatis impenetrabilitas pofita eft in caufa phyfica. Nam vi expanfiua efficitur, vt ea ipfa, qua expanfum quoddam, quod repleat fpatium, demum effe queat. Cum autem gradu haec vis gaudeat fuperante, proinde fpatium expanfionis minuente, id eft, in illud vsque ad certum quemdam modum a vi quadam data comprimente penetrari poffit, ita tamen, vt tota penetratio, quoniam vim infinitam requireret comprimentem, fieri non poffit; fequitur, vt *repletio fpatii tantummodo pro impenetrabilitate relatiua fit confideranda.*

Scholion 2.

Impenetrabilitas abfoluta fane nihil plus eft minusque, quam qualitas occulta. Etenim, quae caufa fit, quaerunt, cur materiae nequeant fe inuicem in motu fuo penetrare; et ad id refpondetur; quoniam illae funt imperuiae. Prouocatio ad vim repulfiuam libera ab hac reprehenfione videtur. Namque quamquam haec quoad poffibilitatem non amplius poteft explicari, proinde neceffe fit pro vi conftitutiua valere, tamen cogitationem ea fuppeditat de caufa quadam efficiente eiusque legibus, quibus effectum poffit, nempe refiftentia in fpatio repleto, quoad gradum aeftimari.

Definitio 5.

Subftantia materialis eft id in fpatio, quod per fe, id eft, ab omni alio, quod extra fe in fpatio exftat, mobile videtur. Motus cuiuspiam partis materiae, quo ea definit pars effe, dicitur diuifio. Diuulfio partium materiae eft diuifio phyfica.

Scholion.

Conceptus ſubſtantiae vltimum denotat exſiſtentiae ſubiectum, id eſt, illud, quod ipſum haud viciſſim qua praedicatum ad alius cuiuspiam pertinet exſiſtentiam. Atqui materia eſt ſubiectum eorum omnium, quae in ſpatio poſſunt ad rerum exſiſtentiam numerari; praeter eam enim nullum alias poſſet ſubiectum cogitari, quam ſpatium ipſum; quod vero conceptus eſt, qui nondum quidquam, quod exſtet, ſed ſolas conditiones continet neceſſarias relationis externae rerum, quae eſſe queunt, ſenſibus externis ſubiectarum. Ergo materia, qua mobile in ſpatio, eſt ſubſtantia in illo. Sed itidem et omnes eius partes, quatenus eas ipſas poſſis ſubiecta dicere, non ſolum praedicata aliarum materiarum, ſubſtantiae dicendae erunt, proinde ipſae rurſum materiae. Sed eae ſunt ipſae ſubiecta, ſi per ſe ſint mobiles, ideoque et extra coniunctionem cum aliis partibus ſecundariis aliquid, quod in ſpatio exſtet. Ergo propria materiae mobilitas, aut cuiuspiam partis illius, ſimul euincit, mobile iſtud, et vnamquamque eius partem, eſſe ſubſtantiam.

Theorema 4.

Materia in infinitum diuidua eſt, et quidem in partes, quarum quaeque viciſſim materia eſt.

Probatio.

Materia eſt impenetrabilis atque imperuia (theor, 3.), haec autem tantummodo conſequens eſt virium repulſiuarum cuiusque puncti in ſpatio materia repleto. Atqui ſpatium, quod replet materia, in infinitum mathematice diuidi poteſt, id eſt, eius partes in infinitum poſſunt variari diſtinguique, quamuis haud moueri, ergo nec diuelli (ſecundum argumenta geometriae). In ſpatio vero materia repleto quaeque eius pars vim continet repulſiuam, cunctis reliquis quaquauerſus reagendi, proinde eas repellendi ab iisque itidem repulſum accipiendi, id eſt, ad remotionem ab iis mouendi. Id-

circo quaeque pars ſpatii materia repleti per ſe ipſa mobilis eſt, proinde diuelli poteſt a reliquis qua ſubſtantia materialis per diuiſionem phyſicam. Quam late ergo ratio ſpatii, quod quaedam materia replet, mathematice diuidua patet, tam late etiam patet, quae fieri poteſt, diuiſio phyſica ſubſtantiae, quae illud replet. Sed diuiſibilitas mathematica pergit in infinitum, proinde etiam phyſica, hoc eſt, omnis materia diuidua in infinitum eſt, et quidem in partes, quarum quaeque ipſa viciſſim eſt ſubſtantia materialis.

Scholion 1.

Argumento pro diuiſibilitate ſpatii infinita diuidua ratio materiae neutiquam videtur probata, niſi antea viceris: in vnaquaque parte ſpatii ſubſtantiam materialem eſſe, id eſt, partes per ſe mobiles. Namque, ſi *monadum* patronus, materiam ſumeret punctis phyſicis conſtare, quorum quodque (ob id ipſum) nullas partes habeat mobiles, nihilominus tamen ſola vi repulſiua ſpatium repleat: poſſet confiteri, hoc quidem ſpatium, non autem ſubſtantiam, quae in eo agit, proinde ſphaeram quidem huiuſce effectionis, ſed non ipſum ſubiectum efficiens mobile diuiſione ſpatii ſimul diuidi. Ergo materiam componeret e partibus phyſice indiuiduis, eamque tamen ſtatueret ſpatium occupare *dynamice.*

Superiori autem argumento *monadum* patrono hocce effugium praecluſum videtur. Inde enim manifeſtum eſt: in ſpatio repleto nullum punctum eſſe poſſe, quod ipſum haud quaqua verſum repelleret, vti id repellitur, proinde qua ſubiectum extra quodque aliud punctum repellens praeſens atque reagens per ſe ipſum mobile foret, punctique, quod ſola vi pulſiua, neque ope aliarum itidem repulſiuarum virium, ſpatium repleat, hypotheſis nullo modo fieri poteſt. Quod eoque et argumentum theorematis antecedentis planum fiat,



ſumamus, A locum eſſe monadis cuiuspiam in ſpatio, *ab* ſphaerae diametrum vis ſuae repulſiuae, proinde *a A* diametrum illius, in *a*, vbi penetrationi externae monadis in ſpatium, quod illa ſphaera capit, reſtitutio, et centro eius A, fieri poteſt, vt punctum *c* indicetur (pro diuiſibilitate ſpatii infinita). Quodſi igitur A, illi, quod in *a* penetrare conatur, obſiſtit, *c* quoque vtrique puncto *A* et *a*, neceſſe eſt. obſiſtat. Niſi enim hoc eſſet, ea libere ſibi inuicem appropinquarent, proinde A et *a* in puncto *c*. concurrerent, id eſt, ſpatium penetraretur. Ergo neceſſe eſt in *c* aliquid eſſe, quod penetrationi iſtius A et *a* obſiſtat, ideoque monadem A repellat, vti illud etiam ab ea repellitur. Cum autem *repulſus* in motu cernatur, *c* quiddam mobile in ſpatio eſt, proinde materia, ſpatiumque inter A et *a* non poterat per ſphaeram efficacitatis vnius monadis repletum eſſe, nec proinde ſpatium inter *c* et A, et ſic in infinitum.

Cum mathematici vires repulſiuas partium materiarum elaſticarum, in maiori minoriue illarum compreſſione, ad quamdam quaſi rationem diſtantiarum ſuarum ab ſe inuicem decreſcentes creſcentesque cogitant, velut minimas partes aëris ſe ad rationem conuerſam diſtantiarum ſuarum ſe inuicem repellere, quoniam elaſticitas earum rationem ſeruat conuerſam ſpatiorum, in quibus comprimuntur: tum prorſus a ſenſu eorum aberrant orationemque eorum calumniantur, qui ea, quae ad rationem conſtructionis conceptus neceſſario pertinent, conceptui in ipſa re obiecta attribuunt. Ex illo enim quaeque contrectatio vt diſtantia poteſt infinite parua cogitari; quod in eiusmodi cauſis et neceſſario fieri debet, vbi magnum ſpatium paruumque per eamdem quantitatem materiae, id eſt, per idem quantum virium repulſiuarum, vt penitus repletum cogitari debet. In infinite diuiduo propterea tamen nulla vera partium diſtantia, quae, vtcumque ſpatium totius amplificetur, ſemper continuum efficiunt, ſumi licet, quamquam poſſibilitas huius amplifica-

tionis sola potest sub idea distantiae infinite paruae sub adspectum subiici.

Scholion 2.

Mathesis quidem in vsu suo interno respectu doli metaphysices frustratae aequo esse animo potest, in certaque possessione adsertionum suarum euidentium *de divisibilitate spatii infinita* constare, quae illa cumque dubia contra proferat argutatio solos conceptus rodens; verum in adhibendis, quae de spatio valent, enunciatis suis ad substantiam, quae illud replet, tamen illi ad explorationem ex solis conceptibus, proinde ad metaphysicam deflectendum videtur. Theorema superius iam ipsum ei rei argumento est. Neque enim necessario consequitur, materiam in infinitum physice diuiduam esse, etiamsi id sit respectu mathematico, quamuis quaeque pars spatii ipsa vicissim spatium sit, ideoque semper partes extra partes complectatur, nisi possit euinci, in quauis omnium, quae possunt esse, partium huiusce spatii *repleti* etiam *substantias* esse, quae proinde etiam, separatim a cunctis reliquis, tamquam per se mobiles exstare. Ergo tamen huc vsque argumento mathematico defuit quidpiam, sine quo ad scientiam naturalem illud non poterat certo adhiberi, atque huic defectui superiori theoremate medelam inuenimus. Ac caeteri quidem metaphysices impetus ad theorema *nunc physicum* prorsus sunt philosopho a mathematico committendi, qui praeterea his dubiis se ipsum in labyrinthum coniicit, vnde perdifficulter poterit, etiam in quaestionibus se proxime spectantibus, se expedire, ideoque satis illi secum ipsi negotii erit, neque mathematico opus sit se isti negotio immiscere. Si scilicet materia diuidua in infinitum sit (sic colligit metaphysicus dogmaticus), *constabit ea ex multitudine partium infinita;* namque quiddam totum necesse est omnes partes illas ante in se continere, in quas illud possit diuidi. Hoc pronunciatum posterius et de quoque toto, *qua re per se ipsa*, indubitato certum est, proinde cum nequeat concedi, materiam, quin ne vel ipsum quidem spatium,

infinite multis partibus constare (quoniam repugnat, multitudinem infinitam, cuius conceptus iam ita fert, vt ea numquam possit absoluta cogitari, prorsus absolutam mente et cogitatione depingere), eligendum esse altervtrum, aut vt in geometrae contemtum dicamus: *spatium haud esse in infinitum diuiduum*, aut in metaphysici ignominiam: *spatium nullam esse proprietatem rei per se ipsius*, ideoque materiam nullam rem per se ipsam, sed solum phaenomenon sensus nostri externi vniuerse, quemadmodum spatium formam illius essentialem.

Hic igitur medius in cornibus dilemmatis periculosi philosophus vrgetur. Frustra agunt, qui enunciatum superius: spatium in infinitum esse diuiduum, negant; neque enim argutando demi quidquam mathematicae potest: materiam vero tamquam rem per se ipsam, proinde spatium vt proprietatem rerum per se ipsarum considerare, et nihilominus illud pronunciatum infitiari, vnum idemque videtur. Quamobrem se sentit coactum posteriorem sententiam, vtcumque frequentatam communique intelligentiae conuenientem, mittere, sed sola hac lege, vt, si materiam spatiumque solum phaenomenon statuat (proinde spatium tantummodo formam nostrae visionis sensitiuae externae, ergo ambo non res per se, sed duntaxat subiectiuos cogitandi modos ponat rerum per se nobis ignotarum), tum quoque ex illa difficultate expediri, de *diuisibilitate infinita* materiae, quae tamen ex *infinite multis partibus haud* constet. Quod posterius quidem commode poterit per rationem cogitare, quamquam fieri non potest, vt sub adspectum subiiciatur et construatur. Namque, quod eo solum exstat, quod in repraesentatione datum est atque oblatum, eius etiam haud *plus* datum est ac propositum, quam in repraesentatione deprehenditur, id est, quam late patet repraesentationum progressus. Igitur de phaenomenis, quorum in infinitum diuisio pergit, tantummodo dici potest, partium phaenomeni totidem esse, quot earum proponere, id est, quousque diuidere velimus. Partes enim, vt ad exsistentiam phaenomeni

pertinentes, in mente modo et cogitatione exſtant, nempe in diuiſione ipſa. Iam diuiſio quidem pergit in infinitum, ſed ea tamen numquam qua infinita data eſt: ergo eo non efficitur, vt diuiduum vim partium infinitam *per ſe ipſarum* et extra cogitationem noſtram in ſe contineat, eo quod eius diuiſio tendat in infinitum. Namque haud res eſt, ſed haec tantummodo illius repraeſentatio, cuius diuiſio, quamquam in infinitum poteſt cogitari, atque in obiecta re (per ſe ignota) eius etiam ratio ineſt, tamquam numquam abſoluta poterit, proinde nec tota atque integra proponi, ideoque etiam nullam veram multitudinem infinitam in re obiecta (quod aperte pugnaret) euincit. Vir magnus atque praeclarus, qui, haud ſcio magis, quam quisque alius, confert ad dignitatem matheſeos in Germania conſeruandam, ſaepenumero conatus metaphyſicos, theoremata geometriae de diuiſibilitate ſpatii infinita ſubuertendi, vero illo monito reiecit: *ſpatium tantummodo ad phaenomena pertinere rerum externarum;* verum ſententiam eius haud adſecuti videntur. Ceperunt iſtud pronunciatum, ac ſi dicere vellet: ſpatium nobis ipſis videri, alioquin illud rem eſſe, rerumque adfectionem quamdam per ſe ipſarum, mathematicum autem illud ſolum conſiderare, vti illud videatur; cum tamen illud ſic debuiſſent accipere: ſpatium in nulla prorſus qualitate verſari, quae cuipiam rei *extra* ſenſus noſtros per ſe adhaereat, ſed modo formam ſubiectiuam facultatis noſtrae ſenſitiuae, qua res ſenſibus externis obnoxiae, quas, quales per ſe ſint, haud nouimus, nobis videantur, quod viſum ſiue phaenomenon materiam appellemus. In illa calumnia ſpatium cogitabatur adhucdum qua qualitas rebus etiam extra facultatem repraeſentandi noſtram adhaerens, quam vero mathematicus tantummodo cogitet ex conceptibus vulgaribus, hoc eſt, confuſe (ita enim fere plerumque phaenomenon explicatur, ideoque theorema illud mathematicum de diuiſibilitate materiae infinita, quod enunciatum ſummam perſpicuitatem in conceptu ſpatii ponit, repraeſentationi confuſae ſpatii, quam geometra conſtituit, tribueba-

tur, in quo quidem liberum fuit metaphyfico, fpatium e punctis, et materiam ex partibus fimplicibus componere, atque ita (vti putabat) perfpicuitatis lumen huic conceptui adfundere. Caufa huiufce erroris in *monadologia* latet praue intellecta, quae neutiquam ad explicationem pertinet phaenomenorum naturalium, fed conceptus eft mundi *Platonicus* per fe verus a *Leibnitioque* expolitus, quatenus mundus non qua res fubiecta fenfibus, verum qua res per fe ipfa confiderata, fola res eft intelligentiae propofita, quae tamen fenfuum phaenomenis fundamento fubeft. Iam fane quidem *compofitum rerum per fe ipfarum* neceffe eft ex fimplicibus conftare; hic enim partes, ante vniuerfam compofitionem datae fint, oportebit. Sed *compofitum in phaenomeno* haud conftat ex fimplicibus, propterea quod in phaenomeno, quod numquam nifi compofitum (extenfum) dari poteft et proponi, partes folum per diuifionem, nec proinde ante compofitum, fed modo in compofito dari poffunt atque offerri. Idcirco, quantum equidem intelligo, *Leibnitii* fententia *non* fuit, vt fpatium per ordinem naturarum fimplicium pone fe inuicem definiret, fed illi potius hunc tamquam confentaneum, verum duntaxat ad mundum intelligibilem (nobis ignotum) pertinentem apponeret, nihilque aliud ftatueret, quam quod alio loco oftendimus, fcilicet fpatium, vna cum materia, cuius illud forma eft, non mundum rerum per fe ipfarum continere, fed tantummodo illarum phaenomenon, ipfumque in fola forma verfari vifionis noftrae fenfitiuae externae.

Theorema 5.

Poffibilitas materiae vim attractricem poftulat, alteram illius vim conftitutiuam.

Probatio.

Impenetrabilitas, quae qualitas eft materiae conftitutiua, qua fefe vt quiddam reale in fpatio fenfibus noftris externis primum manifeftat, non eft nifi vis ex-

panſiua materiae (theorema). Atqui vis eſſentialis motrix, qua partes materiae ſe inuicem fugiunt, *primo* quidem haud per ſe ipſa poteſt circumſcribi, ſi quidem eo materia potius nititur, ſpatium, quod replet, continuo expandere, nec *deinde* ſpatio ſolo ad certum expanſionis terminum collocari; hoc quidem cauſam poteſt continere, vt in amplificando volumine materiae ſe expandentis vis expanſiua ad rationem conuerſam minuatur, ſed, quoniam cuiusque vis motricis eſſe gradus poſſunt in infinitum minores, numquam cauſam cohibere, vt ea vſpiam exſpiret. Ergo materia ſola vi ſua repulſiua (quae cauſam continet impenetrabilitatis), et, niſi alia vis motrix illi reageret, intra nullos expanſionis terminos retenta foret, id eſt, in infinitum ea diſſiparetur, in nulloque ſpatio indicanda nulla materiae quantitas deprehenderetur. Ergo in ſolis viribus materiae repulſiuis omnia ſpatia vacua forent, proinde proprie nulla prorſus materia adeſſe. Igitur omnis materia ad exſiſtentiam ſuam opus habet viribus expanſivae contrariis, hoc eſt, comprimentibus. Quae quidem originarie haud viciſſim poſſunt in reſiſtentia quaeri alius cuiuspiam materiae; quippe quae, vt materia ſit, ipſa vi indiget comprimente. Ergo vſpiam vis quaedam materiae originaria, in directione agens repulſiuae contraria, quae proinde ad appropinquantem tendit, id eſt, vis attractrix, ſumenda videtur. Cum igitur ea vis attractrix ad poſſibilitatem materiae, qua materiae, in vniuerſum pertineat, proinde cuncta ab illa diuerſa antecedat, ea non modo ſingulari formae illius, ſed cuique materiae vniuerſae et quidem originarie attribuenda videtur. Ergo cuique materiae attractio competit originaria, vtpote, quae ad eius eſſentiam pertineat, vis conſtitutiua.

Scholion.

In tranſeundo ab hac proprietate materiae ad alteram ſpecifice ab ea diuerſam, quae itidem ad conceptum materiae pertinet, *quamquam in eo haud eſt complexa*, ratio intelligentiae noſtrae propius conſideranda vide-

tur. Quodsi ipsa vis attractrix ad possibilitatem materiae originarie postuletur, quid causae est, cur ea haud perinde, atque impenetrabilitate, pro nota materiae prima vtamur? quare haec (impenetrabilitas) proxime vna cum conceptu materiae datur atque offertur, illa autem (vis attractrix) haud in conceptu cogitatur, sed duntaxat conclusionibus ei additur? Nobis per sensus nostros eam attractionem non tam proxime licere percipere, quam repulsionem renisumque impenetrabilitatis, ad difficultatem nondum idonee poterit responderi. Etenim, etiamsi eiusmodi nobis facultas foret, tamen facile intelligitur, intelligentiam nostram nihilominus repletionem spatii fore electuram, quo substantia in spatio, id est, materia, insigniatur, vti in hac *repletione*, siue, vti alias vocatur, *soliditate*, insigne materiae, tamquam rei a spatio diuersae, ponitur. Attractione, etiamsi eam vel maxime persentisceremus, tamen nobis numquam materiam aperiret determinati *voluminis* ac *figurae*, sed nil nisi nisum organi nostri ad punctum aliquod extra nos (centrum corporis attrahentis) appropinquandi. Namque vis attractrix omnium terrae partium in nobis nihil pluris potest, nihilque aliud agere, quam si tota foret in centro illius coniuncta, illudque solum vim suam in sensu nostro exsereret, perinde atque attractio montis cuiuspiam, aut cuiusque lapidis, ac similium. Atqui ea re nullum determinatum conceptum cuiuspiam rei obiectae in spatio adipiscimur, cum nec figura, nec quantitas, quin ne locus quidem, in quo ea foret, cadere in sensus nostros possit (sola attractionis directio percipi posset, quemadmodum in grauitate: sed punctum attrahens lateret, nec facile quidem intelligo, quomodo id ipsum ex conclusionibus posset, sine perceptione materiae, quatenus ea spatium repleat, inueniri). Ergo perspicuum est, primum vsum conceptuum nostrorum *quantitatis* ad materiam, qua primum fit, vt nostras perceptiones externas in conceptu possimus empirico materiae qua rei obiectae vniuerse mutare, positum esse duntaxat in ea illius proprietate, qua spatium ea replet, quae, interuenien-

te tactus sensu, nobis quantitatem figuramque cuiuspiam extensi, proinde conceptum certae rei obiectae in spatio largitur, qui cunctis, quae ea de re dici poterunt, reliquis quasi quoddam fundamentum constituitur. Idem sine dubio in causa est; quare in euidentissimis vlterioribusque argumentis, attractionem pariter pertinere ad vires constitutiuas oportere, ac repulsionem, nihilominus contra illam attractionem tantopere luctentur, nullasque prorsus vires motrices, praeterquam tundendo premendoque (vtrumque per impenetrabilitatem) concedere velint. Id enim, quo spatium repletur, substantia est, dicunt, illudque et sane verum videtur. Cum vero haec substantia, neque aliter, nisi per sensum illum, quo illius impenetrabilitatem percipimus, nimirum per tactum, exsistentiam suam manifestet, proinde in sola relatione ad contrectationem, cuius initium (in appropinquatione materiae cuiuspiam ad aliam) pulsus, perduratio autem pressio dicatur: videtur ac si vniuersa proxima materiae in aliam actio numquam quidquam aliud possit, nisi pressio esse pulsusue, quas duas contagiones quidem solas possumus proxime sentire, contra attractio, quae in nobis per se aut nullum omnino sensum potest, aut certe nullam determinatam rem ei subiectam ostendere, qua vis constitutiua aegre a nobis conceditur.

Theorema 6.

Sola vi attractrice, sine repulsione, nulla potest materia esse.

Probatio.

Vis attractrix est vis motrix materiae, qua ea pellit aliam, vt sibi appropinquet, proinde, si illa inter omnes materiae partes deprehenditur, materia per illam nititur ad distantiam partium ab se inuicem, proinde et spatium, quod occupant, deminuendam. Atqui nihil actionem potest vis cuiuspiam motricis impedire, nisi alia quaedam vis motrix ei contraria; haec autem, quae at-

tractioni opposita est, vis est repulsiua. Ergo, sine viribus repulsiuis per solam appropinquationem, omnes partes materiae sine impedimento sibi se inuicem appropinquarent, spatiumque, quod ea occupat, minuerent. Cum autem in hoc exemplo nulla partium distantia sit, in qua maior appropinquatio per attractionem ope vis cuiuspiam repulsiuae impossibilis redderetur, eae versus se inuicem tamdiu mouerent, donec nulla prorsus inter eas distantia deprehenderetur, id est, in puncto mathematico illae confluerent, spatiumque vacuum foret, proinde omni omnino materia careret. Neque tamen esse materia potest solis vicibus attractricibus sine repellentibus.

Corollarium.

Ea proprietas, in qua quippe qua conditione ipsa rei cuiuspiam possibilitas interna posita est, pars eius essentialis videtur. Ergo vis repulsiua ad essentiam materiae perinde pertinet, ac vis attractrix, nullaque ab altera potest in conceptu materiae diuelli.

Scholion.

Quoniam duae modo omnino possunt vires motrices in spatio cogitari, repulsio atque attractio, ad ambarum coniunctionem in conceptu materiae vniuerse ex anticipatione euincendam, antea necesse erat quamque per se solam perpendi, vt pateret, quid sola queat ad ostendendam materiam praestare. Nunc manifestum fit, et ambabus constitutis, et sola earum sumta, spatium semper vacuum manere, neque vllam in eo materiam deprehendi.

Definitio 6.

Contrectatio sensu physico est actio proxima reactioque impenetrabilitatis. Actio materiae in aliam praeter contrectationem est actio in distans. Haec actio in distans, quae fieri potest etiam sine interuentu materiarum interiectarum, vocatur actio proxima in distans, siue etiam actio materiae in se inuicem per spatium vacuum.

Scholion.

Contrectatio fenfu mathematico cernitur in terminis duorum fpatiorum communibus, qui proinde nec vnum intra nec alterum fpatium funt. Quocirca lineae rectae fe inuicem non poffunt contrectare, fed punctum, fi quod habent commune, cum intra vnam, tum alteram iftarum linearum pertinet, cum producuntur, id eft, fe inuicem fecant. Verum circulus et linea recta, circulus et circulus, fe inuicem tangunt in puncto, fuperficies in linea, et corpora in fuperficiebus. Contrectatio mathematica in phyfica conftituitur, fed illam fola nondum efficit, ad eam, vt phyfica oriatur, ratio quaedam dynamica, et quidem non virium attractricium debet, fed repulfiuarum, id eft, *impenetrabilitatis*, cogitatione addi. Contrectatio phyfica verfatur in actione reciproca virium repulfiuarum in terminis duarum materiarum communibus.

Theorema 7.

Attractio vniuerfae materiae effentialis eft actio illius proxima in alias per fpatium vacuum.

Probatio.

Vis attractrix originaria ipfa caufam continet poffibilitatis materiae, vtpote rei illius, quae fpatium replet in certo quodam determinato gradu, proinde ipfius adeo poffibilitatis contrectationis eius phyficae. Ea igitur neceffe eft hanc antecedat, eiusque proinde actionem oportebit liberam effe a conditione contrectationis. Atqui actio vis motricis, ab omni contrectatione liberae, etiam a repletione fpatii inter mouens et motum libera eft, id eft, ea, etiamfi fpatium inter vtrumque repletum fit, debet locum habere, proinde qua actio per fpatium vacuum. Ergo attractio originaria et vniuerfae materiae effentialis actio eft eius proxima in alias per fpatium vacuum.

Scholion 1.

Vt virium constitutiuarum possibilitas doceatur, fieri nullo modo potest; ob eam enim ipsam caussam illae vocantur vires constitutiuae, quoniam ab nulla possunt alia deriuari, id est, comprehendi. Nec vero vis attractrix originaria minime magis *a comprehensione remota*, quam repulsio originaria, videtur. Modo enim non tam proxime se offert sensibus, quam impenetrabilitas, vt conceptus nobis obiectarum rerum determinatarum in spatio largiatur. Quoniam ea ergo non tangi vult et contrectari, sed colligi et concludi, eatenus speciem habet vis deriuatae, quasi ea lusus tectus foret virium motricium per repulsionem. Re propius considerata magisque explicita videmus, eam omnino haud vlterius posse ab vlla quapiam deriuari, omnium minime vero a vi motrice materiarum per earum impenetrabilitatem, cum actio illius sit ipsa contraria huiusce impenetrabilitatis. Contra actionem proximam in distans plerumque solet obiici, materiam ibi, *vbi non sit*, proxime agere non posse. Cum lunam terra, quo ea sibi appropinquet, proxime pellit, tum terra in rem agit, quod multis millibus milliaribus ab ea distat, et nihilominus agit proxime; etiamsi spatium prorsus vacuum ponatur. *Etenim*, quamuis inter duo illa corpora materia interiecta foret, tamen ea ad illam attractionem nihil confert. Ergo ea in loco, vbi non est, proxime agit: id quod specie quidem videtur pugnare. Verum tantum abest, vt illud repugnet, vt potius vnaquaeque res dici possit in aliam agere eo duntaxat loco, vbi agens non sit. Namque si in eodem loco, in quo ipsa est, agere deberet, ea res, in quam illa agit, nullo modo *extra se* foret; illud enim *extra* denotat praesentiam in quopiam loco, in quo altera non est. Etiamsi terra lunaque inuicem se tangerent et contrectarent, tamen punctum contrectationis locus foret, in quo nec terra est, nec luna; nam ambae summa diametrorum suorum ab se inuicem abhorrent. Neque in puncto contrectationis vlla omnino pars deprehenderetur, nec terrae, nec lunae: hoc enim punctum in terminis situm est am-

borum ſpatiorum repletorum, quibus (terminis) nulla pars efficitur, neque vnius, neque alterius. Materias igitur in ſe inuicem haud agere poſſe proxime in diſtans, idem foret atque non poſſe eas in ſe inuicem proxime agere, ſine interuentu virium impenetrabilitatis. Iam hoc idem foret, ac ſi dicerem: vires repulſiuae ſunt vnae, quibus poſſint agere materiae, aut ſaltim illae ſunt conditiones, quibus ſolis fit, vt in ſe inuicem materiae agere queant; quo quidem declararetur, vim attractricem aut eſſe omnino non poſſe, aut ſemper tamen ex actione pendere virium repulſiuarum; vtraque adſertio omni deſtituta eſt ratione. Confuſio contrectationis ſpatiorum mathematicae ac phyſicae per vires repulſiuas, hic in cauſſa eſt erroris. Extra contrectationem ſe inuicem attrahere, eſt ſibi inuicem ex lege perpetua appropinquare, nulla vi repulſiua conditionem eius in ſe continente, quod tamen pariter cogitari poſſe debebit, ac ſe inuicem proxime repellere, id eſt, ſe inuicem ad legem perpetuam fugere, nulla vi attractrice quidpiam ad illud conferente. Quippe ambae vires motrices generis ſunt longe diuerſi, neque vlla cauſa adeſt, cur alteram ab altera ſtatuas pendere, eiusque ſine interuentu alterius, poſſibilitatem impugnes.

Scholion 2.

Ex attractione in contrectatione nullus omnino poteſt motus oriri; ſi quidem contrectatio cernitur in actione reciproca impenetrabilitatis, quae ideo omnem motum arcet. Ergo vllam quampiam contrectationem proximam extra contrectationem neceſſe eſt et proinde in diſtantia reperiri; alias enim ipſae vires prementes pellentesque, quae niſum debent appropinquationis producere, cum ad directionem contrariam agant cum vi repulſiua materiae, nullam poſſent, certe haud in natura originarie ſitam materiae, cauſam habere. Illa quidem attractio, quae nulla fit intercedente vi repulſiua, *vera* attractio poteſt, ea vero, quae tantummodo illo modo fit, *putatitia* appellari; nam proprie quidem corpus, cui aliud propterea modo conatur appropinqua-

re, quod hoc alias pulſu ad illud fuit agitatum, nullam prorſus in hoc vim exſerit attractiuam. Verum hae ipſae attractiones putatitiae tandem neceſſe eſt veram pro cauſa habeant, quoniam materia, cuius preſſio pulſusue eſſe pro attractione debet, viribus deſtituta attractricibus ne materia quidem foret (theor. 5.), et proinde modus omnium appropinquationis phaenomenorum per *ſolam* attractionem *putatitiam* explicandorum in orbe circumagitur. Plerumque *Newtonus* putatur ad ſyſtema ſuum neutiquam opus duxiſſe attractione proxima materiarum ſumenda, ſed ſumma matheſeos purae continentia, phyſicis in eo poteſtatem feciſſe, poſſibilitatem illius pro lubitu explicandi, ita, vt pronunciata ipſius cum luſu hypotheſium ſuo commiſceant. Sed qui poterat enunciatum conſtituere, attractionem corporum vniverſalem, quam in diſtantiis aequalibus circum ſe exſerunt, quantitati eſſe materiae proportionatam, niſi ſumſiſſet, omnem materiam, proinde ſolum qua materiam et per proprietatem ſuam eſſentialem, hanc vim motricem exſerere? Nam etſi ſane inter duo corpora, ſiue quoad materiam ſimilia illa ſint, ſiue non, cum vnum trahit aliud, appropinquatio reciproca (ſecundum legem aequalitatis actionis reciprocae) ſemper ad rationem conuerſam quantitatis materiae fieri debet, tamen ea lege tantummodo principium mechanices efficitur, non vero dynamices, id eſt, lex eſt *motuum*, qui viribus efficiuntur attractricibus, haud proportionis ipſarum *virium attractricium*, eaque de omnibus omnino viribus motricibus valet. Quodſi igitur magnes vna vice ab alio magnete aequali, alia vice ab eodem, ſed in capſa lignea altero tanto incluſo grauiore, trahatur, hic poſterior illi priori maiorem motum relatiuum impertiet, quam in caſu illo priori, quamquam, quo quantitas materiae poſterioris augetur, lignum nihil quidquam addit ad vim eius attractricem, nullamque capſae attractionem magneticam euincit. *Newtonus* (Cor. 2. Prop. 6. Lib. III. princip. philoſ. nat.) „ſi aether, inquit, aliudue corpus careret grauitate, cum „ille a quaque materia alia non niſi, quoad formam,

„differat, paullatim mutatione tarda huiusce formae in „materiam eius generis posset, quae in terram plurimam grauitatem habent, mutari, atque haec posterior „vice versa mutatione tarda formae suae, omnem gravitatem amittere posset, id quod pugnat cum experientia." Igitur ipse aetherem haud excepit (quanto minus alias materias) ab lege attractionis. Quamobrem ad summum hunc theoriae attractionis auctorem non poteris tamquam ad antecessorem prouocare, cum tantum tibi sumseris, vt attractioni verae, quam ille adseruit, putatitiam supponas, *necessitatemque* sumas incitamenti per *pulsum*, vt phaenomenon appropinquationis enodetur. Is iure se ab vniuersis hypothesibus continuit, quo ad quaestionem responderet de caussa attractionis materiae vniuersalis; ea quaestio enim physica est, aut metaphysica, non vero mathematica, et quamquam in praemonito secundae editionis *optices* „ne quis," ait, „*grauitatem* inter *essentiales* corporum proprietates me „habere existimet, quaestionem vnam de eius causa in„vestiganda subieci;" tamen intelligitur, offensam, quam aequales eius, et fortasse et ille ipse, e conceptu caperent attractionis originariae, illi dissensum secum ipso creasse: neque enim vllo pacto dicere poterat, vires attractrices duarum planetarum, veluti Iouis et Saturni, quas in distantiis aequalibus suorum satellitum (quorum molem haud nouimus) exserunt, quemadmodum quantitatem materiae corporum istorum, se habere, nisi, eas duntaxat qua materias, proinde secundum proprietatem earum vniuersalem, alias materias attrahere, sumsisset.

Definitio 7.

Vim motricem, qua materiae possunt tantummodo in superficie contrectationis communi proxime in se inuicem agere, vim dico superficialem; eam autem, qua materia in partes materiae alterius vel vltra contrectationis superficiem potest proxime agere, vim voco penetrantem.

Corollarium.

Vis repulſiua, qua materia ſpatium replet, ſola eſt vis ſuperficialis. Partes enim ſe inuicem contrectantes vna terminant alterius ſpatium agendi, visque repulſiva nullam poteſt partem diſtantem mouere, niſi interventu partium interiectarum, et actio materiae proxima, quae per has fiat ex obliquo, in aliam quamdam per vires expanſiuas fieri non poteſt. Contra actio vis attractricis, cuius ope materia quaedam ſpatium capit, *ita, vt illud haud repleat*, quo proinde ad alias agit diſtantes *per ſpatium vacuum*, eius actio nulli terminos ponit materiae interiacenti. Sic attractionem originariam, qua efficitur, vt ipſa eſſe materia queat, cogitari neceſſe eſt, eaque proinde vis eſt penetrans, eoque ſolo ſemper quantitati materiae proportionata.

Theorema.

Vis attractrix originaria, in qua ipſa materiae poſſibilitas, qua talis, poſita eſt, in ſpatio mundi ab vnaquaque parte illius ad quamque aliam proxime in infinitum porrigitur.

Probatio.

Quoniam vis attractrix originaria ad eſſentiam pertinet materiae, et cuique illius parti ea competit, nempe proxime vel in diſtans agendi. Iam ponamus, eſſe diſtantiam, vltra quam ea haud porrigatur, haec foret *terminatio* ſphaerae effectionis illius aut in *materia* intra hanc ſphaeram ſita, aut tantummodo in quantitate *ſpatii* poſita foret, in quod eam contagionem extendit. Illud locum non habet; quippe quae attractio in vim penetrantem *proxime* agit in diſtans, quamuis multae interiaceant materiae, per quodque ſpatium, qua ſpatium vacuum. Nec itidem locum habebit poſterius. Namque, quia quaeque attractio vis motrix eſt, gradum habens, quo in infinitum poſſunt ſemper cogitari minores; in diſtantia quidem maiori ratio foret, gradum attractionis, pro modo dilatationis vis, ad ratio-

nem conuerſam minuendi, numquam eam vero penitus tollendi. Cum ergo nihil ſit, quod ſphaeram efficacitatis attractionis originariae cuiusque partis materiae vſpiam terminet, porrigetur ea vltra omnes, qui oſtendi poſſunt, terminos ad quamque materiam aliam, proinde in ſpatio mundi in infinitum.

Corollarium 1.

Atque ex hac vi attractrice originaria, vtpote penetrante, ab vniuerſa materia, proinde ad proportionem quantitatis illius, exſerta, ad omnemque materiam, in omnes, quae fieri poſſunt, diſtantias, actionem ſuam vi exſerente, deberet, coniuncta cum vi ipſi contra agente, nimirum vi repulſiua, poſterioris circumſcriptio, proinde poſſibilitas ſpatii in certo quodam determinato gradu repleti, deriuari, atque ita conceptus materiae dynamicus, vtpote mobilis, quod ſpatium (gradu determinato occupat) replet, conſtrui. Sed ad id opus eſt lege proportionis, cum attractionis originariae, tum repulſus, in diuerſis diſtantiis materiae eiusque partium ab ſe inuicem, quae, cum tantummodo in diſcrimine verſetur directionis harum virium duarum (cum punctum pellitur, ad ſe aut aliis appropinquandum, aut ab iis remouendum) et in quantitate ſpatii nitatur, in quod quaeque iſtarum virium in diuerſis diſtantiis porrigitur, quaeſtio eſt pura mathematica, quae non amplius metaphyſicam ſpectat, ne vel quoad defenſionem quidem, ſi forte haud ſucceſſerit, vt conceptum poſſemus materiae hoc modo conſtruere. Ea enim rationem reddit veritatem cognitionis noſtrae rationalis conceſſorum conſtructionis elementorum, de imperfectione rationis noſtrae et carceribus in tractatione nullam ea rationem reddit.

Corollarium 2.

Cum vniuerſa data materia gradu quodam determinato vis repulſiuae debeat ſpatium replere, vt res determinata materialis efficiatur, ſola poteſt attractione originaria in conflictu cum repulſione originaria effici,

vt certus quidam determinatus gradus repletionis ſpatii fieri queat; ſiue illud ex propria partium attractione materiae compreſſae inter ſe inuicem, ſiue ex coniunctione illius cum attractione vniuerſae materiae cosmicae originem ducat.

Attractio originaria quantitati materiae eſt proportionalis patetque in infinitum. Ergo repletio ſpatii per materiam quoad modum determinata tandem ab ſola attractione illius in infinitum porrecta effici poteſt, et cuique materiae pro modo vis ſuae repulſiuae impertiri.

Effectum attractionis vniuerſalis, quam vniuerſa materia in omnes atque in omnibus diſtantiis exſerit, dicitur *grauitatio;* niſus ad directionem grauitationis maioris ſeſe mouendi eſt *grauitas.* Effectum vis repulſiuae perpetuae partium cuiusque datae materiae appellatur huiuſce *elaſticitas originaria.* Quae ergo et grauitas vnae ſunt ex anticipatione perſpiciendae notae vniverſales materiae, illa intus, haec extrinſecus; nam in rationibus ambarum poſita eſt poſſibilitas materiae ipſius: *contextus*, ſi qua attractio materiae reciproca, quae duntaxat ad conditionem contrectationis adſtricta eſt, explicatur, haud pertinet ad poſſibilitatem materiae in vniuerſum, neque proinde ex anticipatione poteſt quà cum ea coniuncta cognoſci. Haec ergo proprietas non metaphyſica foret, ſed phyſica, nec proinde ad praeſentes meditationes noſtras pertineret.

Scholion I.

Non poſſum non in gratiam tentaminis conſtructionis eiusmodi, quae fortaſſe fieri poſſit, pauca quaedam praemonere.

1) De vnaquaque vi, in diuerſas diſtantias proxime agente, reſpectuque gradus, quo ea in quodque in certa quadam diſtantia datum punctum vim exſerit motricem, et duntaxat quantitate ſpatii, in qua ſe exten-

dere debet, vt in illud punctum agat, circumſcribitur, dici poteſt: eam in vniuerſis ſpatiis, in quae ſeſe extendat, vtcumque parua ſint magnaue, ſemper quantum quiddam efficere aequale, gradum autem actionis illius in punctum illud in hoc ſpatio ſemper ad rationem conuerſam ſpatii ſeſe habere, in quo debuit expandere, quo poſſet in illud agere. Sic exempli cauſa a puncto lucente quaquauerſum lumen ea expandit in ſuperficiebus orbicularibus, cum quadratis diſtantiae ſemper creſcentibus, quantumque illuminationis in omnibus iſtis in infinitum maioribus ſuperficiebus orbicularibus in toto ſemper idem eſt, quod autem ſequitur, vt pars in hac ſuperficie orbiculari poſita aequalis quoad gradum eo minus debeat eſſe illuminata, quo illa ſuperficies expanſionis eiusdem quanti luminaris maior ſit, atque ita in omnibus viribus legibusque aliis, ex quibus ſe aut in ſuperficiebus expandant, neceſſe eſt, aut in ſpatiis corporeis, vt ſecundum naturam ſuam in res obiectas agant diſtantes. Satius erit, expanſionem vis motricis ex puncto quodam in omnes diſtantias ſic proponi, quam more conſueto, vti in primis ſit in optice, per radios circulares e centro quodam ex ſe inuicem currentes. Namque cum lineae tali modo ductae numquam poſſint, quod permeant, ſpatium, nec proinde quoque, quam feriunt, ſuperficiem replere, quotquot earum ducantur vel inſtituantur, quod neceſſario efficitur ex diuergentia illarum, anſam praebent conſequentiarum moleſtarum, hae vero hypotheſium, quae facile poſſet vitari, ſi ſola quantitas vniuerſae ſuperficiei orbicularis ſub rationem vocaretur, ab eadem quantitate luminis *aequaliter* illuminandae, gradumque illuminationis in quoque loco, per naturam, ad rationem conuerſam quantitatis illius ad totum ſumatur, atque ita in omnia alia expanſione vis cuiuspiam per ſpatia quantitatis diuerſae.

2) Si vis eſt attractio proxima in diſtans, eo magis linea directionis non quaſi a puncto ducendo inſtar radiorum exeant, ſed quaſi ab omnibus punctis ſuperfi-

ciei orbicularis cingentis (cuius diametro data illa diſtantia efficitur) ad punctum ducendum coëant, debebit proponi. Ipſa enim linea directionis motus ad punctum, quod cauſa illius et ſcopus eſt, iam terminum a quo praebet, vnde linea debeat proficiſci, nimirum ab omnibus punctis ſuperficiei, vnde ad centrum ducendum, neque vice verſa, directionem habent: quaeque enim ſuperficiei quantitas ſola determinat copiam linearum, centrum eam indefinitam relinquit. *)

*) Fieri non poteſt, vt ad lineas, radiorum inſtar e puncto quodam diuergentes, ſuperficies in datis diſtantiis poſſint tamquam effecto earum, ſiue illuminatio ſit ſiue attractio, totae repraeſentari repletae. Sic in eiusmodi radiis luminaribus exeuntibus minor illuminatio ſuperficiei cuiusdam diſtantis ſolum in eo poſita foret, quod inter loca illuminata non illuminata, eaque eo maiora, quo magis ſuperficies diſtat, relinquantur. *Euleri* hypotheſis hoc quidem incommodum euitat, ſed ſane difficultate laborat eo maiori motum luminis rectilineum demonſtrandi. Sed haec difficultas ex repraeſentatione promanat materiae luminaris mathematica facile euitabili, tamquam coaceruationis globulorum, quae ſane quidem, pro ſitu ſuo multifariam obliquo verſus directionem pulſus, motus luminis laterales efficeret, cum contra nihil impediat, quo minus eam materiam quaſi quiddam originarie fluidum et quidem totam, nec in ſolida corpuscula diuiſam, cogitemus. Mathematicus decrementum luminis creſcente diſtantia demonſtraturus, radiis orbicularibus vtitur diuergentibus, vt in ſuperficie globoſa expanſionis eorum quantitatem ſpatii, in quo eadem luminis quantitas inter hoſce radios orbiculares aequaliter diſpergi debet, proinde deminutionem gradus illuminationis oſtendat; non autem vult, eos radios ſpectari deberi tamquas ſolos illuminantes, quaſi vsque loca luce vacua, quae in maiori diſtantia maiora fiant, in iis deprehendantur. Quodſi quamque illarum ſuperficierum cupias totam illuminatam cogitatione informare, eadem quantitas illuminationis, quae minorem tegit, in maiori aequaliter cogitari debet, ideoque, ad directionem indicandam rectilineam, a ſuperficie ſunt omnibusque punctis illius ad lineas rectas lucentes ducendae. Effectum eiusque quantitas antea eſſe cogitata debet, tumque cauſſa deſcribi. Hoc idem locum habet in radiis attractiuis, ſi ita dicemus, quin in omnibus virium directionibus, quae inde a quodam puncto, ſpatium, vel ſi corporeum foret, debent replere.

3) Si vis eſt repulſio proxima, qua punctum aliquod (in oſtenſione mere mathematica) ſpatium replet *dynamice*, quaeriturque, ſecundum quam legem diſtantiarum infinite paruarum (quae hoc loco contrectationibus aequantur) vis repulſiua originaria (cuius proinde circumſcriptio duntaxat poſita in ſpatio eſt, in quo ea eſt expanſa) in diuerſis agat diſtantiis: multo minus ea vis poterit per radios repulſiuos diuergentes ex ſumto puncto repellente oſtendi, quamquam directioni motus illud terminus a quo ſit, ſi quidem ſpatium, in quovis expandenda eſt, vt in diſtans agatur, ſpatium eſt corporeum, quod debet cogitari repletum (cuius quidem rei modus, qui ſcilicet punctum vi motrice huius queat, id eſt, dynamice, ſpatium replere, nullius ſane vlterioris oſtenſionis mathematicae capax eſt) radiisque diuergentibus e puncto quodam fieri non poteſt, vt vis repulſiua ſpatii corporei repleti oſtendatur; ſed repulſio, in diuerſis infinite paruis diſtantiis horum punctorum inuicem pellentium, ſimpliciter ad proportionem modo conuerſam ſpatiorum corporeorum, quae quodque iſtorum punctorum replet dynamice, proinde cubi diſtantiārum eorum ab ſe inuicem, aeſtimaretur, neque tamen ea poſſet conſtrui.

4) Ergo attractio materiae originaria in proportione conuerſa quadratorum diſtantiae in omnes partes, repulſionem efficeret originariam in proportione conuerſa cuborum diſtantiarum infinite paruarum, atque eiusmodi actione et reactione ambarum virium conſtitutiuarum materia gradus cuiusdam determinati repletionis ſpatii foret poſſibilis; quoniam, cum repulſio in appropinquatione partium modo creſcat maiori, quam attractio, termini appropinquationis, qua per attractionem datam nulla poteſt maior eſſe, proinde et gradus ille compreſſionis determinatus eſt, quo modus repletionis ſpatii intenſiue efficitur.

Scholion 2.

Ac bene quidem difficultatem ſentio huiuſce explicandi modi poſſibilitatem materiae in vniuerſum,

quae consistit in eo, vt, si punctum aliquod per vim repulsiuam nullum possit aliud proxime pellere, nisi simul vniuersum spatium corporeum vsque ad distantiam datam vi sua repleat, hoc tunc, quod sequi videtur, plura puncta pellentia debeat continere, quod sumtioni repugnat, supraque (theorem. 4.) sub nomine sphaerae repulsionis simplicis in spatio, confutauimus. Sed interest inter conceptum spatii realis, quod dari potest atque offerri, et solam ideam spatii, quod tantummodo ad determinationem relationis spatiorum datorum cogitatur, reapse vero nullum spatium est. In putatitia illa, cuius supra mentionem fecimus, monadologia physica spatia realia perhibebantur vno puncto dynamico, nempe per repulsionem, repleta; namque exstabant, qua puncta ante omnem, quae inde fieri posset, generationem materiae, suaque peculiari sphaera efficacitatis partem determinabant spatii replendi, ad se posset pertinere. Idcirco in illa hypothesi materia non potest vt in infinitum diuidua vtque quantum continuum considerari; namque, quae proxime inuicem se repellunt, partes distantiam habent ab se inuicem determinatam certamque (summam diametrorum sphaerae repulsionis); contra, si, quo vere vsu venit, materiam cogitemus vt quantitatem continuam, nulla prorsus partium inuicem se repellentium distantia locum habet, proinde nec vlla crescens decrescensue sphaera proximae earum efficacitatis. Iam vero materiae extendi possunt vel comprimi (velut aër), tumque distantia cogitatur partium proximarum, quae crescere possunt et decrescere. Quoniam partes proximae materiae *continentis* inuicem se contrectant, siue latius expansa sit siue compressa, distantiae illae ab se inuicem cogitantur *infinite paruae*, et hoc spatium infinite paruum vt maiori gradu minoriue per vim repulsiuam repletum. Sed interuallum infinite paruum prorsus non est a contrectatione diuersum, ergo sola idea spatii, quae ad amplificationem materiae, qua quantitatis continentis, facit ostendendam, quamuis reuera sic nequeat comprehendi. Quodsi itaque vires repulsiuae partium inuicem se pre-

xime pellentium materiae dicuntur esse in proportione conuersa cuborum distantiarum, istud hanc vim habet, eas esse in proportione conuersa spatiorum corporeorum, quae inter partes cogitantur, nihilominus inuicem se proxime contrectantes, quarumque distantia ob eam ipsam causam *infinite parua* dicenda est, vt ea ab omni vera distantia discernatur. Itaque difficultatibus constructionis conceptus cuiusdam, vel potius calumnia illarum haud vtendum contra conceptum ipsum videtur; quippe quo simul ostensio proportionis mathematica, qua ad varias distantias fit attractio, perinde imputaretur, atque illae, quibus quodque punctum in toto quodam materiae se expandente vel compresso alterum proxime repellit. In vtraque causa lex vniuersalis dynamices tum haec foret: actio virium motricium, quae a quouis puncto extra se fit ad quodque aliud, rationem seruat conuersam velut spatium, in quo idem quantum vis motricis sese expandit, vt in hocce punctum proxime ageret in distantia determinata.

Igitur ex lege partium materiae originarie inuicem se repellentium ad proportionem cubicam conuersam necessario lex prorsus alia expansionis compressionisque earum, quam *mariottica* aëris, sequeretur; haec enim vires euincit fugientes partium proximarum, quae proportionem seruant conuersam distantiarum, vti *Newtonus* probat (Princip. philosoph. nat. Lib. II. propos. 23. schol.). Nec vero vis expansiua harum posteriorum poterit qua actio spectari virium *originarie* repulsiuarum, verum ea posita est in *calore*, qui non solum qua materia, quae in eas penetrauerit, sed quod sane videtur, oscillationibus suis proprias partes aëris (quibus praeterea distantiae possunt ab se inuicem concedi) cogit, vt se inuicem fugiant. Quas vero oscillationes partibus inuicem proximis vim fugientem oportere impertire, quae proportionem seruat conuersam distantiarum, facile poterit ex legibus communicandi motus per vibrationes materiarum elasticarum doceri.

Praeterea monemus, hanc expofitionem legis repulfionis originariae nolle nos ad finem tractationis noftrae metaphyficae materiae neceffariam fpectari, neque hanc pofteriorem (cui fatis eft, repletionem fpatii vt qualitatem illius dynamicam propofuiffe) controuerfiis onerari ac dubiis, quae illam poffent attingere priorem.

COROLLARIUM GENERALE
AD
DYNAMICEN.

Si vniuerfas illius tractationes refpexerimus, animaduertemus: in iis *primo reale* in fpatio (quod alias folidum dicitur), in illius repletione per *vim repulfiuam*, *deinde* id, quod refpectu prioris, vtpote rei proprie perceptioni noftrae externae fubiectae, *negatiuum* eft, nimirum *vim attractricem*, qua, quantum in ea eft, omne fpatium penetraretur, proinde folidum prorfus tolleretur, *tertio circumfcriptionem* vis prioris per alteram pofteriorem, atque inde oriundam determinationem *gradus cuiuspiam* fpatii *repletionis* confideratam effe, proinde *qualitatem* materiae fub titulis *realitatis*, *negationis* et *limitationis*, quantum dynamicae metaphyficae competit, plene pertractatam.

SCHOLION GENERALE
AD
DYNAMICEN.

Principium vniuerfale dynamices naturae materialis cernitur in eo, vt vniuerfum reale rerum fenfibus externis obnoxiarum, quae id attingunt, quod non in fola fpatii determinatione verfatur (loco, extenfione, et figura), tamquam vis motrix fpectandum fit; quo proinde, quod dicitur, folidum iftud, fiue impenetrabilitas abfoluta, vt conceptus vacuus atque inanis, e fcientia naturalis relegatur, in eiusque locum vis repul-

fiua collocatur, contra ea vero vera attractio et proxima contra omnes argutationes metaphyfices fe ipfam calumniantis defenditur, et, qua vis conftitutiua, ad ipfam conceptus materiae poffibilitatem neceffaria declaratur. Hinc igitur efficitur, vt fpatium, fi quis neceffarium ducat, etiam *haud difperfis* intra materiam *interuallis vacuis* fere perpetuo et nihilominus diuerfo gradu poffit repletum fumi. Namque pro gradu originarie diuerfo virium repulfiuarum, in qua prima materiae proprietas, quippe qua fpatium replet, pofita eft, ratio illius ad attractionem originariam (fiue cuiusque materiae per fe ipfius fit, fiue ad coniunctam omnis materiae in vniuerfo attractionem) poteft infinite diuerfa cogitari; propterea quod attractio multitudine materiae nititur in fpatio quodam dato, cum contra vis eius expanfiua in gradu pofita fit illius replendi, qui fpecie poteft admodum differre (vti fere eadem aëris quantitas in eodem volumine pro maiori minoriue pondere plus minusue elafticitatis exferit); cuius quidem vniuerfae haec poteft ratio reddi: vera attractione *omnes partes* materiae proxime *in omnes partes* aliarum agere, *vi* autem *expanfiua* folas eas *in fuperficie contrectationis* agere, in quibus idem fit, vtrum multae poft plus an minus huiufce materiae deprehendatur. Atque ex hoc folo permagna emergit vtilitas fcientiae naturali, propterea quod illa ea re onere leuatur, ex repleto vacuoque mundum ad folam phantafiam fabricandi, potiusque cuncta fpatia plena poffunt et tamen ad modum varium repleta cogitari, quo fpatium vacuum faltem *neceffitatem* fuam amittit, ad pretiumque et dignitatem hypothefeos reducitur, cum illud alias, fub praetextu ad explicandos varios repletionis fpatii gradus conditionis neceffariae, titulum poffet ac dignitatem decreti fibi arrogare.

Nihilominus manifeftum eft, commodum metaphyfices methodice hic adhibitae, in principiis metaphyficis, fed non ad obruffam critices examinatis, abolendis duntaxat *negatiuum* effe. Verumtamen indirecte

quidem ſcrutatori naturae campus eo amplificatur; quoniam conditiones, quibus illud antea ipſe limitaret, quibusque vniuerſae vires motrices originariae philoſophando tollerentur, nunc valorem amittunt. Caue ſis autem, ne ea, quibus, conceptus materiae vniuerſalis vt omnino eſſe queat, efficitur, transgrediare, et ſingularem illam vel adeo ſpecificam illius determinationem varietatemque cupias ex anticipatione enodare. Conceptus materiae ad ſolas vires motrices reuocatur, quod aliter non potuit exſpectari, quoniam nulla actio poteſt, nullaque mutatio, nec niſi ſolus motus cogitari. Ecquis autem cupiat poſſibilitatem perſpicere virium conſtitutiuarum? Eae duntaxat poſſunt ſumi, cum ad conceptum, quem conſtitutiuum eſſe euinci poteſt, qui nequeat ab vllo alio deriuari, neceſſario pertinebunt, eaeque vires ſunt repulſiuae iisque reagentes in vniuerſum. Quarum quidem de copulatione et conſequentibus fere etiam poterimus ex anticipatione iudicare, quas earum in ſe inuicem proportiones poſſint, ſine pugna, cogitari, neque tamen propterea tantum nobis arrogare, vt, vnam earum exſtare, ſumamus, quoniam, quo iure queas hypotheſin ſtatuere, neceſſario poſtulatur, vt eorum, quae ſumantur, *poſſibilitas* prorſus *certa* ſit, cum tamen poſſibilitas virium conſtitutiuarum numquam poſſit perſpici nec comprehendi. Atque in eo quidem commodum explicandi rationis mathematico-mechanicae commodum ſuperat metaphyſico-dynamicae, quod ei non poteſt praeuerti, nimirum vt ex materia prorſus ſimili, per variam figuram partium, ope vacuorum interuallorum inſperſorum, permagna ſpecifica materiarum varietas, cum quoad ſoliditatem, tum quoad modum agendi (accendentibus viribus alienis) conficiatur. Nam et figurarum poſſibilitas et interuallorum vacuorum poteſt cum euidentia mathematica euinci; contra, cum ipſa materia in vires conſtitutiuas mutatur (quarum leges nullo modo poſſumus ex anticipatione determinare, multo minus varietatem illarum, quae ad explicandam ſpecificam materiae diuerſitatem idonea foret, certo indicare) omni nos adiumento care-

mus, quo hunc materiae conceptum *construamus*, et quod vniuerfe cogitabamus, in vifione vt poffibile proponamus. Sed illud commodum e contrario dupliciter perdit phyfica mere mathematica, propterea quod ea primo conceptum inanem (impenetrabilitatis abfolutae) conftituat, oportebit, deinde omnes materiae *proprias vires* relinquat, praetereaque in configurationibus materiae conftitutiuae originariis fuis, fpatiisque vacuis diffeminandis, pro eo atque neceffitas explicandi poftulat, phantafiae in campo philofophiae maiorem libertatem, atque etiam ius concedat legitimum, quam cum cautione huiufce pofteriori poffit conciliari.

Loco explicationis idoneae poffibilitatis materiae illiusque diuerfitatis fpecificae ex viribus illius conftitutiuis, quam nequeo adferre, momenta, vt fpero, plene proponam, ad quae diuerfitas earum fpecifica cuncta erit ex anticipatione reuocanda. Scholia definitionibus interiecta vfum eorum illuftrabunt.

1) Corpus, fenfu phyfico, eft *materia inter terminos definitos* (quae proinde figuram habet). *Spatium inter hos terminos, quoad quantitatem confideratum, volumen* eft. Gradus repletionis cuiuspiam fpatii materiae determinatae dicitur *foliditas*. Alias vocabulum *folidi* etiam abfolute vfurpatur pro eo, quod haud *cauum* (bullis, et foraminibus fcatens) eft. Hac fignificatione eft quaedam foliditas abfoluta in fyftemate impenetrabilitatis abfolutae, et quidem, cum materia quaedam nulla prorfus continet interualla vacua. Ad hunc repletionis fpatii conceptum comparationes fiunt, materiaque altera vocatur folidior, quae minus vacui in fe continet, donec ea, in qua nulla fpatii pars vacua eft, plene folida dicatur. Hoc pofteriori verbo vti duntaxat ex conceptu poffumus materiae mere mathematico, fed in fyftemate dynamico impenetrabilitatis merae relatiuae nullum eft maximum minimumue foliditatis, et nihilominus quaeque materia vel fubtiliffima poteft prorfus folida vocari, fi fpatium fuum tota repleat, nec vacua

interualla contineat, proinde quiddam continuum fit, haud interruptum; fed ea tamen, comparata cum alia quadam, minus folida eft, fenfu dynamico, fi tota quidem fpatium repleat, verum haud gradu aequali. Verum etiam in pofteriori fyftemate haud conuenit, proportionem cogitare materiarum quoad foliditatem, nifi eas inter fe inuicem fpecifice fimiles cogitemus, ita, vt altera ex altera queat per folam compreffionem procreari. Cum igitur pofterius per fe haud ita neceffarium videatur ad naturam materiae vniuerfae, haud facile comparatio poteft locum habere materiarum diffimilium refpectu foliditatis earum, veluti aquae et Mercurii, quamquam illud fieri adfolet.

2) *Attractio, quatenus folum in contractione agens cogitatur*, dicitur *contextus*. Ac probis quidem experimentis vincitur, eamdem vim, quae in contrectatione dicitur contextus, etiam diftantia admodum parua agentem deprehendi; verum attractio duntaxat contextus vocatur, *quatenus* eam tantummodo in contrectatione cogito, vulgari experientiae conuenienter, in qua ex diftantiis paruis ea vix percipitur. Contextus plerumque pro proprietate materiae prorfus vniuerfali accipitur, non quafi ad illam iam conceptu materiae ducamur, fed quoniam experientia fefe vbique demonftrat. Sed haec vniuerfalitas non eft *collectiue* intelligenda, quafi quaeque materia hoc attractionis genere in quamque aliam *fimul* in fpatio cosmico ageret — cuiusmodi eft grauitationis — fed *disiunctiue*, nempe in vnam alteramue, cuiuscumque modi materiarum ea fit, quae eam contrectet. Propterea, cumque haec attractio, quod variis poteft rationibus euinci, non penetrans fit, fed modo vis fuperficialis, cum ea ipfa qua talis ne quidem vbique ad foliditatem fefe accommodet, cum ad plenum robur contextus ftatus fluiditatis materiarum antecedens fequentisque earum rigoris neceffarius fit, arctiffimaque contrectatio fractarum materiarum folidarum in iisdem ipfis fuperficiebus, quibuscum antea tam arcte cohaerebant, veluti vitri fpecularis, vbi rimam duxit,

tamen gradum attractionis amplius haud concedit, quem ab rigore post fluiditatem acceperat, eam attractionem in contrectatione nullam vim materiae constitutiuam duco, sed tantummodo deriuatam (qua de re infra plura dicentur). Materia, cuius partes, quantumuis maxime inuicem cohaereant, tamen a quaque vel minima vi motrice possunt ad se inuicem *transmoueri*, est *fluida*. Sed partes materiae inuicem *transmouentur*, cum, quanto contrectationis haud deminuto, modo coguntur eam inuicem permutare. Partes, ideoque materiae, *diuelluntur*, cum ea contrectatio non solum cum aliis permutatur, sed tollitur, quantumue eius deminuitur. *Corpus rigidum illud est, cuius partes non per quamque vim ad se inuicem possunt transmoueri*, quae proinde certo gradu quodam vis transmotioni resistunt. *Impedimentum transmotionis* materiarum ad se inuicem est *frictio*. Renisus *contra diuulsionem* materiarum inuicem se contrectantium est contextus. Itaque materiae fluidae nullam in diuulsione sua perpetiuntur frictionem, sed, vbi ea deprehenditur, materiae sumuntur rigidae — maiori minoriue gradu, quarum posterior dicitur *viscositas*, quoad partes certe suas minores. *Corpus rigidum est d u r u m, cum eius partes non possunt ad se inuicem transmoueri, nisi rumpantur* — proinde cum earum contextus haud mutari potest, nisi simul tollatur. Falso materiarum fluidarum et solidarum discrimen in vario gradu ponitur contextus partium. Vt enim materia dicatur fluida, non e gradu pendet renisus, quam ea rupturae, sed modo transmotioni partium ad se inuicem opponit. Ille, quantum velis, esse magnus poterit, tamen hic semper in materia fluida est $= 0$. Contemplemus guttam aquae. Cum particula intra illam vel maxima attractione partium vicinarum, quae illam contrectant, versus vnum latus trahitur, tamen eadem et ipsa itidem ad alterum trahitur oppositum, cumque attractiones ab vtraque parte actiones suas tollant, particula aeque facile mobilis erit, ac si ea in spatio vacuo esset, nempe, quae illam mouere debet, vi non est vincendus contextus, sed modo, quam vocant, inertia,

quam in omni materia, etiamsi cum nulla prorsus re cohaereret, superare deberet. Idcirco paruum animalculum microscopicum tam facile in ea mouebitur, quasi nullus prorsus esset contextus diuellendus. Illi enim reapse nullus aquae contextus tollendus contrectatioque illius inuicem deminuenda est, sed modo mutanda. Sed fingite animo, idem istud animalculum per superficiem guttae externam velle permoliri, primo notandum erit, attractionem reciprocam partium huius guttulae efficere, vt moueantur, donec in contrectationem maximam inter se inuicem, proinde in contrectationem minimam venerint cum spatio vacuo, id est, figuram globi formarint. Cum igitur istud animalculum vltra superficiem guttae permoliri conatur, figuram globi mutet, necesse est, proinde maiorem aquae spatiique vacui contrectationem, ideoque et minorem partium illius in se inuicem contrectationem efficiat, id est, earum contextum minuat, tumque illi demum aqua obsistit suo contextu, sed non intra guttam, vbi contrectatio partium inter se inuicem nullo modo minuitur; sed modo in contrectationem partium aliarum mutatur, proinde hae minime diuulsae sunt, sed duntaxat transmotae. Atque etiam ad animalculum microscopicum, idque simili de causa, adhiberi potest, quod *Newtonus* radium luminarem dicit non per materiam densam ac solidam, sed spatio duntaxat vacuo repelli. Ergo perspicuum est, aucto contextu partium cuiuspiam materiae fluiditati eius nihil quidquam demi. Aqua in partibus suis longe arctius cohaeret, quam plerumque putatur, si experimento confidatur laminae aereae a superficie aquae auulsae, quod nihil quidquam dirimit, quoniam hic aqua haud in superficie tota contrectationis primae, sed in longe minori, rumpitur, ad quam nimirum partibus suis transmouendis tandem peruenit, fere vti baculus e molli cera pondere appenso primo subtilior ducitur, tumque in superficie multo minori, quam initio sumtum erat, necesse est, rumpatur. Respectu nostri quidem conceptus fluiditatis decerni videtur omnino eo, quod *materiae fluidae* etiam

eae possunt definiri, *quarum quodque punctum ad omnes directiones eadem se vi nititur mouere, qua ad vllam quapiam premitur;* qua quidem in proprietate posita est lex prima dynamices, quae vero coaceruationi corpusculorum laeuium et praeterea solidorum, vti facillima solutio pressionis eorum secundum leges motus compositi ostendere potest, numquam poterit attribui, eoque originalitatem proprietatis, quam fluiditatem vocant, euincit. Quodsi ergo materia fluida minimum transmotionis impedimentum, proinde et vel minimam frictionem experiretur, haec vna cum robore pressionis, quo partes illius ad se inuicem comprimuntur, cresceret, tandemque pressio locum haberet, in qua partes huiusce materiae per quamque vim paruam nequeant inuicem ad se premi, velut in canali flexo binis cruribus, quorum alterum, quantum velis, laxum sit, alterum quantumuis angustum, modo ne sit tubulus crinalis, — si ambo crura cogites aliquot centenis pedibus alta, fluida materia in angusto eadem altitudine staret, atque in laxo, ex legibus hydrostatices. Quoniam autem pressio in fundum tubulorum, et proinde quoque in eam partem, qua ambos, quibuscum inuicem communio est, tubulos coniungit, in proportione altitudinum in infinitum potest augeri et crescere, necesse foret, vt, si minima frictio inter partes fluidi locum haberet, altitudo tubulorum inueniri queat, qua parua aquae quantitas in angustiorem tubulum fusa aquam in laxiore loco non moueret, proinde columna aquea in hoc altior foret, atque in illo, propterea quod partes inferiores, in tanta ergo se inuicem pressione, non amplius per tam paruam vim motricem, atque additum aquae pondus est, transmouerentur, quod et experientiae et ipsi conceptui fluidi aduersatur. Idem valet, si loco pressionis per grauitatem contextus ponatur partium, quantus ille cumque videatur. Altera, quam dedimus, fluiditatis definitio, in qua lex constitutiua hydrostatices posita est, eam scilicet in proprietate versari materiae, qua quaeque illius pars quaquauersus eadem vi sese mouere nitatur, qua ad directionem datam premitur, sequitur

ex definitione priori, ſi cum ea principium vniuerſale dynamices coniungitur, vniuerſam materiam originarie elaſticam eſſe, vbi tum haec verſus quamque partem ſpatii, qua illa compreſſa eſt, eadem vi ſeſe expandere, id eſt (cum partes cuiusdam materiae ad ſe inuicem transmoueri poſſunt per quamque vim ſine impedimento, quemadmodum reapſe fit in materia fluida), ſe mouere, neceſſe eſt, nitatur, qua preſſio ad quamque directionem, quae illa cumque ſit, efficitur. Ergo proprie ſolis materiis rigidis (quarum poſſibilitas praeter partium contextum alia explicandi ratione indiget) frictio debet attribui, ſed frictione ipſa iam ponitur proprietas rigiditatis. Quare autem certae materiae, quamuis fortaſſe haud maiorem, fortaſſe fere adeo minorem vim contextus habeant, quam aliae fluidae, tamen transmotioni partium tam vehementer reſiſtant, nec proinde non niſi ſublato ſimul contextu omnium partium in ſuperficie quadam data, queant diuelli, quod ſpeciem parit contextus praecipui, quomodo ergo corpora rigida fieri poſſint, etiamnum problema eſt haud ſolutum, quam facili negotio phyſica vulgaris putauerit illud poſſe abſolui.

3) *Elaſticitas* (vis ſaliendi) *facultas eſt materiae quantitatem ſuam figuramue, alia vi motrice mutatam, ea remittente rurſus adſumendi.* Ea eſt aut *expanſiua* elaſticitas, aut *attractiua*; illa, vt compreſſione finita priſtinum volumen maius, haec vt expanſione abſoluta priſtinum volumen minus recipiat. (Elaſticitas attractiua, id quod iam ipſum verbum oſtendit, manifeſto deriuata eſt. Filum ferreum, ponderibus appenſis expanſum, ſi vinculum praeſecatur, in volumen ſuum reſilit. Per eamdem attractionem, quae cauſa eſt illius contextus, aut in materiis fluidis, ſi calor Mercurio ſubito ſubduceretur, materia eius properaret ad priſtinum volumen minus recipiendum. Quae in ſola reſtitutione figurae priſtinae cernitur, elaſticitas ſemper eſt attractiua, velut in lamina flexa gladii, cum partes in ſuperficie conuexa expanſae vicinitatem priſtinam nituntur recipere,

atque ita parua quoque gutta Mercurii dici elaſtica poterit. Sed elaſticitas expanſiua poteſt originaria, verum itidem etiam deriuata eſſe. Sic aëris elaſticitas deriuata eſt, interuentu materiae caloris, cum ea arctiſſime coniunctae, cuius quidem elaſticitas fortaſſe originaria videtur. Contra materia conſtitutiua fluidi, quod aëra vocamus, tamen qua materia vniuerſe, neceſſe eſt, iam per ſe elaſticitatem habeat, quae originaria vocatur. Cuiusnam generis percepta quaedam elaſticitas ſit, fieri non poteſt, vt in caſibus obuiis certe decernatur).

4) *Actio motorum corporum in ſe inuicem per motus communicationem dicitur* m e c h a n i c a; *ſed actio materiarum, quatenus et in quiete viribus propriis coniunctionem partium ſuarum reciproce mutant, vocatur* c h e m i c a. *Haec vis contagioque chemica appellatur ſolutio, quatenus ea ſeparationem partium cuiuſpiam materiae efficit* (diuiſio mechanica, exempli gratia per cuneum, inter partes materiae cuiusdam pulſum, proinde, quoniam haud vi propria cuneus agit, prorſus eſt ab chemica diuerſa): ea vero, quae ſeparationem efficit duarum materiarum per ſe inuicem ſolutarum, eſt *ſeparatio*. Solutio materiarum ſpecifice diuerſarum per ſe inuicem effecta, in quibus nulla pars inuenitur alterius, quin ea cum parte quadam alterius ab ea ſpecifice diuerſa in eadem proportione, qua totae, coniuncta foret, *ſolutio abſoluta* eſt, etiamque poteſt *penetratio chemica* nominari. (An vires ſoluentes, quae reapſe in natura rerum deprehenduntur, plenam poſſint perfectamque ſolutionem efficere, in medio relinquatur. Hoc loco ſolum quaeritur, an ea duntaxat queat cogitari. Atqui manifeſtum eſt, haud minus fieri poſſe, vt, quamdiu partes materiae ſolutae ſint moleculae, eae ſoluantur, quam partes materiae maioris, quin ſolutionem reapſe fieri oportere, ſi vis ſoluens maneat, dum nulla amplius pars adſit, quae haud ex inſtrumento ſolutionis materiaque ſoluenda, in proportione, quam ambo ad ſe inuicem ſeruant in toto, compoſita foret. Quoniam igitur nulla eſſe pars poteſt voluminis ſolutionis, quae haud partem con-

tineret instrumenti soluentis, hoc necesse est, qua continuum, volumen totum replere. Pariter, quia nulla pars eiusdem voluminis potest esse solutionis, quin ea partem proportionalem contineat materiae solutae, haec etiam, oportebit, qua continuum, spatium totum repleat, quo volumen mixturae efficitur. Cum autem duae materiae, et quidem earum quaeque tota, vnum idemque spatium replent, tum inuicem se *penetrant.* Ergo perfecta solutio chemica foret materiarum penetratio, quae tamen a mechanica penitus abhorreret, propterea quod in hac posteriore cogitatur, in appropinquatione materiarum motarum maiori vim repulsivam vnius vi repulsiua alterius prorsus superari, vnaque aut vtraque expansionem neutiquam potest efficere; contra cum hic expansio maneat, ita tamen, vt materiae haud extra se, sed in se inuicem, id est, per *intussusceptionem* (vt dici solet) coniunctim spatium summae soliditatis earum conueniens occupent. Contra possibilitatem huius solutionis perfectae, ideoque penetrationis chemicae, difficulter potest aliquid in medium adferri, quamquam ea diuisionem *absolutam* continet in infinitum, quae in hoc casu nullam repugnantiam inuoluit, quoniam solutio per aliquod tempus continuando fit, proinde itidem per seriem momentorum cum acceleratione, praeterea per diuisionem summa superficierum materiarum porro diuidendarum crescere potest, cum vis soluens agat perpetuo, solutio tota tempore quodam *indicando* absolui. Quod eiusmodi penetratio chemica duarum materiarum nequeat comprehendi, in causa est ratio incomprehensibilis cuiusque omnino continui in infinitum diuidui. Quodsi perfectam hancce solutionem miseris, eam sumendum erit ad certas quasdam moleculas fieri materiae soluendae, in menstruo ab se inuicem in positis distantiis natantes, neque vllam tamen adferre rationem queas, quare moleculae istae, quae tamen semper materiae diuiduae sunt, haud itidem soluantur. Namque, quod menstruum haud amplius agat, causa esse in natura rerum poterit, quod ad experientia pertineat; sed hoc loco tantummodo de

possibilitate loquimur vis soluentis, quae et hanc moleculam et sic porro quamque aliam, quae relinquitur, soluat, donec solutio fuerit absoluta. Volumen, quod solutio capit, summae spatiorum, quae materiae se inuicem soluentes, antequam miscerentur, occuparunt, aequale potest, vel minus, vel etiam maius esse, pro eo, ac vires attractrices adfectae sunt ad repulsiuas. Iis in solutione quouis per se et ambobus coniunctis *medium quoddam elasticum* efficitur. Hoc et *solum* potest rationem ostendere idoneam, quare materia soluta per grauitatem suam haud rursus a menstruo separetur. Namque attractio huiusce posterioris, cum quaquauersus aequaliter fiat, ipsa resistentiam tollit, et, vt glabrities quaedam in fluido sumatur, aduersari videtur magnae illi vi, quam eiusmodi materiae solutae exserunt, velut acores aqua diluti in corporibus aereis, quibus non solum adhaerent, quod fieri deberet, si modo in medio suo natarent, sed quae permagna vi attractrice diuellunt, atque in toto vehiculi spatio dispergunt. Vt autem ars nullis viribus soluentibus chemicis huiusce generis, quae perfectam solutionem efficerent, polleret, tamen eas fortasse natura posset in operationibus suis vegetabilibus et animalibus exserere, iisque forte materias gignere, quas, quamuis illae quidem mixtae sint, nulla ars queat rursus separare. Haec penetratio chemica vel ibi posset inueniri, vbi altera ambarum materiarum per alteram non quidem diuellitur, sensuque literali soluitur, quemadmodum materia caloris corpora penetrat, vbi, si modo per vacua interualla dispergeretur, ipsa substantia solida maneret frigida, propterea quod ea nihil quidquam illius recipere posset. Posset item certarum materiarum per alias meatus speciose liber hoc modo cogitari, veluti materiae magneticae, neque illi tamen viae patentes vacuaque interualla in omnibus vel ipsis solidissimis materiis parari. Sed ab hoc loco alienum est, hypotheses phaenomenorum singularium inuenire, potiusque nostrum est, vt principium aperiamus, ex quo eas vniuersas possimus diiudicare. Vniuersa, quae liberant nos a necessitate ad spatia vacua

confugiendi, vere ponenda in lucro ſunt ſcientiae naturalis. Ea enim nimiam libertatem largiuntur phantaſiae, defectum cognitionis naturae internae explendi. Vacuum abſolutum ſolidumque abſolutum ſunt fere eadem in phyſica, quae caſus fortuitus caecumque fatum in cosmologia metaphyſica, nimirum obex rationis dominantis, vt aut fictio locum illius occupet, aut ea in culcitra qualitatum obſcurarum conſopiatur.

Ratione quaeſtionis omnium principis in ſcientia naturali, nempe explicandae *diuerſitatis materiarum ſpecificae*, quae fieri in infinitum poſſit, viae duae ſunt, quae poſſunt inſtitui: vna eſt *mechanica*, per coniunctionem abſolute pleni cum abſolute vacuo, altera huic contraria eſt *dynamica*, per ſolam diuerſitatem in coniungendis viribus originariis repulſionis et attractionis omnem materiarum diuerſitatem explicandi. Illa prior via materialibus deriuationis ſuae *atomis* vtitur *vacuoque*. Atomus pars eſt parua materiae, phyſice indiuidua. Sed phyſice *indiuidua* dicitur materia, quae nulla vi motrice, quae in natura rerum exſtat, poteſt ſuperari. Atomus, quatenus per figuram ab aliis ſpecifice diſcernitur, vocatur *primum corpuſculum*. Sed corpus (ſiue corpuſculum), cuius vis motrix pendet ex eius figura, nuncupatur *machina*. Explicandi ratio diuerſitatis materiarum ſpecificae per qualitatem et compoſitionem partium minimarum, qua machinarum, eſt *philoſophia naturalis mechanica:* ea vero, quae ex materiis, non qua machinis, id eſt, ſolis virium motricium externarum inſtrumentis, ſed viribus motricibus originarie ipſis propriis attractionis et repulſionis, diuerſitatem materiae ſpecificam deriuat, *philoſophia naturalis dynamica* poteſt appellari. Mechanica explicandi ratio, cum matheſis accommodatiſſima ſit, ſub nomine *atomiſtices* ſiue *philoſophiae corpuſcularis*, facta ſubinde pauca mutatione, inde a vetere illo *Democrito* vsque ad *Carteſium* et vel ipſa noſtra tempora dignitatem ſuam contagionemque cum principiis ſcientiae naturalis vsque quaque obtinuit. Eſſentia eius cernitur in ſumtione *impene-*

trabilitatis absolutae materiae primitiuae, in *similitudine absoluta* huius materiae, in soloque figurae discrimine relicto, atque in *inuincibilitate absoluta* contextus materiae in his ipsis primis corpusculis. Haec sunt *materialia* ad procreandas materias specifice diuersas, vt non solum ad immutabilitatem generum et formarum, immutabilis et tamen varie figurata materia prima in promtu sit, verum etiam ex figura harum primarum partium, qua machinarum (quibus nihil amplius praeterquam vis deest extrinsecus impressa) varia effecta physica *mechanice* enodentur. Prima autem ac praecipua huius systematis fides posita est in putatitia illa *necessitate* ineuitabili, *ad differentiam specificam soliditatis* materiarum *vacua spatia* adhibendi, quae intra materias et inter illas particulas distribuuntur, ad proportionem, pro eo atque opus videbatur, in gratiam quorumdam phaenomenorum adeo magna sumebantur, vt pars voluminis repleta, vel solidissimae materiae ad vacuam propemodum pro nihilo putanda videatur. — Vt igitur dynamica explicandi ratio introducatur (quae philosophiae experimentali longe conuenientior est atque vtilior, propterea, quod ea directe ad inueniendas ducit vires motrices materiis proprias earumque leges, contra libertatem coërcet vacua interualla primaque corpuscula sumendi certarum figurarum, quae ambo nullo possunt experimento determinari atque inueniri), non opus est, vt nouae cudantur hypotheses, sed solum postulatum istud explicandi rationis mere mechanicae: *fieri non posse, vt differentia specifica cogitetur soliditatis materiarum spatiis vacuis haud admistis*, solo indicando modo, quo illa cogitari queat sine repugnantia, confutatur. Namque si postulatum istud, quo explicandi ratio mere mechanica nititur, modo demum vt principium declaratum sit infirmum, per se intelligitur, illud non posse pro hypothesi in scientia naturali recipi, quamdiu possibilitas relinquatur, differentiam soliditatum specificam et sine omnibus vacuis interuallis cogitandi. Sed ea necessitas posita in eo est, vt materia haud (vt physici mere mechanici sumunt) per

penetrabilitatem absolutam spatium occupet, sed per vim repulsiuam, quae gradum habet, qui varius in variis materiis esse potest, cum is per se nihil quidquam cum vi attractrice, quae quantitati materiae conuenit, habeat commune, eadem vi attractrice in diuersis materiis quoad gradum vt originarie esse diuersam posse, ergo et gradus expansionis earum materiarum in eadem quantitate materiae, et vice versa quantitas materiae sub eodem volumine, id est, illius soliditas originarie permagnas diuersitates specificas admittat. Hoc modo haud videretur impossibile, vt materia cogitetur (velut fere aether cogitatur), quae spatium sine omni vacuo totum repleret, et tamen longe minori quantitate materiae sub aequali volumine, quam vniuersa corpora, quae experimentis possint nostris subiici. Vis repulsiva in aethere ratione vis attractricis propriae longe maior cogitari debet, quam in cunctis aliis, quas nouimus, materiis. Illudque et vnum est, quod modo propterea sumimus, *quod cogitari potest*; duntaxat in contrarium hypotheseos (spatiorum vacuorum), quae sola nititur obtentu, eius modi *non posse* sine vacuis spatiis *cogitari*. Etenim praeter hoc, nec vlla quaepiam lex attractricis vis, nec repulsiuae, ex coniecturis ex anticipatione ausa, verum omnia, vel ipsa vniuersalis attractio, tamquam causa grauitatis, vna cum legibus suis ex datis experientiae debent concludi. Multo minus illud in adfinitatibus chemicis aliter, quam per viam experimenti, licebit tentari. Superat enim omnino orbem rationis nostrae finientem, vt vires originarias ex anticipatione secundum earum possibilitatem perspiciamus, potiusque vniuersa philosophia rationalis cernitur in viribus datis, specie diuersis ad numerum virium facultatumque tenuiorem reducendis, ad explicandas priorum actiones idoneis, quae quidem reductio pertinet tantummodo ad vires constitutiuas, vltra quas ratio nostra haud potest progredi. Atque ita inuestigatio metaphysices, post illa, quae conceptui materiae empirico fundamento subsunt, in eum duntaxat finem vtilis est, vt philosophia naturalis, quoad eius fieri possit, ad

ſcrutandas explicandi rationes dynamicas ducatur, quoniam haec ſola ſpem facit legum determinatarum, proinde contextus veri explicationum.

Haec cuncta ſunt, quae ad conſtruendum conceptum materiae, proinde in gratiam adhibendae matheſeos ad ſcientiam naturalem, reſpectu proprietatum, quibus materia ſpatium modo determinato replet, metaphyſica poteſt efficere, nempe vt eas proprietates ſpectemus vt dynamicas, neque qua poſitiones abſolutas originarias, vti fere tractatio mere mathematica eas poſtularet.

Iam nota illa quaeſtio, de ſpatiis vacuis in mundo concedendis, agmen claudat. *Poſſibilitas* illorum haud poterit impugnari. Namque ad vniuerſas vires materiae ſpatium requiritur, et, cum hoc etiam conditiones contineat legum diſpergendarum illarum, ante omnem materiam ſumitur neceſſario. Sic materiae tribuitur vis attractiua, quatenus ſpatium circum ſe per attractionem *occupet*, neque tamen illud *repleat*, quod proinde *vel* ibi, vbi materia agit, vt vacuum poteſt cogitari, quoniam ibi non per vires agit repulſiuas, illudque proinde haud replet. Verum ſpatia vacua vt *vera* ſtatuamus, nulla nobis experientia poteſt, vel ex ea concluſio, aut neceſſaria quaedam hypotheſis ad illa explicanda, poteſtatem facere. Vniuerſa enim experientia ſpatia nobis duntaxat comparatiue vacua oſtendit, quae, ſecundum omnes gradus ex proprietate materiae, ſpatium vi expanſiua maiori minoriue in infinitum replendi, plene queant explicare, ita, vt ſpatiis vacuis neutiquam opus videatur.

CAPUT TERTIUM

ELEMENTA METAPHYSICA MECHANICES.

Definitio I.

Materia eſt mobile, quatenus illud, qua tale, vim motricem habet.

Scholion.

Haec eſt tertia materiae definitio. Conceptus mere dynamicus materiam poterat etiam qua quietem conſiderare; vis motrix, quae ibi contemplabatur, ſolam ſpectabat repletionem certi cuiusdam ſpatii, neque tamen opus erat, vt, quae illud repleret, ipſa materia qua mota conſideraretur. Repulſio proinde erat vis motrix originaria, ad motum *impertiendum;* contra in mechanice vis ſub rationem vocatur materiae motae, ad hunc motum alii cuipiam *communicandum.* Sed manifeſtum eſt, mobile *per motum ſuum* nullas vires motrices habiturum eſſe, niſi viribus polleret originarie motricibus, quibus ante omnem motum proprium in vnoquoque loco, in quo illud eſt, agat, nullamque materiam alii cuipiam, quae motui ſuo in linea directa *coram* obiecta eſt, motum aequalem impreſſuram fore, niſi vtrique leges eſſent repulſionis, neque eam motu ſuo cogere aliam poſſe, quae *ſe* in linea directa *ſequatur* (eam trahat), niſi vtrique vires ineſſent attractiuae. Ergo vniuerſis legibus mechanicis ponuntur dynamicae, materiaque, qua mota, nullam poteſt habere vim motricem, niſi ope repulſionis ſuae vel attractionis, in quas et cum quibus ea in motu ſuo proxime agat, eoque motum ſuum proprium cum alia quapiam communicet. Ignoſces, me communicationis motus per attractionem (ſi forte, exempli gratia, cometa maiori, quam terra, vi praedita attractiua eam praetereundo poſt ſe traheret) hoc loco non amplius mentionem facere, ſed ſo-

lius interuentus virium repulſiuarum, velut per preſſionem (vti ope contenſorum elaterum), pulſionemque, cum praeterea applicatio legum vnius ad leges alterius tantummodo reſpectu lineae directionis differat, caeteroquin autem in vtroque caſu eadem ſit.

Definitio 2.

Quantitas materiae cernitur in copia mobilis in certo quodam ſpatio determinato. Eadem, quatenus cunctae partes in motu ſuo qua ſimul agentes (mouentes) conſiderantur, vocatur maſſa, materiam agere in maſſa dicimus, cum omnes partes ipſius in eadem directione motae extra ſe ſimul vires ſuas motrices exſerunt. Maſſa determinatae figurae appellatur corpus (ſenſu mechanico). Quantitas motus (mechanice aeſtimata) ea eſt, quae per quantitatem materiae motae eiusque celeritatem ſimul aeſtimatur; phoronomice ſpectata conſiſtit tantummodo in gradu celeritatis.

Theorema 1.

Quantitas materiae cum quauis alia comparata ſola poteſt quantitate motus celeritate data aeſtimari.

Probatio.

Materia in infinitum eſt diuidua, ergo nulla quantitatis eius pars poterit *per quamdam multitudinem* partium proxime determinari. Etiamſi enim hoc ratione materiae fiat cum ſimili quadam comparatae, vbi quantitas materiae magnitudini voluminis eſt proportionalis, tamen hoc contrarium eſt ei, quod poſtulat theorema, vt ea ſcilicet comparata cum alia quaque (etiam ſpecifice diuerſa) debeat aeſtimari. Ergo materia, nec proxime poteſt, nec interuentu, cum quaque alia comparata rite aeſtimari, quamdiu a motu eius proprio nosmet continemus. Igitur nulla aliqua, quae vniuerſe valeat, menſura, quam quantitatis motus illius relinquitur. In hac autem diſcrimen motus, quod in varia quantitate materiarum poſitum eſt, tum tantummodo

dari poterit ac proponi, cum celeritas materiarum comparatarum ſumitur aequalis, ergo et ſic porro.

Corollarium.

Quantitas motus corporum eſt in ratione compoſita ex ratione quantitatis materiae ſuae et celeritatis, id eſt, idem erit, quantitatem materiae corporis cuiusdam altero tanto faciam maiorem celeritatemque retineam, an celeritatem duplicem eadem maſſa ſeruata. Etenim conceptus determinatus quantitatis fieri ſola poteſt quanti conſtructione. Haec autem reſpectu quantitatis nihil eſt niſi compoſitio aequipollentium; ergo conſtructio quantitatis motus verſatur in compoſitione multorum motuum inuicem aequipollentium. Iam ex theorematibus phoronomicis, vtrum ſingulo cuipiam mobili certum quemdam celeritatis gradum, an multis aequaliter mobilibus omnes gradus celeritatis impertiam minores, ex data celeritate per multitudinem mobilium diuiſa effectos. Ex quo primo, ad ſpeciem, conceptus oritur phoronomicus quantitatis motus, qua ex multis motibus extra ſe inuicem compoſiti, ſed tamen in toto quodam coniunctorum, punctorum mobilium. Quodſi igitur haec puncta cogitentur vt quidpiam, quod *per motum ſuum* vim habeat motricem, exſiſtit inde conceptus mechanicus quantitatis motus. In phoronomia autem non poteſt motus cogitari ex multis aliis *extra ſe inuicem* motibus compoſitus, propterea quod mobile, cum ibi omni vi deſtituta motrice cogitetur, in omni compoſitione cum pluribus ſui generis nullum diſcrimen efficit quantitatis motus, quae proinde in ſola celeritate conſiſtit. Quam rationem quantitas motus corporis cuiuspiam ad quantitatem motus corporis cujusdam alius ſeruat, eamdem et quantitas ſeruat effecti, ſed, quod bene notandum, effecti totius. Illi, qui ſolam quantitatem alicuius ſpatii renifu impleti (velut altitudinem, ad quam corpus quoddam cum quadam celeritate contra grauitatem adſcendere poteſt, aut profunditatem, ad quam idem poteſt materias molles penetrare) menſuram totius effecti fecerunt, aliam legem virium motricium in *veris*

motibus inuenerunt, fcilicet legem proportionis compofitae ex proportione quantitatis materiarum quadratique earum celeritatum; verum neglexerunt quantitatem effecti in tempore dato, quo corpus fpatium minori celeritate abfoluit, et ea tamen fola poteft menfura effe motus per datum quemdam renifum aequabilem exhaufti. Ergo et nullum discrimen inter viua corpora et mortua locum habere poteft, fi vires motrices mechanice fpectentur, id eft, qua illae, quas corpora habent, quatenus ea ipfa in motu funt (fiue celeritas motus eorum finite fiue infinite parua fit) foli ad motum nifus; potius longe conuenientius illae vires, quibus materia, etiamfi ab omni proprio eius motu, atque etiam a nifu fe mouendi prorfus mentem et cogitationem abducimus, in alias agit, proinde vires motrices originariae dynamices vires mortuae, fed omnes vires mechanice, hoc eft, per proprium motum motrices poffent vires viuae vocari, nulla habita ratione celeritatis, cuius gradus etiam infinite paruus effe poterit, fi modo haec nomina virium mortuarum viuarumque retineri mererent.

Scholion.

Vt breuitati confulamus, illuftrationem trium illorum enunciatorum fcholio hoc comprehendemus.

Quantitatem materiae duntaxat qua multitudinem mobilium (extra fe inuicem) cogitari poffe, quemadmodum definitio enunciat, lex eft notatu digna et fundamentalis mechanices vniuerfalis. Illa enim indicatur: materiam nullam habere quantitatem aliam, quam quae in multitudine variorum *extra fe* confiftit, ergo et nullum gradum vis motricis cum celeritate data, quae ab hac multitudine haud penderet, et folum poffet qua quantitas intenfiua confiderari, quod fane locum haberet, fi materia ex monadibus confifteret, quarum realitas omni refpectu, neceffe eft, gradum habeat, qui maior effe minorue poffit, neque tamen a multitudine partium extra fe inuicem pendeat. Ac conceptus qui-

dem maſſae in eadem definitione, non poteſt, quod fieri ſolet, cum conceptu qualitatis idem haberi. Materiae fluidae per motum proprium poſſunt in maſſa, ſed poſſunt etiam in fluxu agere. In mallo, qui vocatur, aqueo appellens aqua agit in maſſa, id eſt, vniuerſis partibus ſuis ſimul; quod idem etiam fit in aqua, quae, vaſe quodam incluſa, pondere ſuo, in qua conſiſtit, lancem premit. Contra aqua riuuli molaris in rotae aquaticae haud in maſſa agit, id eſt, haud vniuerſis partibus ſuis eam impingentibus ſimul, ſed ſingulis ſucceſſiue. Si igitur hic quantitas materiae, quae, certa quadam celeritate mota, vim motricem habet, debeat determinari, primo quaerendum erit *corpus aqueum*, hoc eſt, ea quantitas materiae, quae, cum in maſſa agit cum celeritate quadam data (grauitate ſua) idem poſſit effectum producere. Idcirco vocabulo *maſſae* plerumque intelligitur quantitas materiae *corporis ſolidi* (vas, quo liquidum quiddam incluſum eſt, tenet etiam locum ſoliditatis illius). In theoremate quidem denique cum adnexo corollario mirum videtur, primo ſecundum illud theorema, quantitatem materiae per quantitatem motus cum celeritate data, ſecundum hoc corollarium autem viciſſim quantitatem motus (cuiuspiam corporis; quantitas enim motus puncti ſolo conſtat celeritatis gradu) eadem celeritate per quantitatem materiae motae aeſtimandam eſſe, quod in orbem agi videtur, et neque vnius neque alterius conceptum determinatum polliceri. Verum hicce putatitius orbis foret verus, ſi in deriuatione reciproca duorum identicorum conceptuum ab ſe inuicem verſaretur. Iam vero eo ex vna tantum parte definitio continetur conceptus, ex altera autem definitio vſus illius ad experientiam. Quantitas mobilium in ſpatio eſt quantitas materiae; ſed haec quantitas materiae (multitudo mobilium) *exſerit ſe* ac manifeſtat in experientia per ſolam quantitatem motus celeritate aequali (veluti per aequilibrium).

Praeterea notandum eſt, quantitatem materiae cerni in *quantitate ſubſtantiae* in mobili, proinde haud

in quantitate certae cuiuspiam qualitatis illius (repulſionis, vel attractionis, quae in dynamice adferuntur), quantumque ſubſtantiae hic non niſi ſolam multitudinem mobilium notare, quibus materia efficitur. Namque ſola haec multitudo mobilium eadem celeritate poteſt discrimen efficere in motus quantitate. Vt autem vis motrix, quam quaeque materia *in* proprio *ſuo* motu habet, ſolam probet quantitatem *ſubſtantiae*, poſitum in conceptu eſt ſubſtantiae, vtpote *ſubiecti vltimi* (quo amplius non eſt vllius vſpiam praedicatum) in ſpatio, quod ob eam ipſam cauſam nullam habere quantitatem poteſt aliam, quam multitudinem ſimilium extra ſe invicem. Cum igitur *proprius* materiae *motus* praedicatum ſit, quod ſubiectum ſuum (mobile) determinat, atque in materia quadam, vtpote multitudine mobilium, ſubiectorum modorum multitudine (celeritate aequali aequaliter) indicat, quod in proprietatibus dynamicis, quarum quantitas etiam quantitas effecti eſſe poteſt a ſubiecto vno (cum, exempli cauſa, aëris particula plus minusue poterit elaſticitatis habere), locum non habet, patet inde, quomodo quantitas ſubſtantiae in materia quadam ſolum mechanice, id eſt, per quantitatem proprii illius motus, non vero dynamice, per quantitatem virium originarie motricium aeſtimanda videatur. Nihilominus *attractio originaria*, qua cauſa grauitationis vniuerſalis, tamen poteſt pro menſura eſſe quantitatis materiae eiusque ſubſtantiae (vti reapſe fit in materiis ponderando comparandis), quamquam hic non motus proprius materiae attrahentis, ſed menſura dynamica, ſcilicet, vis attractiua, conſtituta videtur. Sed, quoniam in hac vi actio materiae cum vniuerſis partibus ſuis proxime fit ad vniuerſas partes alius cuiuspiam, ideoque (diſtantiis aequalibus) manifeſto eſt partium multitudini proportionalis, corpus trahens eo quoque ipſum ſibi celeritatem motus proprii impertit (per tracti reniſum), qui, paribus locis externis, ipſe ſit partium ſuarum multitudini proportionalis, fit hic aeſtimatio, quamquam modo indirecte, reapſe tamen mechanice.

Theorema 2.

Prima lex mechanices. Iu vniuerſis mutationibus naturae corporeae quantitas materiae manet in toto eadem, haud aucta, nec deminuta.

Probatio.

(Ex metaphyſica vniuerſali pronunciatum conſtituitur, in vniuerſis mutationibus naturae nullam ſubſtantiam nec oriri, nec interire, et hoc loco tantummodo demonſtratur, quid ſit ſubſtantia in materia). In quaque materia mobile in ſpatio eſt ſubiectum vltimum omnium accidentium materiae inhaerentium, multitudoque huiuſce mobilis extra ſe inuicem eſt quantitas ſubſtantiae. Ergo quantitas materiae, quoad ſubſtantiam, nihil aliud eſt, quam, quibus conſtat, ſubſtantiarum multitudo. Proinde quantitas materiae nec augeri poterit, nec minui, niſi eo, vt noua illius ſubſtantia oriatur aut intereat. Atqui in omni ſucceſſione materiae numquam nec oritur, nec interit ſubſtantia; ergo etiam quantitas materiae eo nec augetur, nec minuitur, ſed eadem ſemper manet, et quidem in toto, id eſt, ita, vt vſpiam in mundo in eadem quantitate perduret, quamquam haec illaue materia accedentibus vel ſeparandis partibus augeri poteſt aut deminui.

Scholion.

Huius argumenti caput, quo, quae tantummodo in ſpatio ex eiusque conditionibus, proinde qua res ſenſibus externis ſubiecta eſſe poteſt, ſubſtantia diſtinguitur, cernitur in eo, vt quantitas illius nec augeri poſſit, nec minui, niſi oriatur ſubſtantia, vel intereat, propterea quod omnis quantitas obiectae rei, quae ſolum eſſe in ſpatio poteſt, *partibus*, neceſſe eſt, *extra partes* conſtet, quae proinde, ſi reales (aliquid mobile) ſunt, neceſſario ſubſtantiae videantur. Contra id, quod qua res ſenſui interno propoſita ſpectatur, qua ſubſtantia poteſt quantitatem habere, quae haud *partibus extra partes* efficiatur, cuius proinde partes nec ſubſtan-

tiae ſint, quarum ortus vel interitus, ideoque nec ortus interitusue ſubſtantiae, eſſe debeat, quorum incrementum ac decrementum idcirco, ſaluo conſtantiae ſubſtantiarum principio, fieri queat. Sic ſcilicet conſcientia, proinde claritas repraeſentationum animae meae, et, pro ratione illarum, etiam facultas conſcientiae, apperceptio, cum ea autem ipſa animae ſubſtantia, *gradum* quemdam habet, qui maior minorue fieri poteſt, neque vlla tamen ſubſtantia quaedam propterea oriri debeat vel interire. Quoniam autem hanc apperceptionis facultate ſucceſſiue deminuendam neceſſe eſt tandem euaneſcere, tamen ipſa animae ſubſtantia ſucceſſiuo interitui obnoxia foret, quamquam ea natura eſſet ſimplici, eo quod facultas conſtitutiua illius non poteſt per diuiſionem (ſeparationem ſubſtantiae a quodam compoſito), ſed quaſi exſtinctione, neque id momento quidem, ſed remiſſione gradus illius ſucceſſiva, qua de cumque cauſa fiat. Illud *ego*, correlatum apperceptionis vniuerſale, ipſumque ſolum aliquod cogitatum, qua merum pronomen, rem denotat ſignificationis indefinitae, nempe ſubiectum omnium praedicatorum, ſine vlla quapiam conditione, qua repraeſentatio illa ſubiecti, a ſubiecto entis in genere discerneretur, ergo ſubſtantiam, de qua, quid ea ſit, per hoc vocabulum nullam prorſus cogitationem habemus. Contra conceptus materiae qua ſubſtantiae eſt conceptus mobilium in *ſpatio*. Quapropter nil mirum eſt, ſi de materia poſſit conſtantia ſubſtantiae probari, quod fieri non poteſt de cogitatione illius *ego*, propterea quod iam ex *conceptu* materiae, eam nimirum in mobili cerni, quod ſolum eſſe in ſpatio poſſit, ſequitur, vt id, quod in ea quantitatem habet, multitudinem realis *extra ſe inuicem*, proinde ſubſtantiarum contineat, ideoque quantitas illarum duntaxat per diuiſionem, quae haud fit euaneſcendo, minui poſſit, ſed, vt euaneſcat, ex lege continui nullo modo fieri poſſet. Contra ea vero cogitatio illa, *ego*, *nullus* omnino *conceptus* eſt, ſed modo perceptio interna, ex quo proinde nihil quidquam (praeter vniuerſum discrimen rei ſenſui interno

fubiectae ab iis, quae folum qua res fenfibus externis obnoxiae cogitantur), ergo nec conftantia animae, qua fubftantiae, poterit elici.

Theorema 3.

Secunda lex mechanices. Omnis materiae mutatio caufam externam habet. Quodque corpus perdurat in ftatu fuo quietis motusue, in eadem directione cum eademque celeritate, nifi per caufam externam cogatur, vt eum ftatum relinquat.

Probatio.

(Ex metaphyfica vniuerfali pronunciatum conftituitur, omnem mutationem *caufam* habere; hoc loco cuique mutationi materiae probabitur, neceffe effe, *caufam* femper *externam* videri). Materia, qua fola res fenfibus externis obnoxia, nullas alias determinationes habet, quam relationum externarum in fpatio, nullasque proinde mutationes experitur, nifi per motum. Quarum quidem refpectu, qua viciffitudinum motus cuiuspiam cum alio, illiusue cum quiete, et rurfus retro, caufa, oportebit, illarum inueniatur (ex principiis metaphyficis). Haec caufa autem non poteft effe interna, fi quidem materia nullas habet determinationes fimpliciter internas nec determinandi rationes. Ergo omnis materiae cuiuspiam mutatio pofita eft in caufis externis (id eft, corpus perdurat, et fic porro).

Scholion.

Haec lex mechanica fola eft lex *inertiae* dicenda; lex cuique actioni reactionis aequalis contrariae non poteft hoc nomine infigniri Haec enim enunciat, quid materia agat, illa autem duntaxat, quid ea non agat, quod verbo inertiae conuenientius videtur. Inertia materiae neque eft neque fignificat quidpiam aliud, nifi illius, qua materiae per fe ipfius, *carentiam vitae. Vita* facultas dicitur *fubftantiae* ex principio interno fe ipfam ad actionem, *fubftantiae finitae* fe ad mutationem,

et *ſubſtantiae materialis* ad motum ſeſe quietemue, vtpote mutationem ſui ſtatus, determinandi. Atqui nullum nouimus aliud ſubſtantiae principium internum, ſtatus ſui mutandi, quam *appetitionem*, nullamque omnino actionem internam aliam, quam *cogitationem* eaque, quae inde pendent, *ſenſum* iucundi vel iniucundi et *cupiditatem* ſeu voluntatem. Sed hae rationes determinandi actionesque neutiquam pertinent ad repraeſentationes ſenſuum externorum, nec proinde ad materiae qua materiae determinationes. Ergo omnis materia qua talis vita caret et *inanima* videtur. Haec, neque alia, vis eſt pronunciati inertiae. Quodſi cauſam quaeramus vllius cuiuspiam mutationis materiae in vita, eam et continuo in alia quapiam, ab materia diuerſa, quamquam cum illa coniuncta, quaerere ſubſtantia debebimus. Namque in cognitione naturali opus eſt, vt antea materiae qua talis leges noſcamus, easque a ſocietate aliarum omnium cauſarum efficientium depuremus, quam eas cum illis coniungamus, vt probe internoſcatur, quid et quomodo quaeque earum per ſe ſola efficiat. In lege inertiae (praeter legem conſtantiae ſubſtantiarum) omnis omnino poſita eſt poſſibilitas propriae ſcientiae naturalis. Contrarium legis inertiae, ideoque et mors omnis philoſophiae naturalis, foret *hylozoismus*. Ex eodem inertiae, qua ſolius *carentiae vitae* conceptu, ſponte promanat, eam haud deſignare *niſum poſitiuum* ſtatus ſui conſeruandi. Solae naturae animatae hoc poſteriori ſenſu dicuntur inertes, quoniam repraeſentationem habent ſtatus cuiusdam alius, quem abominantur, contraque vim ſuam contendunt.


Theorema 4.

Tertia lex mechanica. In vniuerſo motu communicando actio ſunt et reactio inuicem ſemper aequales.

Probatio.

(Ex metaphyfica vniuerfali depromendum erit pronunciatum, omnem in mundo actionem externam *actionem* effe *mutuam*. Hoc loco, vt intra carceres nos teneamus mechanices, duntaxat oftendemus, hanc actionem mutuam fimul effe reactionem; fed, falua integritate perfpicientiae, hic non poffum legem illam commercii metaphyficam prorfus omittere). Omnes *actiuae* materiarum *in fpatio* relationes, omnesque earum relationum mutationes, quatenus eae poffunt *caufae* videri certorum quorumdam effectorum, femper mutuae funt cogitandae, id eft, quia omnis earum mutatio in motu verfatur, nullus corporis motus poteft in relatione ad quoddam *abfolute quietum*, quod eo etiam moueri debeat, cogitari, potiusque hoc *relatiue quietum* refpectu fpatii, ad quod illud refertur, cum hoc fpatio vero in directione contraria cum eadem motus quantitate in fpatio abfoluto motum cogitandum erit, quam motum in eodem erga fe habet. Namque mutatio relationis (proinde motus) in ambobus prorfus mutua eft; quanto alterum corpus ad quamque partem alterius appropinquat, tanto cuique parti prioris illius alterum propius accedit, quoniamque hic non de fpatio empirico, quod ambo corpora cingit, fed folum de linea agitur, inter illa interiecta (propterea quod ea corpora duntaxat quoad relationem ad fe inuicem, pro contagione motus alterius cum mutatione ftatus alterius, cum continentia ab omni ad fpatium empiricum relatione, confiderantur); motus eorum qua folum in fpatio abfoluto determinabilis fpectatur, in quo quodque amborum corporum, neceffe eft, partem habere aequalem motus, qui alteri in fpatio relatiuo attribuitur, propterea quod, cur vtri plus tribuatur, quam alteri, nulla caufa apparet. Atque ita motus corporis cuiusdam A. verfus aliud quodpiam quietum B. cuius refpectu illud eo effe mouens poteft, ad fpatium abfolutum reuocatur, id eft, qua relatio caufarum efficientium folum ad fe inuicem refertur, fic fpectatus, vti amb

motus, qui in phaenomeno corpori A soli tribuitur, aequaliter participes sunt, quod haud aliter fieri poterit, quam ita, vt celeritas, quae in spatio relatiuo soli corpori A attribuitur inter A et B ad rationem conversam massarum, corpori A soli suo in spatio absoluto, sed corpori B *vna cum spatio relatiuo*, in quo quiescit, in directione contraria distribuatur, quo idem motus phaenomenon plenum retinetur, effectum vero in commercio amborum corporum hoc modo construitur.



Esto corpus A cum celeritate quadam = A B respectu spatii relatiui versus corpus B, quod ratione eiusdem spatii *quietum* est, in accursu. Iam celeritatem A B diuidas in partes duas, A*c* et B*c*, quae ad se inuicem rationem seruant conuersam, quemadmodum massae B et A, et cogites A cum celeritate A*c* in spatio absoluto, sed B cum celeritate B*c* ad directionem contrariam *vna cum spatio relatiuo* motum: ambo motus sibimet inuicem contrarii sunt et aequales, cumque mutuo se inuicem tollant, ambo corpora ad se inuicem relatiue, id est, in spatio absoluto, se mandant *quieti*. Atqui B cum celeritate B*c* ad directionem BA, quae directioni corporis A, nempe AB, e diametro opposita est *vna cum spatio relatiuo* fuit in motu. Si igitur motus corporis B per pulsum tollitur, tamen haud propterea motus spatii relatiui tollitur. Ergo post pulsum mouetur *spatium relatiuum* respectu amborum corporum A et B (quae in spatio absoluto nunc quiescunt), ad directionem BA cum celeritate B*c*, aut, quod idem est, ambo corpora mouentur post pulsum cum celeritate aequali B*d* = B*c* ad directionem pellentis AB. Atqui, quod superius disputauimus, quantitas motus corporis B ad directionem et cum celeritate B*c*, proinde etiam motus directionis B*d* cum eadem celeritate, quantitatisque motus corporis A cum celeritate atque ad dire-

ctionem Ac eſt aequalis: ergo effectum, id eſt, motus Bd, quem corpus B. per pulſum accipit in ſpatio relatiuo, ideoque et actio corporis A cum celeritate Ac reactioni Bc ſemper erit aequalis. Cum eadem lex (id quod mechanice mathematica docet) nullam mutationem perpetiatur, ſi loco pulſus in corpus quieſcens, pulſus accipiatur corporis eiusdem in corpus itidem motum, itemque communicatio motus per *pulſum* a motu per *tractum* tantummodo differat directione, ad quam inuicem ſibi materiae in motibus reſiſtunt: ſequitur, *vt in omni motus communicatione* actio et reactio ſemper videantur aequales (quemque pulſum modo ope repulſus aequalis, itemque quemque *tractum* per retractum aequalem motum cuiuspiam corporis cum alio poſſe communicare). *)

*) In phoronomia, vbi motus cuiuspiam corporis duntaxat reſpectu ſpatii, qua mutatio relationis *in eo*, contemplabatur, nihil intererat, vtrum corpori in ſpatio, aut, loco huius, ſpatio relatiuo motum aequalem vellem, ſed contrarium, concedere; vtrum prorſus idem phaenomenon oſtendebat. Quantitas motus ſpatii ſola erat celeritas, et proinde quantitas corporis pariter nil niſi illius celeritas (quapropter illud qua ſolum punctum mobile poterat ſpectari). Sed in mechanica, vbi corpus in motu verſus aliud conſideratur, ad quod per motum ſuam feruat *relationem cauſalem*, quippe ipſum mouendi, dum aut appropinquans per vim impenetrabilitatis, aut fugiens per vim attractionis, cum eo commercium inſtituit, tum permultum intererit, vtrum vni cuipiam corporum iſtorum, an ſpatio motum velim contrarium tribuere. Nunc enim alius quantitatis motus agitatur, nempe non illius, qui ſolum reſpectu ſpatii cogitatur, et duntaxat in celeritate verſatur, ſed eius, in quo ſimul quantitatis ſubſtantiae (qua cauſae mouentis) ratio habenda videtur, neque hic amplius arbitrarium, ſed *neceſſarium*, quodque corporum motorum qua motum accipere, et quidem, cum quantitate motus aequali ad directionem contrariam; ſi vero alterum relatiue ratione ſpatii in quiete eſt, motum neceſſarium illi *vna cum ſpatio* attribuere. Vnum enim in alterum non poteſt per motum ſuum proximum agere, niſi aut in appropinquatione per vim repulſiuam, aut in fuga per attractionem. Cum ambae vires igitur ſemper ab vtraque parte ad directiones contrarias atque aequa-

Corollarium 1.

Ex his efficitur lex naturalis illa mechanicae vniversalis quam grauissima: quodque corpus, quanta eius cumque massa sit, per pulsum alius cuiuspiam, quam paruula eius massa sit vel celeritas, esse *mobile* oportere. Namque motui A ad directionem AB necessario respondet motus aequalis contrarius B. ad directionem B A. Ambo motus inuicem pulsum tollunt in spatio absoluto. Eo autem vtrumque corpus celeritatem accipit $Bd = Bc$ ad directionem pellentis, ergo corpus B cuique vel minimae vi appulsus mobile erit.

Corollarium 2.

Haec igitur est *lex mechanica* aequalitatis actionis et reactionis, quae posita in eo est: vt nulli motus communicationi locus sit, praeterquam quatenus *commercium* istorum motuum ponatur, nullum proinde corpus pellere aliud, quod *ratione sui* quietum est, sed, si hoc sit respectu spatii, solum quatenus illud *vna cum hoc spatio* in mensura aequali, verum ad directionem contrariam motum sit, vna cum motu, qui tum priori pro sorte obtingit relatiua; demum quantitatem motus dare, quam priori in spatio absoluto tribueremus. Namque nullus, qui respectu alius cuiuspiam corporis esse *mouens* debet, motus potest *absolutus* esse: si autem est relatiuus ratione posterioris, nulla est in spatio relatio, quin ea mutua sit atque aequalis. — Est vero et alia lex, nempe *dynamica* aequalitatis actionis et rea-

liter agant, nullum corpus potest interuentu illarum per motum suum in aliud agere, nisi ipsum tantumdem, quantum alterum reagit cum quantitate motus aequali. Ergo nullum corpus potest *absolute quieto* per motum suum motum impertire, sed hoc cum ipsa eadem quantitate motus (vna cum spatio) in motu esse, necesse est, ad directionem contrariam, quam ea est, quam per motum prioris debet atque ad eiusdem directionem accipere. — Lector facile intelliget, quamuis aliquantum insolita sit haec nostra declaratio communicationis motus, eam tamen posse reddi perspicuam, si ea modo copiose satis illustretur.

ctionis materiarum, non quatenus vna cum altera motum *communicat*, sed huic originarie *impertit* cuiusque renisu simul in se ipsa procreat. Hic similiter potest facili negotio euinci. Nam, cum materia A trahit materiam B, tum illa hanc cogit, vt sibi *appropinquet*, siue, quod idem erit, illa obsistit vi ei, qua haec *fugere* conaretur. Quoniam nihil interest, vtrum B ab A, aut A a B fugiat: hic renisus simul est renisus, quem corpus B erga A exserit, quatenus fugere illud conaretur, proinde tractus et retractus sunt inuicem sibi aequales. Pariter, si A materiam B repellit, obsistit A *appropinquationi* B. Cum autem nihil quidquam intersit, vtrum B ad A, an A ad B propius accedat, B obsistit tantumdem appropinquationi A; pressio et repressio sunt itidem ergo semper sibi inuicem aequales.

Scholion 1.

Haec ergo constructio est communicationis motus, quae simul legem aequalitatis actionis et reactionis, qua conditionem illius, inuoluit, quod *Newtonus* haud ausus est ex anticipatione probare, sed ea de re ad *experientiam* prouocauit, cuius in gratiam alii vim peculiarem materiae, primo a *Keplero vim inertiae* nominatam, in scientiam naturalem introduxerunt, ideoque eam etiam ab experientia deriuarunt, tandem et alii in conceptu solius communicationis motus posuerunt, quam vt transitionem successiuam spectarunt motus vnius corporis in alterum, qua mouens tantumdem amittere debeat, quantum moto impertiat, vsque dum huic posteriori nullum amplius imprimat (si scilicet cum hoc iam vsque ad aequalitatem celeritatis in eadem directione peruenerit), *) quo quidem proprie vniuersam

*) Aequalitas actionis cum reactione in hoc casu falso sic dicta pariter efficitur, si in hypothesi *transfusionis* motuum e corpore in corpus corpus motum A quieto vno momento totum motum suum tradere statuas, ita vt illud post pulsum ipsum quiescat, quod euitari non poterat, simulatque ambo corpora qua *absolute dura* (quae proprietas ab elasticitate probe

reactionem fuftulerunt, id eft, omnem vim vere reagentem pulfi erga pellens (quod fere poffit elaterem contendere), praetereaque, quod iftud haud probant, quod proprie in illa lege fpectatur, ipfam motus *communicationem*, quoad poffibilitatem, neutiquam explicant. Namque vocabulo *tranfitionis* motus e corpore in corpus nihil quidquam explicatur, et, nifi fere illud (contra principium: accidentia non migrant e fubftantiis in fubftantias) ad literam fumere velis, ac fi motus e corpore in corpus, velut aqua e vitro in vitrum, fundatur, hoc loco ipfum problema eft, quomodo haec poffibilitas poffit doceri, cuius explicatio in eadem ipfa caufa pofita eft, vnde lex aequalitatis actionis et reactionis deriuatur. Nullo modo cogitari poteft, quomodo motus cuiuspiam corporis A cum motu alterius B coniunctum effe neceffario debeat, nifi fic, vt vires cogitentur in ambobus, quae iis (dynamice) ante omnem motum competant, exempli caufa repulfionem, et euinci poffit, motum corporis A appropinquando verfus B, cum appropinquatione B verfus A, et, fi B qua quiefcens fpectetur, cum motu illius, *una cum eius fpatio* verfus A neceffario coniunctum effe, quatenus corpora cum viribus fuis (originarie) motricibus folum relatiue ad fe

discernenda eft) cogitarentur. Cum autem ea lex motus neque experientiae conueniret, nec fibi ipfi in applicatione, nullum aliud remedium eft, nifi vt exfiftentia corporum abfolute durorum negaretur, quod idem erat, ac fi fortuita huius ce legis ratio concederetur, propterea quod eam pofitam effe perhiberent in quantitate materiarum fe inuicem mouentium peculiari. Contra in noftra huius legis declaratione prorfus idem eft, an corpora, fe inuicem pellentia, velis abfolute cogitare, nec ne. Quomodo autem patroni *transfufionis* motus corporum *elafticorum* per pulfum velint pro more fuo explicare, equidem nullo modo poffum comprehendere. Etenim manifeftum eft, corpus quiefcens non qua folum quiefcens motum accipere, quem pellens amittat, fed illud in pulfu veram vim ad directionem contrariam verfus pellens exferere, vt quafi *elaterem* in ambobus comprimat, quod ex fua parte pariter verum motum (fed ad directionem contrariam) requifit, quam corpus mouens ex fua parte ad id opus habet.

inuicem in motu conſiderentur. Quod quidem poſterius prorſus eo poteſt ex anticipatione perſpici, quod, ſiue corpus B reſpectu ſpatii empirice noſcibilis quieſcat, ſiue in motu ſit, illud tamen ratione corporis A neceſſario qua motum, idque ad directionem contrariam motum, ſpectari debere; quoniam alias nulla eius contagio cum vi repulſiua amborum locum haberet, ſine qua nulla omnino fieri poteſt actio materiarum mechanica in ſe inuicem, hoc eſt, nulla motus per pulſum communicatio.

Scholion 2.

Igitur verbum vis inertiae, ſalua dignitate celeberrimi eius auctoris, e ſcientia naturali prorſus remouendum videtur, non ſolum propterea, quod ea repugnantiam ipſius verbi inuoluit, vel etiam idcirco, quia lex vis inertiae (carentia vitae) eo facile cum lege reactionis poſſet in quouis motu communicato confundi, ſed potiſſimum, quoniam eo error eorum, qui legum mechanicarum haud ſatis periti videntur, alitur et confirmatur, quo reactio corporum, de qua in verbo vis inertiae ſermo eſt, in eo conſiſtat, vt motus eo in mundo conſumatur, minuatur deleaturue, non vero ſola illius communicatio efficiatur, ſi quidem nimirum corpus mouens partem motus ſui duntaxat deberet impendere, vt inertia quieſcentis vincatur (quod iactura foret), ſola parte reliqua poſſet poſterius mouere; ſin vero nihil illi relinqueretur, per pulſum ſuum poſterius, ob magnam molem ſuam, nullo modo moueret. Motui nihil poteſt reſiſtere, niſi motus contrarius cuiuspiam alterius, neutiquam vero eius quies. Hic ergo non materiae inertia, id eſt, ſola ſe ſponte mouendi imbecillitas, in cauſa eſt reniſus. Peculiaris quaedam prorſus propria vis, ſolum qua reſiſtatur, non qua corpus queat moueri, in verbo vis inertiae vocabulum foret omni omnino ſententia deſtitutum. Quamobrem tres illae leges mechanices vniuerſalis conuenientius poſſent ſic denominari: lex *ſubſiſtentiae, inertiae et antagoniſmi materiarum in omnibus mutationibus illarum.* Has, pro-

inde cuncta huiusque, quam in praesens tractamus, scientiae theoremata, categoriis *substantiae, colligationis causarum commerciique*, quatenus hi conceptus ad materiam adhibeantur, exacte respondere, nulla vlteriori expositione opus videtur.

SCHOLION GENERALE

AD

MECHANICEN.

Communicatio motus fit solo interuentu earum virium motricium, quae materiae etiam in quiete insunt (impenetrabilitatis atque attractionis). Actio vis motricis in aliquod corpus temporis articulo est corporis *solicitatio*, effecta celeritas posterioris per solicitationem, quatenus ea aequali proportione potest tempore crescere, est accelerationis *momentum* (Momentum accelerationis igitur duntaxat celeritatem, necesse est, infinite paruam contineat, quoniam alioquin corpus per illud tempore quodam dato celeritatem acciperet infinitam, quod fieri non potest. Caeterum possibilitas accelerationis vniuerse, per momentum illius continuum, posita est in lege inertiae). Solicitatio materiae per vim expansiuam (veluti compressi aëris, pondus quoddam sustinentis) fit semper cum celeritate quadam finita, quae vero alii cuidam corpori imprimitur (aut detrahitur), celeritas esse potest tantummodo infinite parua; illa enim modo vis est superficialis, siue, quod idem est, motus quanti materiae infinite parui, quae proinde celeritate fiat, oportebit, finita, vt motui corporis cuiuspiam massae finitae cum celeritate infinite parua sit aequalis. Contra attractio vis est penetrans, et qua tali quantitate materiae finitum, in quantum cuiuspiam alterius itidem finitum vim motricem exserit. Ergo solicitatio attractionis infinite parua sit, necesse est, eo quod momento accelerationis (quod semper infinite paruum esse oportet) ea aequalis sit, id quod non est in repulsione, cum pars materiae infinite parua parti fini-

tae debet momentum imprimere. Nulla poteſt attractio cogitari cum celeritate finita, niſi materia per ſuam ipſius vim attractiuam *penetrare* ſe ipſam cogeretur. Namque attractio, quam quantitas materiae finita vi finita quadam exſerit cum celeritate finita, quamque celeritatem finitam debet, qua materia per impenetrabilitatem ſuam, ſed tantummodo parte infinite parua quantitatis materiae ſuae reagit, in omnibus compreſſionis punctis ſuperare. Quodſi attractio vis ſit duntaxat ſuperficialis, prout contextus cogitatur, contrarium eueniret. Sed fieri non poteſt, vt is ita cogitetur, ſi in vera debeat attractione (nec ſola compreſſione externa) verſari.

Corpus abſolute durum illud foret, cuius partes inuicem ſe tam vehementer traherent, vt nullo pondere diuelli poſſent, nec *in ſitu ſuo* erga ſe inuicem mutari. Quoniam itaque partes materiae eiusmodi corporis inuicem ſe accelerationis momento trahere oporteret, quod pro momento grauitatis infinitum, pro momento maſſae autem finitum foret, reniſus per impenetrabilitatem, qua vis expanſiua, cum ſemper fiat quantitate materiae infinite parua, maiori, quam finita, celeritate ſolicitationis fieret, neceſſe foret, hoc eſt, materia celeritate infinita ſe niteretur expandere, quod fieri non poteſt. Ergo corpus abſolute durum, id eſt, tale, quod corpori, cum celeritate finita moto in pulſu reniſum *temporis articulo* opponeret, qui toti illius vi foret aequalis, eſſe non poteſt. Igitur materia per impenetrabilitatem contextumue, vi corporis in motu finito, temporis articulo reniſum obiicit modo infinite paruum. Ex quo ſequitur lex continui mechanica, ſcilicet, in nullo corpore ſtatus quietis motusue, et in hoc celeritatis vel directionis per pulſum temporis puncto mutatur, ſed modo certo quodam tempore, per infinitam ſtatuum intermediorum ſeriem, quorum discrimen inter ſe minus eſt, quam discrimen primi et vltimi. Corpus motum, quod in materiam impingit, proinde eius reniſu non ſimul, ſed ſolum retardatione continua

in quietem, aut id, quod in quiete erat, duntaxat acceleratione continua in motum, vel e gradu quodam celeritatis in alium ad solam regulam eamdem transfertur; itemque directio motus illius mutatur in eam, quae cum illa angulum faciat, non nisi ope directionum omnium possibilium interiectarum, id est, per motum ad lineam curuam (quae quidem lex simili de causa et ad mutationem status corporis per attractionem potest amplificari). Haec lex continui constituta est in lege inertiae materiae, cum e contrario lex continui *metaphysica* ad omnes mutationes (cum internas tum externas) extensa esse deberet, ideoque in solo *conceptu mutationis in vniuersum*, qua quantitatis, et generationis illius (quae necessario certo quodam tempore continuo, quemadmodum tempus ipsum, fieret), constituta foret; proinde hic nullum locum inuenit.

CAPUT QUARTUM
ELEMENTA METAPHYSICA
PHAENOMENOLOGIAE.

Definitio.

Materia cernitur in mobili, quatenus, qua tale, res esse potest subiecta experientiae.

Scholion.

Motus, sicuti omnia, quae per sensus repraesentantur, duntaxat qua phaenomenon datus est. Vt illius repraesentatio experientia fiat, opus est, vt quidpiam per intelligentiam cogitetur, nempe ad modum, quo *subiecto* repraesentatio inhaeret, etiam determinatio *obiectae rei* per illam. Ergo mobile, qua tale, res fit obnoxia experientiae, cum certa *res* quaedam *obiecta* (hoc loco proinde res materialis) respectu *praedicati* motus qua *determinata* cogitatur. Atqui motus est mutatio

relationis in ſpatio. Ergo hic ſemper duo ſunt correlata, quorum vni perinde in phaenomeno atque alteri *primo* tribuitur mutatio, et aut *illud* dici motum poteſt, aut *alterum*, quoniam vtrumque indifferens eſt, vel *ſecundo*, quorum vnum in experientia altero excluſo vt motum debet cogitari, vel *tertio*, vtrumque neceſſario per rationem qua ſimul motum repraeſentandum videtur. In phaenomeno, quod nihil praeter relationem in motu (quoad illius mutationem) continet, nulla harum determinationum complexa eſt; ſi autem mobile, *qua tale*, nempe quoad motum eius, determinate debeat cogitari, id eſt, in gratiam cuiuſpiam poſſibilis experientiae, neceſſe eſt, conditiones indicari, ſub quibus res obiecta (materia) vno alteroue modo per praedicatum motus debeat determinari. Hoc loco non ſermo eſt de mutatione putatitii in verum, ſed phaenomeni in experientiam; namque in putatitio intelligentia cum iudiciis ſuis rem obiectam determinantibus ſemper agit, quamquam facile poſſit ſubiectiuum pro obiectiuo accipere; ſed in phaenomeno nullum prorſus intelligentiae iudicium inuenitur; quod non modo hoc loco, verum in vniuerſa philoſophia notandum eſt, quoniam alias, ſi de phaenomenis ſermo ſit, et hoc vocabulum quoad ſignificationem pro eodem cum verbo putatitii accipiatur, ſemper praue intelligitur.

Theorema 1.

Motus rectilineus materiae reſpectu ſpatii empirici, ad diſtinguendum eum a motu ſpatii oppoſito, ſolum eſt praedicatum poſſibile. Idem in nulla ad materiam extra eam relatione, hoc eſt, qua motus abſolutus, cogitatum *eſſe non poteſt.*

Probatio.

Vtrum corpus in ſpatio relatiuo moueatur, hoc vero dicatur quieſcens, an, vice verſa, hoc ad directionem contrariam aequali celeritate moueri debeat, contra illud vocari quietum, nulla controuerſia eſt de iis,

quae obiectae rei, sed modo eius ad subiectum relationi, proinde phaenomeno, non vero competit experientiae. Nam, si spectator in eodem se spatio collocat quietus, ei hoc corpus dicetur motum; si autem se (certe cogitatione) in alio spatio illudque complectente collocet, cuius respectu corpus itidem quietum est, spatium illud relatiuum vocatur motum. Ergo in experientia (cognitionis cuiuspiam, rem obiectam cunctis phaenomenis rite determinantis) nullum prorsus discrimen est inter motum corporis in spatio relatiuo, aut quietem corporis in absoluto, et contrarium motum aequalem spatii relatiui. Atqui repraesentatio obiectae rei *per* vnum duorum praedicatorum, ratione obiectae rei aequipollentium, et a sese tantummodo respectu subiecti eiusque repraesentandi modi diuersorum, non est determinatio ex iudicio *disiunctiuo*, sed solum optio ex iudicio *alternatiuo* (quorum prius illud ex duobus praedicatis *obiectiue* contrariis vnum excluso contrario, alterum autem de iudiciis, quae obiectiue quidem valent, sed subiectiue inuicem opposita sunt, contrario ab re obiecta haud excluso, — proinde per solam optionem — vnum ad illius determinationem sumit); *) hoc est, per conceptum motus, qua rei subiectae experientiae, per se incertum est indeterminatumque, proinde nihil interest, corpusne in spatio relatiuo, an hoc respectu illius qua motum cogitetur. Atqui illud, quod ratione duorum praedicatorum sibi inuicem oppositorum per se indeterminatum est, eatenus *solum possibile* est. Ergo motus rectilineus materiae cuiuspiam in spatio empirico, quo discernatur a motu opposito spatii aequali, in experientia praedicatum est solum possibile; quod erat primum.

Cum porro relatio, proinde et illius mutatio, id est, motus, res esse duntaxat possit subiecta experientiae, quatenus ambo correlata res sunt experientiae obnoxiae; sed spatium purum, quod etiam comparatum

*) De hoc discrimine oppositionis disiunctiuae et alternatiuae plura dicentur in scholio generali huic capiti annexo.

cum relatiuo (empirico) ſpatium abſolutum dicitur, nulla res obuia experientiae omninoque nihil ſit: motus rectilineus ſine relatione ad vllum quidpiam empiricum, hoc eſt, motus abſolutus, nullo prorſus eſſe modo poteſt; quod erat alterum.

Scholion.

Hocce theoremate modalitas motus determinatur reſpectu *phoronomiae.*

Theorema 2.

Motus orbicularis materiae, vt a motu ſpatii discernatur oppoſito, verum materiae praedicatum eſt; contra motus oppoſitus ſpatii relatiui pro motu corporis ſumtus, nullus verus motus eſt corporis, ſed, ſi pro eo reputetur, ſolum motus putatitius.

Probatio.

Motus orbicularis eſt (vti quisque motus curuilineus) mutatio continua rectilinei, cumque hic ipſe mutatio continua ſit relationis reſpectu ſpatii externi, motus orbicularis mutatio eſt mutationis harum relationum externarum in ſpatio, proinde ortus continuus motuum nouorum. Iam quia ex lege inertiae motus, quatenus oritur, cauſam externam habeat, neceſſe eſt, nihilominus autem corpus in quouis puncto huius orbis (ex eadem lege) per ſe ad lineam rectam orbem contrectantem progredi conatur, qui motus cauſae illi externae reagit, quodque corpus in motu circulari per modum ſuum vim demonſtrat motricem. Atqui motus ſpatii vt a motu corporis diſtinguatur, ſolum eſt *phoronomicus*, nullamque vim motricem habet. Ergo iudicium, hic aut corpus, aut ſpatium, ad directionem contrariam in motu eſſe, iudicium eſt *disiunctiuum*, quo, cum membrum vnum, nempe motus corporis, ponitur, alterum, ſcilicet ſpatii motus, excluditur; igitur motus corporis circularis, quo a motu ſpatii discernatur, *verus* motus eſt, ergo poſterior, etſi quoad phae-

nomenon conuenit cum priori, tamen in contextu omnium phaenomenorum, hoc eſt, experientia poſſibili, huic repugnans eſt, proinde non niſi putatitius.

Scholion.

Hoc theorema determinat modalitatem motus ratione *dynamices;* namque motus, qui non poteſt locum habere ſine contagione vis motricis externae continuo agentis, euincit interuentu vel proxime vires motrices materiae originarias, ſiue attractionis ſiue repulſionis.— Caeterum ſcholion *Newtoni* ad definitiones, quas principiis philoſophiae naturalis mathematicis praemiſit, ſub finem, poteſt ea de re conſuli, ex quo planum eſt, motum circularem duorum corporum circum centrum commune (proinde et verſatio axis terrae) in ipſo ſpatio vacuo, ergo ſine omni per experientiam poſſibili comparatione *cum ſpatio externo*, tamen oportere ope experientiae poſſe cognoſci, proinde motum, qui mutatio eſt relationum externarum in ſpatio, empirice dari poſſe atque proponi, quamquam hoc ſpatium ipſum non empirice datum eſt, neque obnoxium experientiae, quod paradoxon dignum eſt, quod ſoluatur.

Theorema 3.

In quoque corporis motu, quo illud ratione alius cuiuspiam mouens eſt, motus oppoſitus aequalis poſterioris neceſſarius eſt.

Probatio.

Ex tertia lege mechanices (theor. 4.) communicatio motus corporum fieri poteſt per ſolum commercium virium illorum originarie motricium, et hoc per motum ab vtraque parte oppoſitum atque aequalem. Ergo motus amborum eſt verus. Cum autem exſiſtentia horum motuum non (quemadmodum in theoremate ſe-

cundo) in contagione posita sit virium externarum, sed ex conceptu relationis moti in spatio ad quodque aliud eo *mobile* proxime et necessario consequatur, motus posterioris *necessarius* est.

Scholion.

Hoc theorema modalitatem motus determinat ratione mechanices. — Caeterum his tribus theorematibus motum materiae respectu *possibilitatis*, et *exsistentiae*, et *necessitatis*, proinde respectu omnium trium categoriarum *modalitatis* determinari, sponte in oculos incurrit.

SCHOLION GENERALE

AD

PHAENOMENOLOGIAM.

Hic igitur tres apparent conceptus, quorum vsus in vniuersali scientia naturali ineuitabilis, quorum diligentior determinatio propterea necessaria, quamquam haud ita fere facilis comprehensu est, nimirum conceptus *motus in spatio relatiuo* (mobili), deinde conceptus *motus in spatio absoluto* (immobili), tertio conceptus *motus relatiui* vniuerse, quo discernatur ab absoluto. Omnibus conceptus spatii absoluti constituitur. Quomodo autem conceptum tam singularem nanciscimur, et in quo posita est vsus illius necessitas?

Is nulla esse res potest subiecta experientiae; si quidem spatium sine materia nulla res est perceptioni obnoxia, et tamen est conceptus necessarius rationalis, proinde nil nisi mera *idea*. Etenim, vt motus vel qua phaenomenon dari possit atque offerri, opus spatii repraesentatione empirica, cuius respectu mobile debeat relationem suam mutare, sed spatium, quod percipi debet, necesse est, materiale esse, proinde, pro eo, atque conceptus materiae vniuerse postulat, ipsum mobile vide-

ri. Vt igitur illud cogitemus motum, cogitandum erit qua complexum in ſpatio compagis maioris, et hoc ſumendum quietum. Quod ipſum vero reſpectu ſpatii amplioris rurſus poterit itidem conſiderari, et ſic in infinitum, ita, vt numquam ad ſpatium immobile (immateriale) per experientiam perueniamus, cuius reſpectu vlli cuipiam materiae ſimpliciter motus quiesue attribuatur, ſed conceptus harum determinationum relatiuarum ſemper erit mutandus, prout mobile cum vno aut altero iſtorum ſpatiorum comparabitur. Cum igitur conditio, aliquid quietum motumue ſpectandi, in ſpatio relatiuo in infinitum ſemper viciſſim ex conditione pendeat, inde patet *primo:* motum omnem quietemue eſſe ſolum relatiuum poſſe, nullum abſolutum, id eſt, materiam ſolum in relatione ad materiam, numquam vero reſpectu ſolius ſpatii ſine materia, motam poſſe vel quietam cogitari, proinde motum abſolutum, hoc eſt, eum, qui ſine omni relatione materiae ad quamdam aliam cogitetur, ſimpliciter fieri non poſſe: *deinde*, ob eam ipſam cauſam nullum etiam poſſe conceptum motus quietisue in ſpatio relatiuo eſſe, qui *de omnibus phaenomenis* valeat, ſed ſpatium cogitatione informari debeat, in quo iſtud ipſum qua motum queat cogitari, quod vero pro determinatione ſua vlterius ex nullo alio ſpatio empirico pendeat, ideoque haud viciſſim conditioni adſtrictum, id eſt, ſpatium abſolutum, ad quod vniuerſi motus relatiui poſſint referri, in quo cuncta empirica mobilia ſint, eadem de cauſa, vt in eo omnis motus materialium qua ſolum ad ſe inuicem relatiuarum, qua alternatiue mutuus,*) nullus autem qua mo-

*) In logica iſtud *aut* — *aut* ſemper denotat indicium *disiunctiuum;* vbi tum, ſi alterum verum eſt, alterum ſit falſum, neceſſe erit. Veluti corpus *aut* in motu eſt, *aut* non in motu, id eſt, in quiete. Ibi enim loquimur tantummodo de relatione cognitionis ad rem obiectam. Longe aliter eſt in phaenomenologia, vbi de relatione agitur ad ſubiectum, vt ex eo relatio rei obiectae determinetur. Tum enim enun-

tus absolutus quiesue (vbi, dum vnum in motu esse dicitur, alterum, cuius respectu illud motum est, nihilominus qua simpliciter quietum cogitatur) valere queat. Itaque spatium absolutum non, qua conceptus rei obiectae verae, sed qua idea, quae esse pro regula debeat, vniuersi motus in eo solum qua relatiui considerandi, necessarium est, omnisque motus et quies ad spatium absolutum reducendus, si phaenomenon illius in determinato quodam conceptu empirico (omne phaenomenon coniungente) debeat mutari.

Sic motus corporis rectilineus in spatio relatiuo ad spatium absolutum reducitur, si corpus qua per se quietum, illud spatium autem in absoluto (quod non sub sensus cadit) ad directionem oppositam motum, et hanc repraesentationem qua eam cogito, quae idem ipsum phaenomenon ministret, quo tum vniuersa, quae esse possunt, phaenomena motuum rectilineorum, quae corpus fere simul habent, ad conceptum empiricum, qui ea cuncta coniungit, nempe conceptum solius motus quietisque relatiui, reuocantur.

ciatio: corpus aut motum est spatiumque quietum, aut vice versa, non pronunciatum est disiunctiuum in relatione obiectiua, sed solum subiectiua, et ambo, quae illo continentur, iudicia valent *alternatiue*. In eadem phaenomenologia, vbi motus non solum phoronomice, sed potius dynamice consideratur, e contrario enunciatio disiunctiua sumenda est significatione obiectiua; id est, pro conuersione cuiuspiam corporis non poterit illius quies, contraque motus spatii oppositus sumi. Vbi autem motus adeo *mechanice* spectetur (velut si corpus impingit aliud ad speciem quietum) vel iudicium quoad formam disiunctiuum ratione rei obiectae *distributiue* vsurpandum est, ita, vt motus non *aut* vni, *aut* alteri, sed cuique pars aequalis attribuatur. Quae quidem distinctio determinationis conceptus *alternatiuae*, *disiunctiuae*, et *distributiuae*, respectu praedicatorum oppositorum, grauissima est, sed hoc loco non potest vlterius exponi.

Motus circularis, quoniam, ex theoremate fecundo, etiam fine relatione ad fpatium externum empirice datum qua motus verus poteft in experientia proponi, nihilominus reapfe motus abfolutus effe videtur. Etenim motus relatiuus refpectu fpatii externi (velut conversio axis terrae in relatione ad coeli ftellas), *phaenomenon* eft, in cuius locum motus huiufce fpatii (coeli) contrarius in eodem tempore, qua illi prorfus aequipollens, collocari poteft, qui autem fecundum hoc theorema in experientia neutiquam debet in eius locum reponi, proinde et ille motus circularis haud debet qua externe relatiuus cogitari, quod perinde fonat, ac fi hoc motus genus pro abfoluto accipiendum videatur.

Sed probe notandum eft: hoc loco de *motu* vero (exftante) fermonem effe, qui tamen haud qua talis *videtur*, qui proinde, fi eum duntaxat ad relationes ad fpatium empiricas diiudicare velis, poffit pro *quiete* reputari, id eft, de *motu vero*, qui difcernatur a *putatitio*, non vero de eo qua motu abfoluto cum relatiuo comparato, ergo motus circularis, quamquam nullam locorum in phaenomeno mutationem, id eft, nullam phoronomicam, oftendit relationis moti ad *fpatium* (empiricum), tamen mutationem per experientiam docendam continuam dynamicam relationis materiae *in fpatio fuo*, veluti perpetuam deminutionem attractionis per nifum effugiendi, qua veram motu circulari, oftendere eoque difcrimen illius a putatitio certo defignare. Velut terram in fpatio infinito vacuo poteris qua circum axem conuerfam cogitare, eumque motum etiam per experientiam euincere, quamquam relatio partium terrae ad fe inuicem, nec ad fpatium extra illam, phoronomice, hoc eft, in phaenomeno mutatur. Nam refpectu illius prioris vtpote fpatii empirici nihil quidquam in terra locum mutat, et ratione huius pofterioris, quod prorfus vacuum eft, nulla omnino poteft relatio externa mutata, proinde et nullum phaenomenon cu-

iuspiam motus locum habere. Verum, cum cauernam profundam versus centrum terrae porrectam cogito, lapidemque in ea demitto, sed inuenio, lapidem cadentem, quamuis in quaque a centro distantia grauitas semper ad hunc inclinet, nihilominus a directione verticali cadendo perpetuo et quidem ab occidente ad orientem declinare, tum concludo, terram esse ab occidente ad orientem conuersam. Vel cum etiam extra lapidem a superficie terrae longius remoueo, neque is supra eodem puncto manet superficiei, sed ab eo recedit ab oriente versus occidentem, tum ad eamdem conversionem axis terrae concludam, vtraque porceptio argumento erit exsistentiae huiusce motus idoneo, quo haud sufficit mutatio relationis ad spatium externum (coelum stellatum), propterea quod ea in solo phaenomeno versatur, quae causas habere duas potest reapse contrarias, neque cognitio est ex ratione explicandi omnium phaenomenorum huius mutationis deriuata, hoc est, experientia. Quod autem hic motus, etsi in nulla mutatione cernatur relationis ad spatium empiricum, tamen nullus motus absolutus, sed mutatio continua relationum materiarum ad se inuicem, quamquam in spatio absoluto cogitatus, proinde reapse modo relatiuus atque etiam idcirco solum verus motus sit, positum in repraesentatione est mutuae *distantiae* continuae cuiusque partis terrae (extra axim) a quaque alia in distantia a centro aequali e diametro opposita. Hic enim motus in spatio absoluto verus est, propterea quod eo defectus illius distantiae, quem per se sola grauitas corpori contraheret, et quidem sine omni causa dynamica repulsiua (vti ex exemplo disci potest ab *Newtono* Princip. philos. nat. pag. 10. Edit. 1714. *), proinde per verum motum, sed ad spatium intus mate-

*) Ibidem „motus quidem, ait, veros corporum singulorum „cognoscere et ab apparentibus actu discriminare difficillimum est: propterea, quod partes spatii illius immobilis, „in quo corpora vere mouentur, non incurrunt in sensus.

riam motam (nempe centrum illius) conclusum, non vero ad externum spatium relatum, continuo resarcitur.

Quod *tertium* tandem *theorema* attinet, non opus est, ad veritatem motus mutuo oppositi atque aequalis amborum corporum etiam nullo respectu habito spatii empirici docendam, ne contagione quidem dynamica per experientiam data (grauitate vel filo intenso), sed sola possibilitas dynamica eiusmodi contagionis, qua proprietatis materiae (repulsio vel attractio), in motu vnius, aequalem motum atque oppositum alterius simul in se cohibet, et quidem ex solis conceptibus motus relatiui, si is in spatio absoluto, id est, ex veritate spectetur, ideoque, vti cuncta, quae ex solis possunt conceptibus euinci, lex est motus contrarii simpliciter absoluteque necessarii.

Ergo etiam nullus motus absolutus est, quamuis corpus in spatio vacuo respectu alterius qua motum cogitetur; motus vtriusque hic non relatiue ad spatium se cingens, sed ad spatium in ipsis interiectum, quo solo relatio illorum erga se inuicem externa determinatur, qua spatium absolutum consideratur, ideoque rursus relatiuum videtur. Quocirca motus absolutus is modo foret, qui corpori cuidam sine relatione ad vllam quampiam materiam competeret. Eiusmodi solus foret motus rectilineus *uniuersitatis rerum*, id est, syste-

„Causa tamen non est prorsus desperata." Tum duos facit per filum coniunctos globos circum centrum commune in spatio vacuo conuerti atque ostendit, quomodo exsistentia motus illorum cum directione eorum tamen queat per experientiam aperiri. Et ego quoque in terra circum axim suam conuersa sub conditionibus paullo immutatis demonstrare conatus sum.

matis omnium materiarum. Namque, ſi extra materiam quampiam vlla quaepiam alia, per ipſum ſpatium vacuum ſeiuncta materia eſſet, motus foret iam relatiuus. Idcirco quodque argumentum legis cuiuspiam motus, quod eo redit, vt contrario illius motus debeat totius rerum vniuerſitatis effici, argumentum eſt apodicticum de veritate illius; ob eam ſolam cauſam, quoniam inde efficeretur motus abſolutus, qui nullo modo fieri poteſt. Cuiusmodi quidem lex eſt *antagonismi* in commercio materiae motusque vniuerſo. Quaeque enim ab ea declinatio centrum grauitatis commune vniuerſae materiae, proinde vniuerſum mundum loco moveret, quod e contrario, ſi mundum qua circum axim conuerſum cogitares, non fieret, qui proinde motus cogitari poterit, neque tamen, quantum intelligi poſſit, ſi ſumatur, vllam vtilitatem adferret.

Ad varios illos motus viriumque motricium conceptus adfecti ſunt conceptus varii de *ſpatio vacuo*. Spatium vacuum reſpectu *phoronomico*, quod etiam abſolutum vocatur, merito non dici ſpatium vacuum deberet; eſt enim duntaxat idea ſpatii, in quo ab omni ſingulari materia, qua illud res efficitur experientiae ſubiecta, cogitationem abduco, vt in illo ſpatium materiale, vel quoduis empiricum, adhuc qua mobile eoque motum cogitem, non ſolum ex vna parte, qua abſolutum, ſed ſemper mutuum, qua praedicatum ſolum relatiuum. Ergo illud nihil eſt omnino, quod ad exſiſtentiam rerum, ſed tantummodo ad determinationem conceptuum pertinet, atque eatenus nullum exſtat ſpatium vacuum. Spatium reſpectu *dynamico* illud eſt, quod haud eſt repletum, id eſt, in quo penetrationi mobilium nihil aliud mobile reſiſtit, in quod nulla proinde vis agit repulſiua, illudue vel ſpatium vacuum *mundanum*, vel, ſi mundus vt finitus repraeſentetur, vacuum *extramundanum* eſſe poteſt; prius etiam aut vt vacuum *diſſeminatum* (quo pars tantummodo materiae efficitur), aut vt

vacuum coacervatum (quo corpora, velut corpora coelestia, ab se inuicem separantur) potest repraesentari; quae quidem distinctio, cum modo in discrimine locorum posita sit, quae spatio vacuo mundano adsignantur, haud fere essentialis est, sed vario tamen respectu vsurpatur, prius, vt discrimen densitatis, posterius, vt possibilitas motus ab omni renisu externo liberi in spatio mundano inde deriuetur. Vacuum spatium *respectu priori* haud *necessario* accipi debere, iam in scholio vniuersali ad dynamicen ostendimus; illud autem fieri non posse, ex solo eius conceptu, per principium repugnantiae, nullo modo euinci potest. Nihilominus, etiamsi hic nulla eius reiiciendi ratio mere logica deprehenderetur, tamen ratio physica vniuersalis illius ex physica relegandi adesse posset, nempe ratio possibilitatis compositionis materiae in vniuersum, si modo materiae naturam melius perspectam haberemus. Etenim, si *attractio*, quae ad explicandum materiae contextum sumitur, tantummodo putatitia, non vera attractio est, potiusque fere solum effectum *compressionis* per materiam externam in spatio mundano vbique dispersam (aetherem), quae ipsa tantummodo per attractionem vniuersalem et originariam, nempe grauitationem, ad premendum cogatur, quae sententia nonnullis poterit rationibus fulciri, spatium vacuum intra materias, quamquam haud logice, tamen dynamice et proinde physice impossibilis foret, quoniam quaeque materia in spatiis vacuis, quae intus in ea sumerentur (cum vi eius expansiuae hic nihil resistat), sponte se expanderet, eaque semper repleret. Spatium vacuum *extramundanum*, si mundus intelligatur complexus omnis materiae, in primis attractiuae (magnorum corporum coelestium), iisdem de causis impossibile foret, quoniam pro eo, ac distantia ab his crescit, etiam vis attractrix in aethere (qui corpora illa cuncta includit, ab illaque pellitur, ea densa seruat per compressionem) ad rationem conuersam decrescit, hic proinde ipse tantummodo in infinitum densitate decresceret, nusquam

vero ſpatium prorſus vacuum faceret. Interim hanc omnem ſpatii vacui remotionem in ſola hypotheſi poſitam eſſe, nemo mirabitur; ſi quidem et eius adſertio hypotheſi nititur. Illi, qui hanc quaeſtionem dogmatice audent dirimere, ſiue id aiendo agant, ſiue negando, ſolis poſtremo ſumtionibus metaphyſicis innituntur, vti ex dynamice poteſt disci, et certe neceſſarium erat, hoc loco oſtendi, hos non poſſe de illa quaeſtione quidquam decernere. Ac ſpatium quidem vacuum, *reſpectu mechanico* eſt vacuum coaceruatum intra rerum vniuerſitatem, vt corporibus cosmicis liber motus impertiatur. Facile intelligitur, poſſibilitatem vel impoſſibilitatem eius non eſſe poſitam in rationibus metaphyſicis, ſed arcano naturae difficulter aperiendo, quomodo materia vi ſuae ipſius expanſiuae carceres ponat. Nihilominus tamen, ſi, quod in ſcholio ad dynamicen generali de expanſione materiarum ſpecifice diverſarum in infinitum maiori poſſibili, eadem (quoad pondus) quantitate materiae, dictum eſt, concedatur, ſane quidem inutile fuerit, ob liberum durantemque motum corporum cosmicorum, ſpatium vacuum ſumi, propterea, quod reniſus, in ipſis ſpatiis prorſus repletis, tamen tum, quantulum cumque velis, poterit cogitari.

Atque ita doctrina corporum metaphyſica finitur in *vacuo* ob eamque ipſam cauſam incomprehenſibili, in quo quidem eius fatum idem eſt, atque aliorum omnium rationis conatuum, cum ea in regreſſu ad principia primas rerum cauſas inueſtigat, vbi, quoniam ita fert natura, numquam aliud quid, niſi quod ſub datis conditionibus determinatum ſit, comprehendi poteſt, proinde ea nec in eo, quod e conditione pendet, conſiſtere poteſt, nec, quod ab omni conditione vacuum

eſt, comprehendere, illi, ſi diſcendi ardor eam excitet, nihil relinquitur, quam vt ab obiectis rebus ad ſe ipſam regrediatur, quo, pro vltimis rerum terminis, vltimos carceres facultatis ſuae ſibimet ipſi relictae inueſtiget ac determinet.

CONSTITUTIO
METAPHYSICES
MORUM.

PRAEFATIO.

Vetus philofophia graeca in tres partes fuit diuifa, fcilicet in *phyficam*, *ethicam* et *logicam*. Quae quidem diuifio naturae rei exacte confentanea eft, neque quidquam in ea emendandum, quam vt folum fere eius principium adiungatur, quo hoc modo partim de illius plenitudine certi effe poffimus, partim fub diuifiones neceffarias recte determinare.

Vniuerfa rationalis cognitio aut *materialis* eft, vllamque rem quampiam obiectam confiderat; aut *formalis*, cui fubiecta eft fola intelligentiae ipfiusque rationis forma, regulaeque cogitandi vniuerfales generatim, nullo habito rerum discrimine. Philofophia formalis vocatur *logica*, fed materialis, quae rebus certis determinatisque et legibus, quibus hae fubiectae funt, verfatur, itidem duplicis generis videtur. Etenim eae leges vel *naturam* attingunt, vel *libertatem*. Scientia legum naturae dicitur *phyfica*, fed fcientia legum libertatis *ethica* appellatur; illa etiam doctrina naturae nuncupatur, haec doctrina morum.

In logica nulla pars empirica ineffe poteft, hoc eft, ea, in qua leges rogitandi vniuerfales neceffariaeque e rationibus penderent depromtis ab experientia; alias enim ea haud foret *logica*, hoc eft, canon intelligentiae rationisue, qui in omni cogitatione valet locumque habet et demonftrandus videtur. Contra cum naturalis, tum moralis philofophia, fuam quaeque partem poterit empiricam habere; quoniam illa naturae, vt rei experientiae fubiectae, haec vero voluntatis humanae, quatenus ea per naturam mouetur atque adficitur, leges

determinare debet, illas quidem vt leges, ex quibus vniuerfa eueniunt, has vt tales, ex quibus omnia fieri debent, fed tamen perpenfis quoque conditionibus, quibus efficitur, vt nonnumquam haud fiat.

Vniuerfa philofophia, quatenus rationibus experientiae nititur, dici *empirica* poteft, quae vero folum fecundum principia ex anticipatione dogmata proponit, *pura philofophia* vocari. Quae pofterior, fi folum formalis fit, *logica* dicitur; fin vero ad determinatas res adftricta fit intelligentiae fubiectas, *metaphyfica* appellatur.

Tali modo idea exfiftit metaphyfices duplicis, et *metaphyfices naturae*, et *metaphyfices morum*. Quamobrem phyficae non modo pars empirica erit, fed etiam rationalis; item ethica; quamquam eius pars empirica fpeciatim poffet *anthropologia practica* vocari, fed rationalis proprie *philofophia moralis*.

Omnes quaeftus, omnia opificia, artes omnes permagnam vtilitatem ceperunt ex diftributione laborum, cum fcilicet non omnia vnus conficit, fed ad certum quisque laborem, quoad tractandi modum, ab aliis admodum diuerfum feadftringit, quo opera poffint eo perfectiora atque abfolutiora, maioriue facilitate effici. Vbi labores haud ita discernuntur ac diftribuuntur, vbi quisque mirus vult artifex videri, ibi commercia adhuc in fumma barbarie videntur. Quamuis autem hoc fane dignum foret confideratione, quaeftioneque: anne philofophia pura in vniuerfis partibus fuis fingularem, qui fe elaboret, virum defideret, de vniuerfoque docto commercio melius actum fit, fi, qui rem empiricam cum rationali, ad guftum populi, ex variis fibi ipfis

ignotis rationibus, mixtam, vendere ſolent, ſeſe meditabundos, alios vero, qui in ſola parte rationali verſantur, rimatores vocantes, monerentur, ne duo ſimul negotia curent, in tractandi modo tantopere diuerſa, ad quorum quodque fortaſſe peculiari dono opus eſt, quorumque in vno homine coniunctione mali artifices naſcuntur: tamen hic ſolum quaero, anne natura ſcientiae poſtulet, vt pars empirica ab rationali diligenter ſeparetur, propriaeque (empiricae) phyſicae praemittenda metaphyſica naturae ſit, ſed anthropologiae practicae metaphyſica morum, quae ab omni ratione empirica accurate deberet purgata eſſe, vt ſciremus, quantum in vtraque cauſa pura ratio efficere poſſet, ex quibusque fontibus ipſa inſtitutionem hauriret ex anticipatione, ſiue caeteroquin hoc poſterius negotium ab vniuerſis morum doctoribus (quorum nomen legio eſt), ſiue ab nonnullis, qui ſe ad id natos intelligant, tractetur.

Cum hoc loco proprie ſpectem philoſophiam moralem, propoſitam quaeſtionem ad hunc modum adſtringam: anne putes, ſumme neceſſarium eſſe, vt tandem aliquando de philoſophia morali pura laboremus, ab vniuerſis, quae eſſe empirica poſſunt et ad anthropologiam pertinere, prorſus depurata, eam enim eſſe oportere, ſponte manifeſtum eſt ex idea officii legumque moralium communi. Quisque fateatur, neceſſe eſt, legem, ſi moraliter, id eſt, vt ratio obligationis, valere debeat, neceſſitatem in ſe cohibere abſolutam oportere; praeceptum: noli mentiri, haud fere ſolum ad homines valere, quam vero naturae aliae rationes haud curare debere; rationemque proinde obligationis hic non in natura hominis, temporibusque mundi, in

quibus conſtitutus ſit, quaeri debere, verum ex anticipatione tantummodo in conceptibus rationis purae, et quodque aliud praeceptum, in principiis ſolius experientiae conſtitutum, atque etiam praeceptum quodammodo vniuerſale, quatenus ex minima parte, fortaſſe modo quoad momentum, in rationibus empiricis nitatur, regulam quidem practicam poſſe, numquam vero legem moralem appellari.

Ergo leges morales, cum principiis ſuis, in omni cognitione practica a cunctis reliquis, in quibus quodpiam empirici ineſt, non ſolum eſſentialiter diſtinguuntur, verum vniuerſa philoſophia moralis poſita prorſus eſt in parte morali, ad hominemque adhibita, ne minimum quidquam ab eius cognitione (anthropologia) mutuat, ſed leges ei, vt naturae rationique, dictat ex anticipatione, quae ſane quidem vi iudicandi opus habent per experientiam exacuta, vt partim diſcernatur, in quibusnam cauſis earum vſus ſit, partim vt iis aditus in voluntatem hominis aperiatur, visque ad exerendum impertiatur, cum haec, vt ipſa, a tot propenſionibus pulſa atque adfecta, ideae rationis purae practicae capax quidem ſit, neque tamen tam facile queat efficere, vt ea in vita in ſingulo efficax reddatur.

Quamobrem metaphyſica morum maxime neceſſaria eſt, non ſolum propter momentum contemplatiuum, vt fons principiorum practicorum, quae ex anticipatione in ratione noſtra inſunt, inueſtigetur, ſed quoniam mores ipſi variae corruptioni obnoxii manent, donec filum illud ductitium normaque rite diiudicandorum illorum ſuprema nondum aperta eſt. In iis enim, quae eſſe moraliter bona debent, non ſufficit, ea cum lege morali *conuenire*, ſed neceſſe etiam eſt facta eſſe *propter*

illam; alias conuenientia illa folum admodum fortuita erit et dubia, quoniam ratio (moralis) inhonefta fubinde quidem legitimas, plerumque vero legi contrarias actiones efficiet. Atqui lex moralis, in puritate fua ac finceritate (ex qua ipfa in actionibus cuncta maxime pendent), nufpiam alibi, quam in philofophia pura, quaerenda videtur, ergo haec (metaphyfica) antecedat, oportebit, et absque ea nulla omnino poteft philofophia moralis effe; ea ipfa, quae principia pura illa empiricis immifcet, nomine philofophiae indigna erit (quippe quo ea fe ipfo discernit a communi cognitione rationali, quod ea, quae haec tantummodo commixta continet, in feparata arte ac fcientia proponit), multo minus titulo philofophiae moralis, quoniam hac ipfa confufione vel ipfi morum puritati derogat, fuoque ipfius fini aduerfatur.

Noli putare, quae hoc loco poftulantur, iam in propaedeutica celeberrimi *Wolfii* philofophiae morali praemiffa, nimirum in *philofophia practica vniuerfali*, quam dicit, nosmet obtinuiffe, ideoque hic haud fere nouum campum perluftrandum proponi. Verum ob eam ipfam caufam, quoniam ea effe debuit philofophia practica vniuerfalis, voluntate caruit vllius cuiuspiam generis, eius fere, quae fine vllis momentis empiricis, prorfus ex principiis ex anticipatione, determinaretur, quae poffet voluntas pura dici, fed illi propofitum eft velle generatim fpectatum, cum vniuerfis actionibus conditionibusque, quae illi vniuerfali fenfu illo competunt, eoque ea diftinguitur a metaphyfica morum, vti logica vniuerfalis a philofophia transfcendentali, quarum illa functiones regulasque cogitationis *in vniuerfum*, haec autem folum functiones regulasque fingulares co-

gitationis *purae* ac genuinae proponit, hoc eſt, eorum, quibus fit, vt res prorſus ex anticipatione cognoſcantur. Etenim metaphyſicae morum idea et principia voluntatis, quae eſſe poſſit, *purae* inueſtiganda ſunt, non vero actiones conditionesque voluntatis humanae generatim, quae maximam partem e pſychologia hauriuntur. In philoſophia practica vniuerſali (quamquam contra ius fasque) etiam de legibus moralibus officioque ſermonem eſſe, nihil quidquam ſententiae meae officit. Namque auctores illius ſcientiae in eo quoque ideam ſuam preſſo pede ſequuntur; neque momenta, quae, qua talia, prorſus ex anticipatione ſolum per rationem proponuntur proprieque moralia ſunt, ab empiricis diſtinguunt, quae intelligentia comparatis experientiis ad conceptus vniuerſales tollit, ſed conſiderant ea, nullo habito reſpectu fontium eorum, duntaxat ex maiori minoriue ſumma illorum (propterea quod cuncta vt ſimilia ſpectantur) eoque conceptum efformant *obligationis*, qui ſane quidem nihil minus, quam moralis, ita tamen comparatus eſt, vti poſtulari poterit a philoſophia, quae de *origine* omnium, qui eſſe poſſunt, conceptuum practicorum, vtrum iis etiam ex anticipatione, an ſolum ex adſumto atque aduentitio locus ſit, nihil quidquam decernit.

Cum animus ſit, aliquando metaphyſicam morum edere, hanc conſtitutionem praemitto. Ac proprie quidem nulla illius alia conſtitutio eſt, quam *critica rationis purae practicae*, vti metaphyſices critica rationis purae contemplatiuae. Verum, partim illa non tam neceſſaria videtur, quam haec, ſi quidem ratio humana in rebus moralibus, in ipſa intelligentia communi, facile poterit ad magnam perfectionem plenitudinem-

que perduci, cum e contrario in vsu theoretico, sed puro, quanta quanta dialectica sit: partim ad criticam rationis purae practicae requiro, vt, si absoluta esse debeat, vnitas eius cum contemplatiua in principio quodam communi simul proponatur; quoniam tandem vna poterit eademque ratio esse, quae solum in vsu distinguatur, necesse est. Ad tantam vero perfectionem non poteram hic eam euehere, nisi res maxime alienae adducerentur, atque ita lectores confunderentur. Idcirco pro titulo *critices rationis purae practicae*, libellum inscripsimus *constitutio metaphysices morum.*

Quoniam autem porro etiam metaphysica morum, quamquam titulus posset terrere, tamen permagnae popularitatis capax est, conuenientiaeque cum intelligentia communi, e re esse duco, hanc praeuiam constitutionem ab ea separari, vt, quae non possunt in ea vitari, subtilitates haud facilioribus praeceptis necesse sit adiungi.

Sed hac nostra constitutione non, nisi conquisitio constitutioque *supremi moralitatis principii* continetur, quae sola negotium efficit, pro consilio eius, totum ab omnique alia inuestigatione morali separandum. Atque his meis adsertionibus quidem de hac quaestione principe sane grauissima minime satis huc vsque exposita, eodem adhibito principio ad vniuersum systema, multum luminis, et per sufficientiam, quae vbique in eo emicat, magnam confirmationem acciperent: sed abstinendum ab hoc commodo fuit, quod vere quoque magis philautiam spectaret, quam vtilitatem communem, quoniam facilitas vsus opinataque principii sufficientia nullum prorsus certum argumentum est veritatis illius, sed potius certum quoddam studium excitat, eius non

per ſe ipſius, nullo habito ad conſequens reſpectu, quantum fieri queat, ſeueriſſima explorandi ponderandique.

Eam vero viam ac methodum in hoc libello ſecutus ſum, quam, opinor, eſſe conuenientiſſimam, ſi a cognitione communi ad determinationem principii illius analytice et rurſus retro ab examinatione iſtius principii eiusque fontibus ad cognitionem communem, in qua illius vſus deprehenditur, ſynthetice velis iter inſtituere. Proinde haec libelli erit diuiſio:

1. *Sectio prima:* tranſitio a cognitione rationali morali communi ad philoſophicam.
2. *Sectio ſecunda:* tranſitio a philoſophia morali populari ad metaphyſicam morum.
3. *Sectio tertia:* paſſus a metaphyſica morum ad criticam rationis purae practicae poſtremus.

SECTIO PRIMA

TRANSITIO
A COGNITIONE RATIONALI MORALI COMMUNI
AD
PHILOSOPHICAM.

Nihil vſpiam in mundo quidpiam, quin omnino et extra illum cogitari poteſt, quod ſine vlla circumſcriptione queat bonum reputari, quam ſolum *voluntas bona.* Intelligentia, ingenium, iudicandi vis et quae caeterae mentis poterunt *dotes* vocari, aut animi, mentis praeſentia, conſtantia in propoſito, vt proprietates *temperamenti*, ſine dubio haec omnia certo reſpectu bona ſunt dignaque, quae expetantur; ea vero et maxime mala poterunt et pernicioſa fieri, ſi, quae his naturae muneribus vti debet, cuiusque natura propria ac peculiaris idcirco *character* dicitur, voluntas haud bona videatur. Eadem ratio eſt *munerum fortunae.* Opes, diuitiae, honor, ipſaque recta valetudo et vniuerſa ſalus atque animus forte ſua contentus, quae *felicitatem* vocamus, animos erigunt, eoque ſaepenumero faſtum atque protervitatem gignunt, niſi bona voluntas adſit, quae vim eorum in animo, et ſimul quoque vniuerſum agendi principium corrigat, et vniuerſe conſentaneum reddat; vt taceam, ſpectatorem prudentem et aequum vel ipſo adſpectu ſalutis perpetuae naturae, ex qua nulla voluntatis purae bonaeque ſcintilla emicat, haud quaquam poſſe oblectari, atque ita voluntate bona conditionem effici neceſſariam videri, qua dignus fiat felicitate.

Nonnullae proprietates adeo hanc voluntatem bonam ipſae promouent eiusque opus poſſunt admodum leuare, nihilominus tamen nullum habent pretium internum abſolutum, ſed iis bona voluntas ſupponitur, quae aeſtimationem, qua caeteroquin iure eas proſequimur, circumſcribit coërcetque, neque eas ſimpliciter

re voluntati nostrae rationem praefecerit moderatricem, praue intellectum videri. Idcirco hanc ideam ab ea parte explorabimus.

In dotibus naturae organicae, id est, naturae vitae conuenienter constitutae, vt principium sumimus, nullum vlli cuipiam fini destinatum instrumentum in ea inesse, quin illud ei conuenientissimum maximeque consentaneum videatur. Quodsi igitur in ente, ratione praedito et voluntate, eius *conseruatio*, *salusque*, et vno verbo *felicitas* proprius naturae finis scopusque foret, pessime in eo egisset, quod rationem naturae creatae elegerit, quae consilium istud exsequeretur. Omnes enim actiones, quas edere eum in finem debeat, totaque vitae regula ei longe accuratius per impetum naturae, quem instinctum vocant, delineari ac praescribi possent, et finis ille multo certius eo attingi, quam vmquam fieri per rationem possit, quaeque, si praeterea naturae creatae impertita foret, ei tantummodo propterea vsui esse debuisset, vt de felici indole naturae suae contemplationes institueret, eam admiraretur, de eaque gauderet, gratamque se causae beneficae exhiberet; non vero, vt facultatem appetendi debili isti ac fallaci duci submitteret, in consilioque naturae operam male consumeret; vno verbo, ea cauisset, ne ratio in *vsum practicum* exorbitaret, audacterque tenui intellectu suo ipsam ei formam descripcionemque felicitatis, adiumentorumque eius consequendae, excogitaret; natura tum non solum optionem finium, verum etiam ipsorum adiumentorum in sese suscepisset, atque vtrumque sapienti cura impetui animali credidisset.

Ac profecto quidem inuenimus, quo magis ratio exculta in fine vitae felicitatisque perfruendae occupetur, eo etiam longius hominem a vera tranquillitate recedere ac remoueri, ex quo in multis, iisque peritissimis in ea vtenda, si modo ingenue velint confiteri, certus quidam modus *misologiae* oritur, id est, odium rationis, propterea quod subductis calculis vniuersae vtilitatis, quam, ne dicam ex artibus vniuersis luxus

vulgaris inuentis, sed adeo ex scientiae partibus (quae iis tandem itidem intelligentiae luxus videntur) capiunt, tamen intelligunt, sese reapse sibi plus miseriae contraxisse, quam felicitatis comparasse, et propterea vulgus hominum, ad ductum solius impetus naturae propius accedentium, rationique non multum contagionis cum agendis mittendisque concedentium, potius inuidia prosequuntur, quam contemtu. Atque eatenus fatendum est, iudicium eorum, qui gloriosas laudationes vtilitatum, quas nobis respectu felicitatis tranquillitatisque vitae parare ratio deberet, admodum temperant ac fere ad nihilum reuocant, nullo modo triste ac morosum esse, vel erga benignum mundi regimen ingratum, verum istis iudiciis occulte ideam alius cuiuspiam longeque dignioris consilii exsistentiae fundamento subesse, ad quod, non vero ad felicitatem, ratio proprie destinata sit, cuique idcirco, vt conditioni supremae, consilium hominis singulare ac priuatum maximam partem debeat postponi.

Cum enim ratio haud satis idonea sit ad voluntatem respectu rerum ei subiectarum, omniumque (quae ipsa partim auget atque multiplicat) desideriorum nostrorum explendorum certo ducendam, quem quippe ad finem innatus naturae impetus multo certius perduxisset, nihilo tamen secius ratio nobis, vt facultas practica, hoc est, ea, quae vim debeat in *voluntatem* habere, tributa sit; sequitur, vt nobis eum in finem data illa atque concessa sit, quo voluntatem ea gignat pariatque, haud alio fere respectu *vt adiumentum*, sed *per se ipsam bonam*, quo necessario opus fuit ratione, sin alias in distribuendis dotibus conuenienter natura versata sit. Haec igitur voluntas haud vnum et vniuersum debet, at summum tamen bonum sit, necesse est, omniumque reliquorum, ipsius vniuersi felicitatis desiderii conditio, in quo quidem commode poterit cum sapientia naturae conciliari, si animaduerteris, cultura rationis, ad primum finem et absolutum necessaria, adeptionem finis alterius, semper ad conditionem adstrictum, ni-

mirum felicitatis, hac certe in vita, varie circumſcribi, quin ipſum poſſe ad nihilum reuocari, neque tamen in eo inconuenienter rationem agere, quoniam ratio, quae ſummum finem ſuum practicum in conſtituenda voluntate bona agnoſcit, in fine illo adſequendo tantummodo tranquillitatis capax eſt peculiaris generis, nempe ex repleto fine, rurſus ab ratione propoſito, etiamſi iſtud cum aliqua coniunctum iactura ſit finium propenſioni ſtatutorum.

Vt autem conceptus voluntatis per ſe ipſam magni aeſtimandae et ſine vllo vlteriori reſpectu bonae, vti is iam intelligentiae ineſt communi, neque tam doceri debet, quam potius duntaxat colluſtrari, vt igitur iſte conceptus, qui in vniuerſo actionum noſtrarum pretio ſtatuendo ſemper locum principem capit conditionemque efficit caeterorum omnium, explicetur; conceptum *officii* capiamus, qui conceptum in ſe continet voluntatis bonae, quamquam cum certis quibusdam limitationibus impedimentisque ſubiectiuis, quibus vero, tantum abeſt, vt ea occultetur atque obſcuretur, vt potius iis emineat, eoque clarius exſplendeſcat.

Sed hoc loco mittam actiones vniuerſas, quas iam officio contrarias cognoſcimus, quamuis ad hunc illumue finem poſſint conducere: in iis enim ne quaeritur quidem, an *propter officium* facta ſint, cum huic adeo repugnent. Neque eas quoque actiones adferam, quae reapſe cum officio conueniunt, ad quas vero homines haud proxime ſunt *propenſi*, ſed eas tamen patrant, alia quadam propenſione concitati. Ibi enim facile poterit internoſci, vtrum actionem officio conſentaneam *propter officium* ſuſceperint, an ſtudio propriae vtilitatis adducti. Longe difficilius diſcrimen iſtud animaduertetur, cum actio congruens officio eſt, ſubiectumque agens praeterea ad eam *proxime* propenſione tenetur. Sic, vt hoc vtar, ſane quidem officio conuenienter fit, vt inſtitor emtorem imperitum adhibita orationis vanitate iuſtoque cariori pretio dicto ne

defraudet, neque, vbi multa negotiatio et ampla eſt, mercator prudens iſtud ſibi permittet, ſtatutumque pretium vniuerſis commune tuebitur, ita vt paruuli tam bene ab eo emere poſſint, quam alius quisque. Igitur probe nobiscum ſincereque agitur; verum propterea haud poterit putari, mercatorem ſic per officium atque ex principiis probitatis egiſſe; eo quod vtilitati eius ſic conueniebat; eum vero praeterea proxime animi adfectu erga emtorem ferri, vt quaſi amore ductus nullum alii praeponat, hic nullo modo poterit ſumi. Ergo actio illa neque propter officium, neque per proximam propenſionem animi facta erat, ſed tantummodo ſtudio propriae vtilitatis.

Contra, vt quisque vitam tueatur, in officio eſt, et cuique praeterea iſtud eſt a natura tributum. Nec vero propterea diligentia illa ſaepenumero anxia atque ſolicita, quam maxima pars huminum in ſe conſeruando adhibet, vllum habet pretium internum, regulaeque ſubiectiuae eorum nullus valor ineſt moralis. Vitam quidem *officio conuenienter* cuſtodiunt, nec tamen *propter officium.* Contra ea vero, cum aduerſitates aerumnaeque deſperatae oblectationem vitae funditus ſuſtulere: ſi calamitoſus, forti potius animo forti ſuae ſuccenſet, quam animum deſpondet aut abiicit, mortemque expetit, et tamen vitam tuetur, quamuis eam haud amet, non animi propenſione ductus metuue, ſed propter officium; tum in regula ſubiectiua eius valor moralis ineſt.

Vt, vbicumque fieri poſſit, beneficus ſis, in officio eſt, et ſunt praeterea animi ita ad communionem facti ab natura et conſtituti, vt, vel ſine vllo alio vanitatis vtilitatisue momento, intus voluptatem capiant ex laetitia ad alios transferenda, quique aliorum tranquillitate, quatenus ab ſe eam profectam vident, poſſint oblectari. Verum eas actiones contendo, quantopere officio congruenter fiant, quantopere dignae amore videantur, tamen nullum verum pretium morale continere, parique cum aliis propenſionibus paſſu ambulare,

veluti cum ſtudio honoris, quod, ſi forte fortuna in ea inciderit, quae ad vtilitatem publicam conferunt officioque conuenienter fiunt, proinde digna honore videntur, laudem quidem atque adhortationem, non vero aeſtimationem merentur; regula enim ſubiectiua valore morali deſtituta ſunt, qui in actionibus ineſt, quae non ex propenſione animi, ſed *propter officium* ſuſcipiuntur. Fac igitur, animum ſtudioſi hominum propria aegritudine obnubilatum, omnem cum aliorum ſorte communionem exſtinguente, videre, ſed ei adhuc opes eſſe, quibus poſſit miſeris occurrere, eorumque aerumnas leuare, verum illum aliena miſeria haud commoueri, propterea quod ſatis in ſuis aerumnis occupetur, nunc autem nulla amplius propenſione animi prouocatum, ex letali ſe torpore excitare, actionemque citra omnem propenſionem ſuſcipere, ſola officii cogitatione adductum, tum ea demum genuinum habebit pretium morale. Iam vero, ſi per naturam nulla cum aliis conuenientia coniunctioque (quam Graeci vocant συμπάθειαν) huius illiusue animo inſita foret, ſi (caeteroquin vir probus) natura difficulter moueatur, ad aliorumque miſerias indifferens eſſet, quia fortaſſe ſingulari patientiae munere conſtantique robore in ſuis calamitatibus perferendis polleret, quod item in quouis alio ſupponit; ſi natura eiusmodi virum (qui profecto haud in peſſimis illius effectis foret) non proprie ad humanitatem informaſſet, nonne is in ſeſe fontem inueniret, vnde ſibi ipſi poſſet longe maius pretium impertire, quam pretium eſt naturae bene informatae? Ita ſane! ab eo ipſo pretium ac dignitas morum ſiue characteris proficiſcitur, quod morale abſoluteque ſummum ſit, nimirum, vt beneficus ſit, non per procliuitatem animi, ſed propter officium.

Vt ſuae quisque felicitati proſpiciat, in officio eſt (certe indirecte), ſi quidem ex inopia animi forte ſua contenti, in turba multarum anxietatum, mediisque vitae neceſſitatibus haud fatiatis facile permagna poſſet *ad officia migranda ſolicitatio* exſiſtere. Verum, nullo

hic habito officii respectu, omnibus hominibus iam per se vehementissima atque intima inest ad felicitatem procliuitas, quoniam in hac ipsa idea omnes propensiones in vna summa congregantur. Sed praeceptum felicitatis plerumque ita comparatum videtur, vt permultum eo quibusdam propensionibus derogetur, neque tamen homo possit de summa omnium earum explendarum vllam determinatam sibi certamque cogitationem informare; idcirco nil mirum est, vnam, respectu eorum, quae pollicetur, temporisque, quo ea possit expleri, determinatio ideam vagam vacillantemque queat praeponderare, hominemque, velut qui podagrae doloribus excruciatur, eligere cibos posse, quorum sapore delectetur, et quoad fieri possit, qui inde excitantur, cruciatus perferre, propterea quod, subducta ratione, hic certe, nulla fortasse vana felicitatis, quae in recta inesse valetudine putatur, exspectatione, fruitione se praesentis temporis priuarit. Verum in hac quoque causa, nisi vniuersali ad felicitatem procliuitate voluntas eius determinaretur, nisi recta valetudo, illi certe, tam necessario ad illam computationem pertineret, tamen hic, vti in omnibus aliis causis, lex relinquitur, nimirum vt felicitatem suam promoueat, non per propensionem, sed propter officium, et tum demum actioni eius proprium pretium morale accedit.

Sic etiam sine dubio loci scripturae sacrae debent intelligi, quibus iubemur, vt homines, atque ipsos hostes, amemus. Namque amor, profectus ab inclinatione, non potest imperari, sed beneficentia propter officium ipsum, nulla ad eam propensione stimulante, atque etiam auersione naturali inuictaque reluctante, amor *practicus* est, non vero *pathologicus*, amor in voluntate situs, non in inclinatione sensationis, in decretis principiisque actionis, non vero in communione liquescente; sed ille amor practicus solum potest praecipi atque imperari.

Altera deinde haec enunciatio est: actionis propter officium pretium morale, *haud in fine* inest scopo-

que, quem debeas confequi, verum in regula fubiectiva, ex qua ea decernitur, proinde neutiquam pendet ex exfiftentia rei actioni fubiectae, fed folum ex *principio volendi*, ex quo, nullo habito refpectu rerum facultati appetendi propofitarum, actio facta videtur. Ex iis, quae fupra difputauimus, manifeftum eft, fines, quos nobis poffimus in agendo propofitos habere, eorumque effecta, vt fcopos atque elateres voluntatis, nullum abfolutum poffe et morale pretium actionibus impertire. Igitur in quonam pretium iftud ineffe poterit, nifi in voluntate, refpectu fperati effecti, debeat confiftere? Nufpiam effe alibi poterit, *nifi in principio voluntatis*, nulla habita ratione finium, qui poffunt effici eiusmodi actione; voluntas enim medium tenet inter principium ex anticipatione fuum, quod formale eft, et inter elaterem ex adfumto et aduentitio, qui eft materialis, quafiue in triuio conftituta eft, cumque tamen re vlla quapiam determinetur ea, neceffe fit, per principium voluntatis formale, oportebit, vniuerfe determinetur, cum propter officium actio fufcipietur, vbi ei vniuerfum principium materiale ereptum eft.

Tertia tum enunciatio, vt confequens ambarum fuperiorum, fic fonat: *Officium cernitur in neceffitate cuiuspiam actionis propter aeftimationem legis.* Ac *propenfio* quidem actioni propofitae effe fubiecta poterit, *non* vero *aeftimatio*, ob eam ipfam caufam, quoniam ea folum in effecto, non autem in actione voluntatis verfatur. Pariter propenfionis generatim, fiue mea fit, fiue alius cuiuspiam, mihi non poterit aeftimatio effe, ad fummum in illa caufa probare illam poffum, in altera nonnumquam adeo amare, id eft, eam proprie vtilitati meae confentaneam fpectare. Id folum, quod tantummodo, vt caufa cum ratione, numquam vero vt effectum cum voluntate mea coniunctum eft, quod haud inclinationi meae inferuit, fed eam pondere vincit, certe hanc ab hyperpondio in optione prorfus arcet, proinde lex per fe fola effe res poteft aeftimationi fubiecta, eoque praeceptum. Atqui actio propter officium contagio-

nem propensionis, cum eaque quamque rem voluntati obnoxiam penitus secernere debet ac separare, ergo voluntati nihil relinquitur, quo possit determinari, nisi, obiectiue, *lex*, et subiectiue, *aestimatio pura* huiusce legis practicae, proinde regula, *) eiusmodi legi, vel cum ipso omnium propensionum mearum dispendio, obediendi.

Quocirca pretium actionis morale haud in effecto inest, quod inde exspectatur, nec proinde in vllo quopiam actionis principio, quod momento indigeat ab hocce effecto exspectato depromendo. Vniuersa illa quippe effecta (iucunditas status sui, atque etiam alienae felicitatis promotio) aliis quoque causis poterant produci, neque ideo ad id opus erat voluntate naturae rationisque; in quo quidem nihilominus summum absolutumque bonum solùm poterit deprehendi. Idcirco nulla re alia, nisi *repraesentatione legis* per se ipsius, *quae sane quidem solum in naturis locum habet ratione praeditis*, quatenus ipsae, non vero speratum effectum, in ratione voluntatis determinandae versantur, bonum tam eximium poterit, quod nosmet morale dicimus, effici, quod in ipsa iam persona, quae ad illud agit, praesens est, non vero ex effecto demum debet exspectari. **)

*) *Regula* est principium volendi subiectiuum; sed principium obiectiuum (id est, id, quod omni naturae rationique etiam subiectiue foret pro principio practico, si rationi plena potestas est in facultatem appetendi) cernitur in *lege practica*.

**) Posset mihi quispiam obiicere, quasi in vocabulo *aestimationis* confugium quaererem in tactu quodam obscuro, cum per conceptum rationis in quaestione distincte debuissem docere. Verum etsi aestimatio posita in tactu sit, tamen ea est in tactu posita per contagionem *accepto*, sed per rationis conceptum *sponte effecto*, ideoque ab omni tactuum genere acceptorum, qui ad propensionem possunt metumne reuocari, speciatim diuerso. Quidquid proxime vt legem mihi propositam cognosco, id cum aestimatione agnosco, quae solum denotat conscientiam voluntatis meae legi cuipiam *subordinandae*, nullis interuenientibus aliis cum sensu meo

Sed quaenam tandem esse lex poterit, cuius repraesentatione, nullo habito respectu effecti inde exspectati, voluntas debeat determinari, vt haec absoluta, neque vlla cum adiunctione, bona queat appellari? Cum voluntatem omnibus stimulis priuauerim, quae ex vlla quadam lege seruanda ei possint exsistere, nihil relinquitur, quam vniuersalis illa actionum cum lege convenientia, quae sola debeat voluntati pro principio esse, hoc est, numquam aliter agere debeo, nisi ita, *vt etiam velle possim, vt regula mea lex vniuersalis constituatur.* Hic igitur sola cum lege conuenientia omnino (haud vlla quapiam ad certas quasdam actiones determinata lege constituta) id erit, quod voluntati pro principio sit, et esse quoque necesse sit, nisi officium omnino in opinione inani debeat conceptuque commentitio versari; quocum et intelligentia communis in diiudicatione practica quoque accurate conspirat, illudque principium semper habet ob oculos collocatum.

Fingamus, quaestionem proponi: anne mihi, ad angustias redacto, licebit, promissum facere, quod, sententia stet, me non seruaturum? Hic facile pro eo,

contagiis. Proxima voluntatis per legem determinatio eiusque conscientia vocatur *obseruantia*, ita vt haec vt *effectio* legis in subiecto, non vero vt *causa* illius consideretur. Proprie obseruantia cernitur in repraesentatione cuiusdam pretii, philautiae meae detrahentis. Itaque res obseruantiae subiecta solum *lex* est, et ea quidem, quam *nobis ipsi* et tamen vt per se necessariam iniungimus. Vt legi, illi subiecti sumus, ita vt haud liceat philautiam consulere; vt lex nobis a nobismet ipsis imposita, tamen ea consequens est voluntatis nostrae, habetque priori respectu similitudinem (analogiam) metus, sed posteriori inclinationis. Omnis personae obseruantia proprie solum obseruantia legis est (probitatis, id genus aliarum), cuius illa nobis exemplar proponit. Quoniam itidem in officio est, vt dotes ingenii excolamus, fit, vt in persona, naturae muneribus instructa, nobis etiam quasi quoddam *legis exemplar* (vt ei nosmet reddamus similes) cogitando informemus, eaque nostra efficitur obseruantia. Omne *inuitamentum*, quod dicunt, morale tantummodo in obseruantia legis consistit.

ac poteſt eſſe, quaeſtionis ſententia diſtinguo, vtrum prudenter, an officio conuenienter fiat, promiſſum falſum facere. Illud quidem, dubium non eſt, quin ſaepenumero eueniat. Intelligo quidem, non ſatis eſſe, hoc memet effugio ex praeſenti difficultate expediri, ſed probe deliberandum eſſe, anne ex hoc mendacio longe maior poſſit incommoditas ad me redundare, quam quibus nunc memet liberem, cumque conſequentia per omnem, qua mihi pollere videor, *verſutiam* haud queant tam facile praeuideri, vt ne aliquando fiducia perdita multo mihi eſſe poſſit perniciofior, quam cuncta mala, quae nunc cogito vitare, anne *prudentius* agatur, vt in eo regulam vniuerſalem ſequar, et ita memet componam, vt nihil quidquam promittam, quod nolim ſeruare. Verum mox animaduertam, eiusmodi regulae conſequentia illa metuenda ſolum fundamento ſubeſſe. Atqui longe aliud eſt, propter officium veracem eſſe, quam per metum conſequentium noxiorum; propterea quod, vt propter officium veracitati ſtudeam, actionis conceptu per ſe ipſo iam lex mihi propoſita continetur; ſed ſi per metum conſequentium noxiorum veracem me debeam oſtendere, mihi demum aliunde circumſpiciendum eſt, quae ratione mei eſſe effecta coniuncta poſſint. Quodſi enim ab officii praecepto deflectam, profecto malum erit; ſin vero a regula prudentiae defecerim, poterit iſtud mihi tamen nonnumquam vtile eſſe, quamuis tutius ſit, ſi in ea perſeverem. Interim vt diſcam, quomodo reſpondendum ſit ad quaeſtionem propoſitam, an promiſſum mendax officio conuenienter fiat; memet ipſum quaero: an tandem in eo acquieſcerem, vt regula mea (promiſſo falſo faciendo memet ex difficultate expediendi) inſtar legis debeat vniuerſalis valere, et num mihimet ipſe dicere poſſem: quisque promiſſum falſum faciat, ſi in anguſtiis verſetur, vnde haud aliter queat emergere. Tum mox intelligo, me quidem mendacium poſſe, non vero legem mentiendi vllo modo expetere; ſi quidem ex tali lege proprie nullum omnino promiſſum exſtaret, quoniam fruſtra fieret, ſi reſpectu actionum mearum

voluntatem meam aliis declararem, qui tamen isti declarationi nullam fidem tribuerent, aut si per praecipitantiam hoc mihi concederent, par pari mihi referrent, proinde regulam meam, si lex ea vniuersalis euaderet, se ipsam, necesse esse, euersuram.

Quid igitur mihi faciendum sit, vt volitio mea moraliter bona sit, nulla opus est subtilitate altius repetente, vt aperiam. Imperitus ratione euentorum mundi, et ad singula euenta paratum esse inidoneus, memet solum interrogo: tune etiam velle poteris, vt regula tua lex fiat vniuersalis? sin minus, ea reprobanda erit, idque haud quidem propter incommodum ad te aliosue inde enasciturum, sed quoniam ea non potest vt principium cuique, quae esse possit, legislationi communi aptari ad eamque quadrare, huius autem aestimationem proximam ratio mihi extorquet, quam quidem, in quo positam esse et constitutam (id quod philosophus anquirat), nondum *perspicio*, sed certe tamen tantum intelligo, aestimationem pretii esse, quod vniuersum eorum, quae a propensione commendantur, pretium pondere longe vincat, necessitatemque actionum mearum per aestimationem *puram* legis practicae in eo versari, quo officium efficiatur, cui quodque momentum aliud cedere debeat, quoniam ea in conditione cernatur voluntatis *per se* bonae, cuius pretium cuncta superat atque excellit.

Ita in cognitione morali rationis hominum communis vsque ad principium illius peruenimus, quod sane quidem haud ita in forma vniuersali separatum cogitatione sibi informat, sed semper tamen reapse ob oculos habet, normaque diiudicandi vtitur. Hoc loco facile posset ostendi, quomodo magnete, nauali instructa, in vniuersis causis obuiis bene possit discernere, qui bonum malumue, quidue officio consentaneum aut contrarium sit, si, neutiquam quidquam eam noui docentes, Socratem imitemur, eamque ad principium illius proprium aduertamus, ideoque nulla opus scientia esse ac philosophia, vt sciamus, quid agendum sit, quo probi

bonique, atque etiam ſapientes honeſtique ſimus. Atque iam vero in antecesſum poſſet ſuſpicari, cognitionem eorum, quae cuique homini facienda ſint, proinde quoque ſcienda, ea etiam cuius, vel ipſius de plebe infima hominis rem fore. Hic non poteſt ſine admiratione conſpici, quantum facultas iudicandi practica theoreticae praeſtet in intelligentia communi. Quodſi in facultate iudicandi theoretica ratio communis audeat, a legibus empiricis ſenſuumque perceptionibus deflectere, non niſi in incomprehenſibilia incidit ac pugnantia cum ſe ipſa, certe in chaos quoddam ambiguitatis, obſcuritatisque atque inconſtantiae. Sed in practicis iudicandi vis tum demum ſe optime exſerit, cum intelligentia communis omnes ſenſitiuos elateres ab legibus practicis ſecludit et arcet. Ea tum adeo ſubtilitatibus indulget, ſiue cum conſcientia ſua ludat, aliisve petitionibus reſpectu eius, quod recta dici debeat, ſiue etiam pretium actionum in ſe ipſa inſtituenda ingenue velit ſtatuere, in quo quidem conſtituendo in primis eodem iure ſperare poterit, ſe rite verſaturam, quo vmquam philoſophus ſperauerit, quin propemodum in eo certior ſit, quam philoſophus, quippe qui nullo poſſit alio principio vti, ſed iudicium ſuum, per vim alienarum deliberationum, rem minus attingentium facile confundere atque ab recta directione auocare. Nonne igitur magis e re foret, in rebus moralibus in iudicio rationis communis acquieſcere, atque ad ſummum philoſophiam intexere, vt morum ſyſtema eo plenius faciliusque comprehenſum, itemque regulae illius ad vſum (multo magis autem ad diſputationem) aptiores proponantur, non vero vt ipſo reſpectu practico intelligentia communis a ſimplicitate ſua felici deducatur, et per philoſophiam in nouam viam inueſtigationis inſtitutionisque ducatur?

Praeclara res innocentia eſt, ſed modo dolendum eſt, eam haud commode cuſtodiri poſſe, facileque ſeduci. Idcirco ſapientiae — quae caeteroquin magis in agendo mittendoque, quam in ſciendo verſatur — tamen et

ſcientia opus eſt, non vt ab ea diſcat atque edoceatur, ſed vt praecepto ſuo aditum aperiat durationemque comparet. Homo in ſe ipſo grauiſſimum pondus ſentit contra vniuerſa praecepta officii, quod ratio ei tanti aeſtimandum proponit, in neceſſitatibus ſuis et propenſionibus, quarum ſatiationem vniuerſam verbo felicitatis comprehendit. Atqui ratio praecipit, etſi in eo neutiquam quidquam propenſionibus polliceatur, neceſſario, proinde quaſi reiectis neglectisque importunis iſtis et tamen ſpecie aequitatis fallentibus petitionibus (quae nullo ſeſe tolli praecepto volunt). Inde vero *dialectica naturalis* oritur, hoc eſt, inclinatio, contra illas leges officii ſeueras argutandi, earumque valorem, certe puritatem ſeueritatemque ſub dubium vocandi, easque, ſi fieri poſſit, deſideriis noſtris ac propenſionibus accommodatiores reddendi, id eſt, eas funditus corrumpendi, omnique dignitate priuandi, quod tamen ipſa ratio practica communis demum haud poterit probare.

Sic igitur *humana ratio communis* haud vlla quapiam neceſſitate contemplationis (quam, dum ei ſatis ſit, ſolum ſe rationem ſanam eſſe, numquam ſentit), ſed ipſis rationibus practicis impellitur, vt gyrum ſuum relinquat, gradumque faciat in campum *philoſophiae practicae*, quo de fonte principii ſui veraque eius determinatione cum regulis comparati collatique, quae in neceſſitate nituntur ac propenſione, notitiam dilucidamque inſtitutionem capiat, vt e difficultate liberetur ob vtriusque partis petitiones, neque periculum ſubeat, per ambiguitatem, in quam ea facile incidit, vniuerſis ſeſe genuinis principiis moralibus priuandi. Ergo in ratione communi practica, ſi ſe ipſam excolit, pariter ſenſim paulatimque *dialectica* emergit, qua cogitur, vt ab philoſophia praeſidium petat, atque illi accidit in vſu theoretico, illaque proinde aeque minus, atque haec altera, vſpiam alibi, quam in plena critica rationis noſtrae quietem inueniet.

SECTIO SECUNDA.

TRANSITIO
A PHILOSOPHIA MORALI POPULARI
AD
METAPHYSICAM MORUM.

Quamquam, quem hucusque tractauimus, officii conceptum ex rationis noſtrae practicae communi deduximus, tamen inde nullo modo poterit colligi, nos eum vt conceptum empiricum tractaſſe. Potius, ſi ad experientiam eorum, quae agunt homines mittuntque, animum aduertamus, frequenter videmus et, quod nos ipſi concedimus, iuſte queri, quod adeo nulla certa poſſint conſilii ex officio puro agendi exempla adferri, vt, etſi nonnulla ei, quod *officium* praecipit, *conuenienter* fiat, tamen etiamnunc dubium eſſe, an proprie *propter officium* fiat, eique proinde pretium morale inſit. Idcirco omni tempore fuere philoſophi, qui veritatem huius conſilii in actionibus humanis penitus negarent, omniaque philautiae plus minusque excultae ac perpolitae tribuerent, neque tamen de veritate conceptus moralitatis dubitarent, potiusque cum intimo dolore mentionem facerent fragilitatis impuritatisque naturae humanae, quae ſatis quidem generoſa ſit, vt ideam ſibi adeo dignam aeſtimatione praecipiat, ſed ſimul tamen infirmior atque imbecillior, quam vt eam ſequatur, et ratione, quae ſibi eſſe legislationi deberet, tantummodo vtatur ad inuitamentum propenſionum, ſiue ſingularum, ſiue, ad ſummum, maxime inter ſe inuicem concordium, curandum.

Profecto nullo modo fieri poteſt, vt per experientiam vel de vna cauſa prorſus certo decernatur, cum regula actionis alioquin officio conuenientis ſolum in rationis moralibus poſita fuit, atque in officii repraeſentatione. Etenim nonnumquam quidem accidit, vt

in nobismet feueriffime examinandis nihil quidquam offendamus, quod praeter rationem officii moralem fatis valuerit, ad hanc illamue actionem bonam tum tamque iacturam faciendam nos mouendos; fed inde nullo modo poterit certo elici, reapfe nullum prorfus occultum philautiae ftimulum, fola idea illa oftenfa, veram voluntatis determinandae caufam fuiffe, vbi tum libenter patimur momento nobiliori, fed falfo arrogato demulceri, re vero ipfa per feueriffimam explorationem numquam penitus poffumus occultos illos elateres aperire, propterea quod, cum de pretio morali fermo eft, non de actionibus agitur, quas videmus, fed de principiis illis earum internis, quae haud confpiciuntur.

Iam iis, qui vniuerfam moralitatem, vt folam rem commentitiam ex phantafia humana per arrogantiam fe ipfam transuolante ortam, rident, nil facere gratius poteris, quam vt iis concedas, conceptus officii (quemadmodum fibi per ignauiam libenter perfuadent, eamdem et reliquorum omnium rationem conceptuum effe) folum deriuari ab experientia oportere; eo enim illis indubitato triumphus paratur. Memet humanum praebebo et largiar, plerasque actiones noftras officio fieri conuenienter; verum fi curas eorum cogitationesque propius adfpexeris, vbique earum illud *ipfe* eminet atque confpicitur, in quo, non vero in feuero illo officii praecepto, quod plerumque abnegationem fui ipfius poftularet, confilium eorum nititur. Non eft, quod virtutis inimicus videare, fis modo ferius obferuator et aequus, qui defiderium boni ardentiffimum haud continuo pro eius exfiftentia accipiat, vt (praefertim prouectiori aetate, iudicandique vi per experientiam maturata, partim vero etiam ad obferuandum acuata) certis temporibus dubius fias, num vere quoque vfpiam in mundo virtus inueniatur. In quo quidem nihil nos ab omni defectu poteft ab ideis noftris officii tutos praeftare, nihilque quidquam aeftimationem legis in mente conferuare, quam animi firmitas euidens, quamuis numquam actiones exftiterint, ex puris eiusmodi lim-

pidisque fontibus ortae, tamen hic quoque neutiquam sermonem esse, vtrum hoc an illud fiat, sed rationem per se ipsam ab vniuersisque phaenomenis liberam, quid fieri debeat, praecipere, proinde actiones, quarum fortasse adhuc nondum prorsus exemplum exstiterit, quarumque de possibilitate vel is adeo, qui cuncta in experientiam constituit, admodum dubitauerit, tamen per rationem necessario imperatas esse, puramque, vt hoc vtar, probitatem in amicitia nihilominus a quoque homine postulari posse, etiamsi huc vsque nullus amicus probus exstiterit, si quidem officium istud, vt officium vniuerse, ante vniuersam experientiam, in idea rationis inest, voluntatem per causas ex anticipatione determinantis.

Cui si addideris, si haud omnem omnino cogitationis de moralitate veritatem adfectionemque ad vllam aliquam, quae possit esse, rem obiectam velimus impugnare, legis illius sententiam tam late patere, vt non solum ad homines, sed ad omnes *omnino naturas ratione praeditas*, non modo cum adiunctionibus fortuitis atque exceptionibus, sed *absolute necessario* valere oportere; manifestum erit, nullam posse experientiam ansam praebere, vel modo ad possibilitatem talium legum apodicticarum concludendi. Quo enim iure ea, quae forsitan cum adiunctionibus fortuitis naturae humanae valent, vt praeceptum vniuersale possumus cuique naturae rationique, ad aestimationem immensam euchere, et quomodo leges voluntatis *nostrae* determinandae debebunt leges voluntatis determinandae naturae rationisque vniuerse, et solum qua tales, etiam nostrae reputari, si duntaxat empiricae forent, nec prorsus ex anticipatione ab ratione pura, sed practica proficiscerentur?

Neque etiam prius posset moralitati consuli, quam si eam ab exemplis depromeres. Quodque enim exemplum illius, quod mihi proponitur, ipsum antea ex principiis moralitatis atque honesti diiudicandum videtur, an quoque dignum videatur, quod exemplo origi-

nario ſit, hoc eſt, typo, neutiquam vero illud poterit conceptum illius primum ſuppeditare. Ipſe ſanctus ille euangelii antea conferri debet cum ideali noſtro perfectionis moralis, antequam pro eo cognoſcatur; de ſe ipſo quoque dicit: quid me (quem videtis) bonum dicitis, nemo bonus (prototypon boni) eſt, niſi vnus deus (quem vos haud videtis). Vnde vero nobis eſt conceptus dei, vt ſummi boni? Solum ex *idea*, quam ratio ex anticipatione delineat de perfectione morali, et cum conceptu voluntatis liberae arctiſſime coniungit. In rebus moralibus nullus omnino imitationi locus videtur, exemplaque tantummodo ad incitandos animos faciunt, hoc eſt, poſſibilitatem eorum, quae lex imperat iubetque, extra dubitationem ponunt, ſub adſpectumque id ſubiiciunt, quod regula practica generalius enunciat, numquam autem poterunt poteſtatem facere, veri, quod in ratione ineſt, typi negligendi, et ſeſe ad exempla componendi.

Quodſi igitur nullum genuinum principium moralitatis ſupremum ſit, quin ab omni experientia liberum ſolum niti debeat in ratione pura, haud opus eſſe duco, vt vel modo quaeratur, conducatne, hoſce conceptus, ita vti, vna cum principiis ſuis, ex anticipatione rati ſunt fixique, in abſtracto proponi, ſi ſcilicet cognitio a vulgari communique dicerni debeat, et philoſophica vocari. Sed noſtris quidem temporibus ſane opus fuerit. Etenim, ſi ſuffragia colligerentur, vtrum cognitio rationalis pura ab omnique re empirica ſeiuncta ac ſeparata, proinde metaphyſica morum, an philoſophia practica popularis praeferenda videatur, facile ſuſpicabere, quae pars victura foret.

Ac ſane quidem ea ad conceptus populares demiſſio admodum laudabilis erit, facta prius ad principia rationis purae eleuatione ſatisque impetrata, idque foret, mores prius in metaphyſicam *conſtituere*, eique vero, ſi firma ſtet et fixa, poſthac per viam popularem *aditum* parare. Verum maxime abſurdum eſt, ſi in prima ſtatim inueſtigatione, vnde omnis veritas principiorum

pendet, populari ratione indulgeas. Non ſolum propterea, quod ea ratio rariſſimam illam vere *popularitatis philoſophicae* numquam poterit ſibi vindicare, ſi quidem nulla arte indigeas, quo ab vulgo poſſis intelligi, ſi vniverſam doctam perſpicientiam neglexeris; verum etiam taediofus farrago obſeruationum vndique corroſarum principiorumque argutantium ea re producitur, quo ingenia obtuſa delectantur, quoniam in eo inſunt, quae ad confabulationes conducant quotidianas, in quo vero homines perſpicaces confuſionem ſentiunt, atque indignantes oculos auertunt, quamquam, qui praeſtigias iſtas penetrant, philoſophi parum audiuntur, cum ad quoddam tempus ab opinata popularitate auocant, quo parta demum perſpicientia certa ac determinata iure iis eſſe populares liceat.

Conſideremus modo pericula de moralitate ad illam rationem adamatam inſtituta, et modo peculiarem naturae humanae determinationem (ſubinde vero etiam ideam naturae rationisque generatim), modo perfectionem, modo felicitatem, hic ſenſum moralem, illic reuerentiam dei, quiddam huius, quiddam etiam illius, mira confuſione inueniemus, ita vt neminis animum quaeſtio ſubeat, num etiam omnino in cognitione naturae humanae (quam tamen ſolum ab experientia poſſumus deprointam habere) moralitatis principia quaerenda videantur, et, hoc ſi minus ſit, ſi principia honeſti prorſus ex anticipatione, ab omni re empirica libera, ſimpliciter in conceptibus puris rationalibus, neque vſpiam alicubi, ne ex minima parte quidem, deprehendantur, conſilium capiendum ſit, huiuſce inueſtigationis, vt philoſophiae purae practicae, ſiue (ſi nomen tantopere diffamatum liceat nuncupari) vt metaphyſicae *) morum, potius prorſus ſeparandae, quam

*) Poteris, ſi velis (perinde atque matheſis pura ab applicata, logica pura ab applicata diſtingitur, ita), puram morum philoſophiam (metaphyſicam) ab applicata (nempe ad naturam humanam) diſcernere. Quo quidem vocabulo continuo monemur, principia moralia non eſſe in proprietatibus

per se solam ad absolutam perfectionem perducendae, populique, qui viam popularem exoptat, vsque ad euentum huiusce negotii.

Eiusmodi vero metaphysica morum prorsus solitaria, cum nulla anthropologia, nullaque theologia, nulla item physica vel hyperphysica, multo minus cum qualitatibus occultis (quas hypophysicas dicere possis) commixta, non solum est substratum necessarium vniversae cognitionis theoreticae officiorum certo determinatae est, verum simul quoque desideratum maximi momenti ad praecepta illius vere obseruanda. Namque purae et cum nulla aliena accessione stimulorum empiricorum mixtae repraesentationis officii, omninoque legis moralis, cum animo humano per viam rationis solius (quae in eo primum, se per se ipsam quoque posse practicam esse, intelligit) eo maior contagio est, atque cunctorum aliorum elaterum, *) qui in campo possint

humanae naturae constituta, sed per se ex anticipatione consistere debere, ex iis vero, vti cuique naturae rationique, ita quoque humanae, regulas practicas esse deriuandas.

*) Epistolam teneo excellentissimi beati *Sulzeri*, in qua ex me quaerit: quid tandem causae sit, quare doctrinis virtutis, quanta illarum cumque vis sit ad euidentiam et persuasionem ratione quoque, tamen tam parum efficiatur. Responsio mea, parando memet comparandoque ad plenam illam absolutamque exhibendam, fuit retardata. Verum ea nulla alia est, quam idcirco, quoniam doctores ipsi conceptus suos non satis expoliuere, et, dum rei consulere vellent, eo, quod vndique momenta ad honestum moraliterue bonum conquirerent, medicinam, quam eo reddi fortiorem crederent, perderent. Docet enim vel maxime triuialis obseruatio, si actionem quamdam probitatis proponas, vti ab omni omnino studio cuiuspiam commodi vtilitatisque, in hoc alioue mundo, seiuncta, in ipsius erum narum incitamentis illectionumue, forti animo edita est, quamque aliam actionem, vel per minimum elaterem alienum adfectam, longe post se relinquere atque obscurare, animumque elevare, et desiderium excitare, vt etiam sic agere queamus.

empirico euocari, vt eos dignitatis suae conscia despiciat, paulatimque superare queat; cuius quidem loco doctrina morum, ex elateribus tactuum propensionumque simulque ex conceptibus rationalibus composita, animum inter momenta, quae nulli possint principio subordinari, quae tantum fortuito ad bonum possunt, saepius vero etiam ad malum ducere, incertum faciat vacillantemque necesse est.

Ex his, quae modo attulimus, perspicuum est: omnes conceptus morales prorsus anteceptos in ratione sedem atque originem habere, et in ratione quidem communi hominum de infima plebe, pariter atque in summo modo rationis contemplatiuae; eos non posse ab vlla cognitione empirica ideoque solum fortuita separari et abstrahi; in hac puritate originis ipsam esse eorum dignitatem sitam, quo nobis esse queant pro principiis practicis supremis; quoties quidquam empiricum addatur, tantum etiam contagioni illorum genuinae immensoque actionum pretio detrahi; non solum summam necessitatem respectu theoretico, si solum de contemplatione agatur, postulare, verum etiam summi momenti practici esse, conceptus legesque vt ex ratione pura hauriantur, purique atque limpidi proponantur, quin ambitus atque compages vniuersae istius cognitionis practicae vel purae rationalis, determinetur, in eo autem, quamquam philosophia contemplatiua illud concedit, atque adeo nonnumquam necessarium videt, principia ad peculiarem rationis humanae naturam adstringantur, sed eo, quod leges morales ad quamque debent naturam rationemque generatim valere, iam ex conceptu naturae rationisque vniuersali deriuentur vniuerse, et tali modo vniuersa philosophia moralis, quae ad *vsum* sui ad homines transferendum opus habet anthropologia, primum ab hac libera vt philosophia pura, hoc est, metaphysica, plene (quod in hoc genere

Ipsi liberi aetatis mediae hanc vim sentiunt, iisque officia quoque numquam aliter deberent ostendi.

cognitionum prorſus ſeiunctarum commode fieri poteſt) proponatur, probe conſcii, niſi eam poſſideamus, fruſtra eſſe, vt, ne dicam, moralem officii rationem, in vniuerſis quae officio conuenienter fiunt, diligenter diiudicationi contemplatiuae deſtinemus, verum adeo in vſu ſolum vulgari et practico, in primis inſtitutione morali, fieri non poſſe, vt mores in genuinis principiis ſuis conſtituantur, eoque conſilia animi pura moralia efficiantur ad ſummamque mundi ſalutem animis implantentur.

Vt autem in hac tractatione non ſolum a diiudicatione vulgari morali (quae iſtic perquam digna aeſtimatione videtur) ad philoſophicam, vti quondam factum eſt, ſed a philoſophia populari, quae non longius progreditur, quam palpando poſſit, interuentu exemplorum venire, vsque ad metaphyſicam (quae nulla ſeſe re empirica longius ſinit retineri, dumque vniuerſus cognitionis rationalis huiuſce generis complexus ei dimetiendus eſt, fere vsque ad ideas progreditur, vbi ab ipſis deſerti nos exemplis videmur) per gradus naturales progrediamur, facultatem rationalem practicam inde ab regulis illius determinantibus vniuerſalibus, vsque eo, vbi ex ea conceptus oritur officii, perſequi debemus dilucideque proponere.

Quaeque res naturae efficiendo leges ſequitur. Sola natura ratioque facultate gaudet, *ex repraeſentatione* legis, id eſt, ex principiis agendi, ſiue *voluntate*. Cum ad actiones a legibus deriuandas *ratione* opus ſit, ſequitur, vt voluntas nihil aliud, quam ratio practica videatur. Quodſi ratio voluntatem neceſſario determinet, actiones eiusmodi naturae, quae vt obiectiue neceſſariae agnoſcuntur, etiam ſubiectiue neceſſariae ſunt, hoc eſt, voluntas cernitur in facultate, *ea ſolum* eligendi, quae ratio a propenſione libera, vt practice neceſſaria, hoc eſt, vt bona agnoſcit. Sin vero ratio per ſe ſola voluntatem haud idonee determinet, ſi voluntas praeterea conditionibus ſubiectiuis (certis quibusdam ſtimulis atque elateribus), non ſemper obiecti-

vis consentaneis, obnoxia sit; vno verbo, si voluntas haud *per se* rationi prorsus congrua atque conueniens sit (id quod vere locum habet in hominibus); tum actiones, quae obiectiue vt necessariae agnoscuntur, subiectiue fortuitae videntur, et determinatio eiusmodi voluntatis, legibus obiectiuis consentanea, *coactio* erit, id est, adfectio legum obiectiuarum ad voluntatem haud omnino bonam repraesentatur vt determinatio voluntatis naturae rationisque per causas quidem rationis, quibus vero ea voluntas per naturam suam haud necessario obsequatur.

Repraesentatio principii cuiusdam obiectiui, quatenus voluntatem cogit, praeceptum (rationis) vocatur, praeceptique formula *imperatiuus*.

Omnes imperatiui enunciantur per *debere*, eoque adfectionem indicant legis obiectiuae rationalis ad voluntatem, per naturam subiectiuam eo nondum necessario determinatam (coactionem). Bene, aiunt, fore, vt aliquid agatur, vel omittatur, verum id voluntati aiunt, qui haud propterea aliquid facit, quod ei bene ac recte fieri ostenditur. Sed practice *bonum* est, quidquid voluntatem determinat per repraesentationes rationis, proinde non ex causis subiectiuis, sed obiectiuis, id est, ex rationibus, quae ad quamque naturam valent rationemque, qua talem. Distinguitur illud a *iucundo*, vtpote eo, cuius cum voluntate contagio sit, solum interuentu sensationis de causis mere subiectiuis, quae solum ad huius illiusue sensum valent, non vero vt principium rationis, quod ad vniuersos valeat. *)

*) Dependentia facultatis appetendi a sensationibus appellatur propensio, eaque proinde semper arguit *indigentiam* quamdam. Dependentia voluntatis fortuito determinabilis sed a principiis rationis vocatur *inuitamentum* (interesse). Hoc igitur solum in voluntate aliunde pendente locum habet, quae haud sponte rationi semper consentanea sit; in voluntate diuina nullum poterit cogitatione inuitamentum informari. Verum et voluntas humana potest *inuitamentum* ex aliqua re capere, neque tamen propterea *ob inuitamen-*

Quocirca voluntas perfecte bona itidem legibus (boni) obiectiuis subesset, neque eo tamen vt ad actiones legi consentaneas *coacta* posset repraesentari, quoniam sponte et gratuito, secundum naturam suam subiectiuam, solum per repraesentationem boni potest determinari. Quare ad *diuinam* omninoque ad *sanctam* voluntatem nulli valent imperatiui; hic *debere* alieno loco erit, quoniam *velle* iam sponte cum lege necessario conspirat. Idcirco imperatiui tantummodo in formulis versantur, quibus adfectio legum obiectiuarum volendi generatim ad imperfectionem voluntatis subiectivam huius illiusue naturae rationisque, exempli gratia voluntatis humanae, enuncietur.

Itaque omnes *imperatiui* aut *hypothetice* imperant, aut *categorice*. Illis necessitas practica cuiusdam, quae possit fieri, actionis vt adiumentum ad quidpiam aliud, quod appetimus, adipiscendum (vel certe fieri possit, vt appetamus) proponitur. Imperatiuus categoricus vero is erit, qui actionem vt per se ipsam, sine respectu alius cuiuspiam finis, vt obiectiue necessariam ostendat.

Quoniam quaeque lex practica actionem, quae fieri possit, vt bonam et idcirco, subiecto per rationem practice determinabili, vt necessariam proponit, propterea omnes imperatiui in formulis cernuntur determinandae actionis, ex principio voluntatis in vllo quodam genere bonae necessariae. Si igitur actio solum *ad*

sum agere. Illo notatur inuitamentum *practicum* ex actione; hoc alterum inuitamentum *pathologicum* ex re actioni proposita. Illud modo declarat, voluntatem solum pendere ex principiis rationis per se ipsius; hoc indicat eam ex principiis rationis pendere in gratiam propensionis, cum scilicet ratio tantummodo regulam practicam ostendat, quomodo indigentiae propensionis medeatur In priori causa inuitamentum capio ex actione, in altera ex re actioni proposita (quatenus ea mihi iucunda sit) Prima sectione vidimus, in actione propter officium non inuitamentum debere, quod ex re capitur, sed solum quod ex actione ipsa eiusque principio in ratione (ex lege) spectari.

aliud quid, vt adiumentum, bona foret, imperatiuus erit *hypotheticus;* ſin ea vero vt *per ſe bona* oſtendatur, proinde vt neceſſaria in voluntate per ſe rationi conſentanea, vt principium illius, tum is *categoricus* videtur.

Imperatiuus docet igitur, quaenam actionum, quae poſſint per me fieri, bona foret, regulamque practicam in relatione proponit ad voluntatem, quae propterea haud continuo actionem ſuſcipit, quod ea bona ſit, partim quoniam ſubiectum, quid bonum ſit, haud ſemper nouit, partim, quia, ſi id ſciret, regulae illius nihilominus poſſent cum principiis rationis practicae obiectiuis pugnare.

Ergo imperatiuus hypotheticus tantummodo enunciat, actionem ad finem quemdam, *qui poſſit eſſe*, vel *vere ſit*, bonam videri. Si ad finem poſſibilem eſſe bonam actionem declarat, *problematicus* erit; ſin vero ad verum finem, principium *adſertorie* practicum videtur. Imperatiuus categoricus, actionem nullo habito cuiuspiam finis reſpectu, id eſt, etiam absque vllo quodam fine alio per ſe vt obiectiue neceſſariam declarans, vt principium *apodicticum* (practicum) valet.

Ea, quae ſolum per vires vllius cuiuspiam naturae rationisque fieri poſſunt, poterunt quoque vt fines vlli cuipiam voluntati poſſibiles cogitari, ideoque principiorum actionis, quatenus haec vt neceſſaria cogitetur, ad vllum quempiam finem poſſibilem per eam attingendum, reapſe infinita vis eſt. Omni ſcientiae vlla quaedam pars practica eſt, ex quaeſtionibus conſtans, vllum quempiam finem nobis eſſe poſſe, atque ex imperatiuis, quomodo is queat attingi. Qui quidem proinde generatim poſſunt imperatiui *dexteritatis* vocari. Num finis rationi conſentaneus ſit bonusque, hic minime quaeritur, ſed modo quid faciundum ſit, vt eum conſequare. Praecepta medici, ad aegrotum certo ſanandum, et venefici, ad eum indubitato interficiendum, quatenus, vt finis penitus attingatur, quodque

conducit, pari sunt pretio aestimanda. Quoniam, qui fines nobis in vita possent obtingere, matura iuuentute constituti haud nouimus, parentes liberos curant *permulta variaque* edoceri, prouidentque *dexteritati* in adiumentis ad cuiusque generis fines *arbitrarios* vtendis, quorum an quidam vllus reapse aliquando alumno fere queat proponi, nesciunt, interim tamen *fieri poterit* vt olim proponatur, eaque tanta est sedulitas, vt plerumque non curent, iudicium eorum de pretio rerum, quas forte sibi pro finibus statuturi sint, formare atque corrigere.

Nihilominus tamen quidam finis est, quem in vniversis queas naturis ratione praeditis supponere (quatenus imperatiui ad eos, nempe vt naturas dependentes, quadrant,) proinde consilium, quod iis haud fere solum *possit* propositum est, sed quod indubitato sumi queat cunctis per certam quamdam naturae necessitatem propositum est, idque est consilium scopusque *felicitatis*. Imperatiuus hypotheticus, necessitatem actionis practicam, vt instrumenti felicitatis promouendae ostendens, *adsertorius* est. Qui quidem non vt ad incertum quemdam finem, solumque possibilem necessarius debet proponi, verum ad scopum, qui certo possit atque ex anticipatione in quouis homine supponi, quoniam ad eius naturam pertinet. Atqui dexteritatem ad propriam summam salutem adiumentorum eligendorum possis *prudentiam* *) sensu augustissimo appellare. Ergo imperatiuus, adiumenta spectans ad propriam felicitatem optanda, id est, prudentia, semper erit *hypothetica*; actio haud simpliciter absoluteque, sed tantum

*) Vocabulum prudentiae sensu duplici sumitur, primo ea poterit prudentia mundana, deinde prudentia priuata vocari. Illa in dexteritate hominis versatur, vim exserendi in alios, quibus ad scopos nostros vtamur. Haec continetur perspicientia, omnes fines hosce ad propriam vtilitatem stabilem coniungendi. Ad quam quidem posteriorem ipsum prioris pretium reuocatur, quique in genere priori sapit, non vero in hoc altero posteriori, is melius dici posset callidus et versutus, omnino tamen vero imprudens.

vt inſtrumentum alius cuiuspiam finis conſequendi praecipitur.

Tandem et imperatiuus eſt, qui, nullo alio per certam actionem conſequendo fine vt conditione conſtituto, hanc actionem proxime imperat. Hic imperatiuus eſt *categoricus*. Qui quidem haud attingit actionis materiam, et quid ex ea debeat conſequi, ſed formam principiumque, vnde ea ipſa ſequitur, internaque illius bonitas in mente cernitur animique conſilio, qualecumque inde euentum promanet. Hic poterit imperatiuus honeſti ſeu *moralitatis* vocari.

Volitio ex hisce triplicis formae principiis etiam per *inaequalitatem* voluntatis cogendae perſpicue diſtinguitur. Quae vero vt itidem diſcernatur, ordini ſuo maxime conuenienter principia, opinor, poſſent denominari, ſi ea diceres aut *regulas* dexteritatis eſſe, aut *conſilia* prudentiae, aut *praecepta* (leges) honeſti ſiue moralitatis. Sola enim *lex* conceptum *neceſſitatis abſolutae*, et quidem obiectiuae ideoque vniuerſe valentis in ſe continet, praeceptaque in legibus verſantur, quibus obtemperandum eſt, hoc eſt, vel inuito contraque propenſionem praeſtandum obſequium videtur. In *conſultatione* neceſſitas quidem ineſt, quae vero ſolum cum adiunctione ſubiectiue rata poterit, hicne vel ille homo hoc illudue ad felicitatem ſuam adnumeret, valere; contra imperatiuus categoricus nulla poteſt conditione limitari, atque vt abſolute quamquam practice neceſſarius proprie praeceptum vocari. Illos imperatiuos primos etiam *technicos* (ad artem pertinentes) poſſes, alteros *pragmaticos* *) (ſalutem attingentes) tertios deni-

*) Propria vocabuli *pragmatici* ſignificatio, ſic accuratiſſime poterit, opinor, determinari. Namque *ſanctiones* vocantur pragmaticae, quae proprie haud ex iure ciuitatum, tamquam leges neceſſariae, verum ex cura prouidentiaque ſalutis publicae promanant. *Hiſtoria* pragmatice conſcripta dicitur, cum ea *prudentes* reddit, hoc eſt, homines docet, quomodo vtilitatem melius poſſint, certe pariter, atque maiores, curare.

que *morales* (actionem liberam generatim, hoc eſt, mores ſpectantes) appellare.

Iam oritur quaeſtio: quomodo iſti omnes imperatiui eſſe poſſint? Cuius quidem quaeſtionis haud ea vis eſt, quomodo actionis, ab imperatiuo praeceptae, exſecutio, ſed quomodo ſolum voluntatis coactio, ab imperatiuo in problemate enunciata, poſſit cogitari. Quomodo queat eſſe imperatiuus dexteritatis, nullius indiget expoſitionis peculiaris. Qui vult finem, vult etiam (quatenus rationis eſt cum actionibus eius efficax contagio), quod penes ſe eſt, adiumentum ad illum finem neceſſarium. Hoc pronunciatum, quantum attinet ad volitionem, analyticum eſt; namque in appetenda re quadam obiecta, vt effecto meo, iamiam cauſalitas mea, vt cauſae agentis, id eſt, ſubſidiorum vſus cogitatur, et imperatiuus conceptum actionum neceſſariarum ad hunc finem iam ex conceptu huiusce finis expetiti euoluit (vt ipſa ad finem quemdam propoſitum adiumenta determinentur, ſane opus erit enunciationibus ſyntheticis, quae vero non rationem attingunt actus voluntatis efficiendi, ſed rei obiectae pariendae). Vt linea ex certo quodam principio in duas partes aequales diuidatur, ex partibus illius extremis binos eſſe arcus obliquos faciendos, ſane quidem matheſis ſolum per enunciata ſynthetica docet; verum, ſi, per eam ſolum actionem poſſe effectum fieri, ſciam, me, ſi effectum plenum cupiam, etiam actionem velle ad id neceſſariam, analytice enunciatur; namque quodpiam, quod quodam modo fieri per me queat, effectum, et memet, ratione illius, illo modo agentem repraeſentare, prorſus idem videtur.

Imperatiui prudentiae, ſi modo facile poſſit conceptus felicitatis determinatus adferri, iidem forent qui imperatiui dexteritatis, cum iisque prorſus conuenirent, atque pariter analytici forent. Perinde enim hic atque illic praeceptum foret, vt, qui finem vult, velit etiam (rationi conuenienter neceſſario) vna adiumenta

ad illum, quae funt in eius poteftate. Verum peffime accidit, vt felicitatis conceptus adeo incertus fit atque indeterminatus, vt quisque homo, quamuis cupiat ea potiri, tamen numquam certo poffit determinateque et fecum ipfo congruenter dicere, quid proprie expetat ac velit. In caufa eft, quod omnia, quae ad conceptum felicitatis pertinent, elementa omnino empirica funt, hoc eft, ab experientia depromenda, quod nihilominus ad ideam felicitatis totum abfolutum quiddam, maximum falutis, cum in praefenti, tum in vnoquoque futuro ftatu poftulatur. Iam fieri non poteft, naturam perfpicaciffimam fimulque maxime viribus pollentem, fed tamen finitam certam poffe determinatamque cogitationem informare de eo, quod hic proprie velit. Si cupiat diuitias, quantam curam inuidiamque, infidias quantas fibi eo poterit contrahere? Si multam cognitionem expetat et perfpicientiam; fortaffe eo reddi poffit perfpicacior, vt mala, quae nunc illi occultantur, neque ei euitari poffunt, ei fefe tum terribiliora oftendant, aut cupiditatum indigentia poteft augeri. Si diuturnam vitam exoptet, ecquis illi cauebit, ne diuturna miferia futura fit? Si faltem rectam valetudinem velit; quam faepius corporis infirmitas a flagitiis detinuit, in quae per valetudinem rectiffimam incidiffes? Ad fummam, non poterit, ex vllo quopiam decreto prorfus certo definiri, quo vere felix reddi poffit, eo quod ad hoc opus omnifcientia foret. Igitur non poteris ex certis determinatisque principiis agere, vt felix euadas, fed folum ex confultationibus empiricis, veluti diaetae, parfimoniae, humanitatis, reticentiae et fic porro, quibus experientia docet falutem omnino maxime promoueri. Ex quo fequitur, imperatiuos prudentiae, vt vere dicam, nullo modo praecipere, id eft, actiones obiectiue vt practice *neceffarias* proponere poffe, eos potius pro confiliis, quam pro praeceptis habendos effe; ad quaeftionemque quae, quibus actionibus felicitas naturae rationisque promoueatur, vt certo vniuerfeque definiatur, defiderat, nullo prorfus modo refponderi poffe, proinde refpectu illius nul-

lum esse imperatiuum posse, qui id, quo felix reddare, agendum praecipiat, propterea quod felicitas non in ideali rationis versatur, sed phantasiae, solummodo in rationibus empiricis positum, quibus frustra exspectatur actionem quampiam determinari, quo ad vniuersitatem queas seriei consequentium reapse infinitae pertinere. Interim, si sumseris adiumenta felicitatis certo posse indicari, hic imperatiuus prudentiae enunciatio analytice practica foret; is enim ab imperatiuo dexteritatis eo solum distinguitur, quod in hoc finis tantummodo possibilis, sed in illo datus videtur: verum cum ambo duntaxat instrumenta praecipiat ad id, quod sumseris tibi pro fine propositum esse; fit, vt imperatiuus, qui appetitionem adiumentorum, ei, qui finem vult, praecipit, in vtraque causa analyticus videatur. Quamobrem possibilitas eiusmodi imperatiui nulla quoque difficultate laborat.

Contra, quomodo imperatiuus possit *moralitatis* fieri, sine dubio vna quaestio est indigens solutionis, si quidem is neutiquam hypotheticus est, ideoque necessitas obiectiue repraesentata nulla potest sumtione niti, quemadmodum in imperatiuis hypotheticis. Modo ne obliuiscare, *nullo* vmquam *exemplo* posse, proinde empirice decerni, an vspiam omnino eiusmodo imperatiuus inueniatur, sed potius metuendum esse, vniuersos, qui categorici esse videntur, tamen occulte sint hypothetici. Veluti cum dicitur: noli quidquam promittere per fallaciam dolumque; cumque sumitur, necessitatem huiusce amissionis haud fere in consilio vllius cuiuspiam alius mali versari, ita vt forte sic intelligatur: noli quidquam per mendacium promittere, ne, si forte aperiatur, fidem perdas; sed actionem eius generis per se ipsam debere vt malam considerari, proinde imperatiuum prohibiti categoricum esse; tamen per nullum quodpiam exemplum potest certo euinci, voluntatem in eo sine alio stimulo quodam atque elatere, solum per legem, determinari, quamuis ita videatur; etenim sane poterit fieri, occulte metum pudoris, fortasse quoque

metum obſcurum aliorum diſcriminum vim ſuam exſerant in voluntate. Ecquis enim non eſſe cauſam quampiam per experientiam poterit doceri, quippe quae nihil quidquam amplius declarat, quam non a nobis eam percipi? Tum autem imperatiuus, qui dicitur, moralis, qui vt talis categoricus videtur et abſolutus, reapſe praeceptio modo pragmatica foret, qua ad vtilitatem noſtram attenti reddamur, ſolumque vt eam cuſtodiamus, edoceamur.

Quamobrem poſſibilitatem imperatiui *categorici* prorſus ex anticipatione debebimus inueſtigare, cum nobis hic haud commodum ſuppetat exſiſtentiae illius per experientiam datae atque propoſitae, ideoque poſſibilitas non ad ſtabiliendum neceſſaria foret, ſed ſolum ad explicandum. Interim tantum poterit in anteceſſum perſpici: imperatiuum categoricum ſolum vt *legem* practicam ſonare, cunctos reliquos vero *principia* voluntatis quidem poſſe, non vero *leges* vocari; quoniam, quod ſolum ad finem conſequendum arbitrarium neceſſario agendum eſt, per ſe poteſt vt fortuitum ſpectari, a praeceptoque nos ſemper eſſe liberi poterimus, ſi finem mittamus, contra ea vero praeceptum voluntati nullum liberum arbitrium concedit reſpectu contrarii, proinde eam ſolum in ſe neceſſitatem continet, quam ad legem poſtulamus.

Deinde in hoc imperatiuo categorico ſeu lege moralitatis permagna quoque cauſa eſt difficultatis (poſſibilitatem illius perſpiciendi). Eſt is enunciatio ſynthetico-practica *) ex anticipatione, cumque poſſibili-

*) Coniungo cum voluntate, nulla poſita conditione ex vlla quapiam propenſione, actionem, ex anticipatione, proinde neceſſario (quamquam tantummodo obiectiue, id eſt, ſub idea rationalis, poteſtatem in vniuerſas cauſas mouentes ſubiectiuas exercentis). Hoc igitur pronunciatum practicum eſt, volitionem actionis haud ex alia volitione iam praeviſa analytice deriuans, (neque enim voluntate tam perfecta vtimur), ſed cum conceptu voluntatis vt naturae rationisque proxime, vt aliquid, quod in ea non continetur, coniungens.

tas eiusmodi enunciationum perſpiciendarum in cognitione theoretica tanta difficultate laboret, facile poterit intelligi, eam in cognitione practica haud minori difficultate laboraturam fore.

Atque in hoc problemate primo experiemur, anne fortaſſe ſolus conceptus imperatiui categorici etiam formulam eius ſuppeditet, quae enunciatum contineat, quod ſolum poſſit imperatiuus categoricus videri; quomodo enim eiusmodi praeceptum abſolutum eſſe queat, etiamſi, quomodo illud ſonet, ſciamus, peculiari opera atque ardua opus eſt oſtendere, quam in ſectionem vltimam differemus.

Cum imperatiuum *hypotheticum* generatim cogito, haud praeſcio, quid eo contineatur, donec mihi data conditio ſit. Verum ſi imperatiuum *categoricum* cogito, ſcio continuo, quid eo contineatur. Namque cum praeter legem ſolum neceſſitatem regulae *) imperatiuus in ſe cohibeat, cum illa lege conueniendi, lex autem nullam conditionem contineat, ad quam eſſet adſtricta, nihil relinquitur, praeter vniuerſalitatem legis generatim, cui norma agendi eſſe congrua debet, quaeque conuenientia ſolum imperatiuum proponit vt proprie neceſſarium.

Ergo imperatiuus categoricus tantummodo vnus eſt, et quidem hic: *ſolum age ad eam normam, quam ſimul velle poſſis legem vniuerſalem fieri.*

Quodſi igitur ex hoc vno principio omnes officii imperatiui, tamquam ex principio ſuo, poterunt deriuari, tamen certe poterimus, quid eo cogitemus, quae-

*) *Regula* eſt principium agendi ſubiectiuum, debetque a *principio obiectiuo*, nimirum lege practica, diſtingui. Illa continet normam practicam, quam ratio conditionibus ſubiecti conuenienter (ſaepius ignorantiae vel etiam propenſionibus eius) determinat, ideoque decretum eſt, ex quo ſubiectum *agit*; lex autem cernitur in principio obiectiuo, quod ad quamque valet naturam rationemque, decretumque, ex quo ea *agere debet*, hoc eſt, imperatiuus.

que huic conceptui vis insit, indicare, quamquam in medio relinquimus, anne id, quod officium dicitur, omnino in conceptu inani versetur.

Quoniam vniuersalitate legis, ad quam actiones eueniunt, id efficitur, quod proprie *natura* sensu maxime vniuersali (quoad formam), id est, exsistentia rerum vocatur, quatenus secundum leges vniuersales determinata est, imperatiuus officii vniuersalis etiam sic posset enunciari: *sic age, ac si norma actionum tuarum per voluntatem tuam fieri deberet lex naturae vniuersalis.*

Nunc officia quaedam recensebimus, ad consuetam illorum descriptionem, in officia erga nosmet ipsos, et erga alios homines, in officia perfecta et imperfecta. *)

1) Quispiam, qui per catenam malorum, vsque ad desperationem accumulatam, taedium vitae percipit, vsu adhuc rationis pollet, quatenus se ipsum possit percontari, anne forte contra officium erga se ipsum sit, vitam finire. Nunc experitur: num norma actionis suae possit fere lex naturae fieri vniuersalis? Verum norma eius est: mihimet ipse per philautiam principium constituo, vitam, si longius propagata plus malorum minetur, quam iucunditatem ostendat, finiendi. Iam solum quaeritur: an principium philautiae istud fieri lex naturae queat vniuersalis? Tum vero mox intelligitur, naturam, cuius lex ea foret, vt per eamdem sensationem, quae data nobis est, ad vitam propagandam, ipsa vita euertatur, secum ipsam pugnaturam, nec pro-

*) Hoc loco probe notetur me descriptionem officiorum futurae *morum metaphysicae* prorsus seruare, eam proinde hic solum vt arbitrariam (ad exempla ordinanda) proponi. Caeterum hoc loco officium perfectum illud dico, quod nullam in gratiam propensionis exceptionem concedit, ac tum quidem non solum externa *officia* erunt, verum etiam interna *perfecta*, id quod consuetudini verborum in scholis receptae contrarium videtur, cuius vero causam hic dicendam non esse existimo, propterea quod ad finem mihi propositum nihil interest, an ea res mihi concedatur, nec ne.

inde vt naturam conſtituram fore, proinde fieri non poſſe, vt iſta norma qua vniuerſalis lex naturae locum habeat, ideoque illi cuiuscumque officii principio ſupremo prorſus repugnaré.

2) Alius quis neceſſitate ſe coactum ſentit ad pecuniam mutuo ſumendam. Ac probe quidem nouit, ſeſe non ſoluturum fore, verum tamen quoque intelligit, a nemine ſe quidquam accepturum mutuo fore, niſi ſancte adſeueret, ſtato die ſeſe redditurum. Ac lubet quidem iſtud promittere: tanta tamen adhuc ei religio eſt, vt ſe percontetur: nonne illicitum eſt officioque contrarium, vt tali modo me ex miſeriis eripiam? Fac, eum nihilominus illud decernere, tum regula actionis illius ſic ſe haberet: ſi inopia me credam pecuniae laborare, pecuniam mutuo ſumam, et pollicebor, eam me ſolùturum, quamuis norim, id numquam eſſe futurum. Atqui iſtud philautiae principium, propriaeve vtilitatis, cum vniuerſa ſalute mea futura fortaſſe poterit facile conciliari, verum in praeſentia ſolum quaeritur: rectene fit? Ergo deſiderium philautiae in legem commuto vniuerſalem, itaque quaeſtionem inſtituo: qualis tum ſtatus rerum futurus ſit, ſi norma mea lex fieret vniuerſalis? Tum ſtatim intelligo, eam numquam vt legem naturae vniuerſalem valere poſſe et ſecum ipſam conuenire, ſed neceſſario debere ſibimet ipſi repugnare. Namque vniuerſalitate legis, quae quemque praeciperet, prout ſeſe verſari in miſeriis putaret, polliceri poſſe, quae in mentem venirent, quae tamen ſibi propoſuiſſet haud ſeruanda, efficeretur, vt nec promiſſum, neque, quem in eo tibi propoſueris, ipſe finis eſſe poſſit, propterea quod nemo, quae ſibi promiſſa forent, crederet, ſed omnes eiusmodi ſermones, vt vana atque inania verba, rideret.

3) Tertius quidam indolem ſe dotemque naturae deprehendit, qua aliquantum culta ac perpolita omnino poſſit homo vtilis euadere. Sed videt ſeſe in ſorte conſtitutum commoda, optatque potius voluptatem ſequi,

quam in amplificandis augendisque et emendandis naturae muneribus operam confumere. Sed adhuc fefe percontatur: an praeter concentum normae fuae dotum negligendarum ingenii cum inclinatione fua ad delectationem, ea etiam confpiratione teneatur cum eo, quod officium appellatur. Tum vero intelligit, naturam quidem ad legem eiusmodi vniuerfalem poffe confiftere, quamuis homo (quemadmodum incolae maris auftralis) dotem ingenii rubigine confumi fineret, vitamque folum ad otium, oblectationem, procreandi libidinem, vno verbo ad fruitionem impendere curaret; verum fieri non poterit, vt *velit* eam legem fieri legem naturae vniuerfalem debere, aut qua talem animis noftris vt naturae impetum nobis infitam effe. Nam vt natura ratione vtens neceffario vult, omnes in fefe facultates euolui, quoniam ad varios, qui effe poffint, fines vtiles funt, eique datae.

Iam vero quispiam *quartus*, cui res ex voluntate cedunt, dum alios videt cum fummis calamitatibus (quibus etiam mederi queat) conflictantes: quid ad me attinet? quisque tam felix fit, quam deo placuerit, quamque reddere fe ipfum queat, equidem ei nihil quidquam detraham, quin ne inuidebo quidem; verum ad falutem eius, auxiliumue in rebus aduerfis non lubet quidpiam adferre! Iam fane quidem, fi eiusmodi animi conftitutio lex fieret naturae vniuerfalis, humanum genus commode poffet confiftere, et melius fine dubio, quam fi quisque de communione et beneuolentia loquatur, operamque det, occafione data fic agere, contra vero quoque, vbi copiam habere poterit, decipiat, ius hominum vendat, aut alias illi detrahat. Verum, etfi fieri poffit, vt ex norma illa lex vniuerfalis naturae queat confiftere; tamen fieri non poterit, vt *velis*, eiusmodo principium vt legem naturae vbiuis gentium valere. Namque, quae illud decerneret, voluntas fecum ipfa pugnaret, propterea quod fubinde poffunt caufae exfiftere, vbi is aliorum amore indigeat et communione; atque vbi eiusmodi lege naturae ex fua ipfius vo-

luntate exorta, se ipsum omni spe auxilii, quod in votis habet, priuaret.

Atque haec nonnulla sunt ex multis illis officiis veris, certe ab nobis pro iis reputatis, quorum descriptio ex vno illo adlato principio perspicue in oculos incurrit. *Posse velle* debebis, normam actionis tuae legem fieri vniuersalem; is canon est diiudicationis moralis illius in genere. Nonnullarum actionum ea ratio atque natura est, vt norma earum sine pugna vt lex vniuersalis naturae ne *cogitari* quidem possit; tantum abest, vt praeterea *velle* queamus, eam fieri talem *debere*. In aliis vero illa quidem possibilitas interna neutiquam inest, sed tamen fieri non poterit, vt *velis*, earum normam ad vniuersalitatem legis naturae euehi, quoniam eiusmodi voluntas secum ipsa pugnaret. Facile intelligitur: priorem illam seuero angustioriue (irremissibili) officio repugnare, alteram laxiori (merito); atque ita vniuersa officia, quoad genus obligationis (non rem actioni subiectam), his exemplis ex hoc vno principio pendentia plene proposita videri.

Quodsi igitur in vnoquoque officio migrando ad nosmet ipsos animum aduertamus, inueniemus, nos reuera nolle, vt norma nostra lex euadat vniuersalis, id enim fieri non potest, sed contrarium illius potius debeat vniuerse lex manere; sed sumimus tantum hanc nobis licentiam, vt in gratiam nostri, aut (etiam hac modo vice) in gratiam nostrae propensionis ab ea *discedamus*. Ergo, cunctis ab vna eademque parte, nimirum ab ratione, perpensis, repugnantiam in propria voluntate nostra deprehenderemus, nempe certum quoddam principium obiectiue vt legem vniuersalem necessariam esse, et tamen subiectiue haud vniuerse valere debere, sed exceptiones concedere. Tum autem actionem nostram primo ex parte voluntatis rationi prorsus consentaneae congruentisque, tum vero deinde quoque eamdem actionem ex parte voluntatis per propensionem pulsae adfectaeque consideremus, reapse hic nulla repugnantia apparet, sed sane quidam renisus

propenſionis contra rationis praeceptionem (antagoniſmus) quo vniuerſalitas principii in ſolam generalitatem mutatur, qua principium practicum rationis normaque debet in via dimidia conuenire. Quod quamquam ex noſtra ipſorum ſententia aequo animo inſtituta non poteſt defendi, tamen probat, nos valorem imperatiui categorici vere agnoſcere, nobisque (ſalua illius aeſtimatione) nonnullas ſolum, et ex opinione noſtra leues nobisque extortas exceptiones permittimus.

Igitur illud ſaltem vicimus, officium, ſi conceptus ſit, qui vim poteſtatemque et veram legislationem actionum noſtrarum continere debeat, ſolum in imperatiuis categoricis, nullo modo vt in hypotheticis enunciari poſſe; itemque, quod ſane multum videtur, complexum imperatiui categorici, qui omnis officii principium (ſi omnino eiusmodi foret) complecti deberet, perſpicue et ad quemque vſum determinatum propoſuimus. Nondum vero eo progreſſi ſumus, vt ex anticipatione doceamus, eiusmodi imperatiuo locum eſſe, legemque practicam exſtare, neceſſario et ſine vllis ſtimulis atque elateribus per ſe praecipientem, et obſeruationem huiusce legis in officio videri.

In quo quidem perſequendo cautio maximi momenti erit, ne realitatem iſtius principii ex *peculiari humanae naturae proprietate* cupiamus deriuare. Namque officium in neceſſitate actionis practice abſoluta cerni debet; proinde ea ad vniuerſas naturas ratione praeditas (quas vmquam poterit imperatiuus attingere) valeat, neceſſe eſt, et *ſolum propterea* omni quoque voluntati humanae lex videatur. Quidquid e contrario ex ſingulari indole humanae naturae, quidquid ex certis quibusdem tactibus et inclinatione, atque adeo, ſi fieri poſſit, ex peculiari directione, rationi humanae propria, neque neceſſario ad voluntatem cuiusque naturae rationisque valente, deriuatur, nobis quidem norma poterit, non vero lex eſſe, et principium ſubiectiuum, ex quo ad agendi licentiam natura proni ferimur, non ve-

ro obiectiuum, ex quo ad agendum *iussi* essemus, etsi omnis nostra propensio inclinatioque et ordo naturae refragarentur, adeo, vt eo magis excellentiam dignitatemque praecepti internam in officio euincat, quo minus causae subiectiuae faueant, quo magis aduersentur, neque vlla ex parte coactione per legem debilitata, neque valori eius imminuto.

Hic philosophiam conspicimus in statione sane ancipiti collocatum, quae firma debet et stabilis esse, quamuis neque in coelo, neque in terra, vspiam appensa, aut quapiam re suffulta videatur. Hic puritatem suam ostendere debet, vt conseruatrix legum suarum, non vt praeco earum, quas sensus quidam insitus, aut nescio quae natura tutoria insusurrat, quae cunctae, quamuis iis melius nobis consulatur quam nullis, tamen numquam poterunt pro principiis esse, ab ratione dictatis, quarum necessario prorsus ex anticipatione fons, eoque simul dignitas imperatoria sit, necesse est: vt nihil a propensione hominis, sed cuncta a summa potestate legis, debitaque illius aestimatione exspectentur, aut homo contra ad se ipsum despiciendum intusque auersandum condemnetur.

Quidquid igitur empiricum est, illud vt additamentum ad principium moralitatis, non solum prorsus inutile est, verum etiam ipsi morum puritati maxime perniciosum, in quibus proprius supraque omne pretium excellens valor voluntatis absolute boni, in eo ipso consistit, vt principium actionis liberum sit ab omni contagione rationum fortuitarum, quas vmquam possit experientia suppeditare. Contra hanc negligentiam vel adeo humilitatem animi in indagando principio ex momentis legibusque empiricis, haud nimium poterit iustoque saepius moneri, propterea quod ratio humana delassata lubenter in hac culcita capit quietem, in somnioque dulcium ostentationum (quibus tamen fit, vt nubem ea pro Iunone amplectatur,) moralitati nothum supponit, e membris stirpis prorsus diuersae consutum, cunctis, quae in eo videre cupias, similem, ne soli mo-

do virtuti, ex ſententia illius, qui formam eius veram conſpexit. *)

Igitur quaeſtio haec eſt: eſtne lex *cuique naturae rationique* neceſſaria, vt actiones ſuas ſemper ex iis normis diiudicent, quas ipſi velle poſſint ad leges debere vniuerſales valere. Quam, ſi talis ſit, neceſſe erit (prorſus ex anticipatione) iam cum conceptu voluntatis naturae rationisque generatim coniunctam videri. Vt ea vero coniunctio aperiatur, gradus erit, quantopere contra renitare, vlterius faciendus, ſcilicet ad metaphyſicam, quamquam in ditionem illius, a philoſophia contemplatiua diuerſam, nimirum in metaphyſicam morum. In philoſophia practica, vbi nihil attinet, rationes ſumere eorum, quae *fiunt*, ſed leges eorum, quae *fieri debeat*, quamuis numquam fiant, hoc eſt, leges obiectiue practicas, non eſt, rationes inueſtigemus, cur placeat aliquid vel diſpliceat, quemadmodum voluptas ex ſola ſenſatione ſaporis, atque an his ab vniverſali rationis approbatione quidpiam differat; in quonam tactus voluptatis dolorisque poſitus ſit, et quomodo exinde cupiditates propenſionesque, ex his vero, adiuuante ratione, normae oriantur: haec enim cuncta pſychologiam empiricam attingunt, qua altera pars phyſices efficeretur, ſi ea vt *philoſophia naturae* conſideretur, quatenus in *legibus empiricis* conſtituta videatur. Sed hoc loco de lege obiectiue practica ſermo eſt, proinde de adfectione voluntatis ad ſe ipſam, quatenus ea ſeſe per rationem determinat, vbi tum cuncta rationem empiricam ſpectant, ſponte ceſſant; quoniam, ſi *per ſe ſolam ratio* actionem determinat (cuius quidem poſſibi-

*) Forum virtutis verum oculis cernere, nihil eſt aliud, quam honeſtatem ſiue moralitatem ab omni admixtione ſenſitiua omnique ſpurio fucatoque mercedis ornatu, aut philautia, exutam, proponere. Quantopere tum ea cuncta, quae propenſionibus pulcra videntur, obſcuret obruatque, quisque poterit vel per minimum rationis ad omnem abſtractionem haud prorſus deprauatae, facile intelligere.

litatem iam in eo ipso sumus vt anquiramus), necessario id ea ex anticipatione debet instituere.

Voluntatem vt facultatem cogitamus, *repraesentationi certarum legum conuenienter*, se ipsam ad agendum determinandi. Atque eiusmodi quidem facultas non potest nisi in naturis ratione praeditis deprehendi. Atqui id, quod voluntati est pro ratione se ipsam determinandi, *finis* erit, qui, si per solam rationem detur, ad quamque aequaliter naturam rationemque valeat, necesse est. Contrá quod solam rationem continet possibilitatis actionis, cuius effectio in fine versatur, *adiumentum* vocatur. Ratio appetendi subiectiua *elater* dicitur, sed obiectiua volendi ratio vocatur *momentum*: vnde discrimen promanat inter fines subiectiuos, qui e stimulis pendent et elateribus, et obiectiuos, qui in momentis positi sunt, quae ad quamque valent naturam rationemque. Principia practica sunt *formalia*, cum a cunctis ea sese continent finibus subiectiuis; ea vero *materialia* sunt, quando hos, proinde certos quosdam elateres, constituunt. Fines, quos natura ratioque vt *effecta* actionum suarum suo sibi arbitratu proponit (fines materiales), cuncti sunt relatiui; si quidem sola illorum ad singularem quamdam adfectam appetendi facultatem subiecti relatione pretium iis impertitur, quod proinde haud ad quamque volitionem valentia principia et necessaria, id est, leges practicas, poterit suppeditare. Idcirco hi omnes fines relatiui solum in ratione versantur imperatiuorum hypotheticorum.

Vt autem quidpiam sit, *cuius exsistentiae per se ipsi* valor absolutus videatur, quod, vt *finis per se ipse* esse ratio queat legum determinatarum, tum in eo, et quidem duntaxat in eo solo, ratio inesset imperatiui, qui esse possit, categorici, hoc est, legis practicae.

Iam hominem aio omninoque quamque naturam rationemque vt finem per se ipsum *exstare, non vero solum vt instrumentum* ad vsum huius illiusue voluntatis arbitrarium, verum in vniuersis, quae cum ad se ip-

ſum, tum ad alias naturas ratione praeditas ſpectant, actionibus, ſemper *ſimul*, neceſſe eſt, *vt finis* conſideretur. Vniuerſarum rerum propenſionibus ſubiectarum ſolum pretium hypotheticum eſt: niſi enim propenſiones forent, earumque neceſſitates in iis conſtitutae, res iis obnoxia omni pretio foret deſtituta. Ipſae autem propenſiones, vt indigentiae neceſſitatisque fontes tantum abeſt, vt pretio abſoluto gaudeant ad ſeſe expetendas, vt potius, iis vacare, commune cuiusque naturae rationisque deſiderium eſſe oportere videatur. Ergo pretium cunctarum per actionem noſtram *pariendarum* obiectarum rerum ſemper hypotheticum videtur. Naturarum vero, quarum exſiſtentia haud pendet ex voluntate noſtra, ſed ab natura, tamen eſt, ſi ratione deſtitutae ſunt, pretium relatiuum erit, vt inſtrumentorum, ideoque *res* appellantur, contra naturae ratione praeditae dicuntur *perſonae*, quoniam iam per naturam ſuam vt fines per ſe ipſi, hoc eſt, vt quidpiam, quod haud ſolum vt adiumentum licet vſurpari, diſtinguuntur, proinde eatenus omne arbitrium coercetur (atque aeſtimationi obnoxiae videntur). Qui proinde haud fines ſunt ſolum ſubiectiui, quorum exſiſtentiae, vt effecti actionis noſtrae, *reſpectu noſtri* pretium eſt, ſed *fines obiectiui*, id eſt, res, quarum exſiſtentia per ſe ipſa finis eſt, et is quidem, cuius loco nullus finis poſſit alius reponi, cui *ſolum* vt adiumenta queant ſeruire, ſi quidem alius nihil omnino quidquam, cuius *pretium abſolutum* foret, vſpiam inueniretur; ſi vero omne pretium hypotheticum, proinde fortuitum, eſſet, nullum omnino principium ſupremum practicum inueniretur rationi.

Quapropter ſi ſummum quoddam principium practicum, reſpectuque voluntatis humanae, imperatiuus categoricus eſſe debeat, tale ſit, neceſſe eſt, quod ex repraeſentatione eius, quod neceſſario cuique pro fine eſt, quoniam *finis per ſe ipſe* eſt, principium voluntatis obiectiuum efficiat, proinde legi poſſit eſſe practicae vniuerſali. Ac ratio quidem huiusce principii haec eſt: ***natura ratioque exſtat vt finis per ſe ipſa.*** **Sic neceſſario**

cogitat homo exſiſtentiam ſuam; atque catenus principium eſt *ſubiectiuum* actionum humanarum. Verum ſic quoque cogitat alia quaeque natura ratioque exſiſtentiam ſuam, propter eamdem rationem, quae ad me quoque valet; *) ergo illud ſimul eſt principium *obiectiuum*, ex quo, tamquam ex ratione practica ſuprema omnes, neceſſe eſt, voluntatis leges poſſe deriuari. Igitur imperatiuus practicus hic erit: *ſic age, vt humanam naturam, cum in te, tum in quouis alio, ſemper ſimul vt finem, numquam ſolum vt merum adiumentum vſurpes.* Quod an effici poſſit, nunc, age, videbimus.

Vt in ſuperioribus exemplis maneamus,

Primo, ex conceptu officii neceſſarii erga ſe ipſum, is, qui de morte oppetenda cogitat, ſe percontetur, an actio ſua cum idea humanae naturae, *vt finis per ſe ipſius propoſiti* ſimul poſſit conſiſtere. Si, vt ſtatum effugiat moleſtum, ſibi ipſe vim adfert, perſona vtitur, ſolum vt *adiumento*, ad conſeruandum ſtatum tolerabilem vsque ad vitae exitum. Sed homo nulla res eſt, nec proinde quidpiam, quo vti queas *ſolum* vt inſtrumento, ſed in omnibus actionibus ſuis ſemper eſt vt finis per ſe ipſe ſpectandus. Ergo de homine in perſona mea nihil quidquam potero ſtatuere, ad eum vel mutilandum, vel corrumpendum, vel interficiendum. (Propiorem huiusce decreti determinationem ad omnem euitandam calumniam erroremque, veluti amputationis membrorum ad memet conſeruandum, periculi cui, ad tuendam vitam meam, eamdem expono, et id genus aliorum, hoc loco cogor praeterire; ea enim propriam attingit philoſophiam moralem).

Deinde, quod officium attinet neceſſarium debitumue erga alios, is, cui animus eſt aliis falſo quidpiam promittere, continuo perſpiciet, ſe vti homine alio velle ſolum vt *inſtrumento*, qui haud ſimul finem in ſe contineat. Etenim is, quo per eiusmodi promiſſum

*) Hoc pronunciatum hoc loco vt poſtulatum propono. Sectione vltima rationes illius reperies.

cupio abuti, fieri non poteſt, vt in rationem meam ſecum agendi conſpiret atque ita ipſe finem huius actionis contineat. Apertius haec pugna principio aliorum hominum in oculos incurrit, cum exempla petitae libertatis aliorum poſſeſſionisque adferuntur. Tum enim manifeſtum eſt, eum, qui iura violat hominum, perſona vti aliorum velle vt inſtrumento, nec conſiderare, eas, vt naturas ratione praeditas ſemper ſimul vt fines, hoc eſt, ſolum qua tales, qui eiusdem actionis finem in ſe quoque debeant poſſe continere, aeſtimandus videri. *)

Tertio, reſpectu officii fortuiti (meriti) erga ſe ipſum haud ſufficit, actionem naturae humanae in noſtra perſona, vt fine per ſe ipſa, haud repugnare, debet ea quoque *cum ea conſpirare*. Atqui in natura humana dotes ſunt perfectionis maioris, quae ad finem naturae pertinent reſpectu humanae naturae in noſtro ſubiecto; quos ſi neglexeris, fere quidem cum *conſeruanda* natura humana, vt fine per ſe ipſa, conſiſteret, non vero cum fine hocce *promouendo*.

Quarto, officii quidem bene de aliis promerentis finis naturae, qui in cunctis hominibus ineſt, propria ipſorum felicitas videtur. Iam natura quidem humana conſtare poſſet, ne nemo homo quidpiam ad alterius felicitatem conferret, praeterea ei nihil de induſtria detraheret; verum tamen haec duntaxat negatiua conſpiratio eſt, non vero poſitiua ad *naturam humanam*, *vt finem per ſe ipſam*, etiamſi quisque, quantum in ſe ſit, alio-

*) Noli putare, hoc loco tritum iſtud ſermone prouerbium: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, eſſe pro norma principioue poſſe. Illud enim, quamquam varie circumſcriptum, ex eo deriuatum videtur; nulla poteſt lex vniverſalis eſſe, ſi quidem haud rationem continet erga ſe ipſum officiorum, neque humanitatis erga alios, (namque multis placeret, alios haud debere ſibi benefacere, ſi modo ſeſe aliis beneficum praebere haud teneretur), neque tandem debiti erga ſe inuicem officii; ex hac enim ratione maleficus poſſet contra iudices poenam dictantes argumentari.

rum fines promouere ſtuderet. Namque fines ſubiecti, quod per ſe ipſum finis eſt, ſi illa repraeſentatio vim in me *omnem* debeat exſerere, etiam, quantum fieri poſſit, neceſſe eſt, *mei* fines videantur.

Quod quidem principium naturae humanae, et cuiusque naturae rationisque generatim, *vt finis per ſe ipſius* (quae conditio eſt ſuprema limitans libertatem actionum in vnoquoque homine), non eſt ex experientia depromtum, primo, propter vniuerſalitatem ſuam, cum ad quamque naturam rationemque vniuerſe pertineat, de qua vt quidpiam ſtatuatur, nulla eſt experientia idonea; deinde, quoniam in eo natura humana non vt finis hominum (ſubiectiue) id eſt, qua res obiecta, quam tibi ſponte reapſe proponas, verum vt finis obiectiuus, qui, qualescumque nobis fines propoſiti ſint, vt lex conditionem ſupremam circumſcribentem omnium finium ſubiectiuorum debeat efficere, proinde ex ratione pura oriri. Nimirum ratio legislationis practicae vniuerſae *obiectiue in regula* ineſt formaque vniuerſalitatis, qua fit vt lex (certe lex naturae fere) eſſe queat (ex principio primo), *ſubiectiue* autem in *fine;* ſubiectum autem finium omnium quaeque eſt natura ratioque, vt finis per ſe ipſa (ex principio ſecundo): ex quo nunc tertium voluntatis principium practicum ſequitur, vt conditio ſuprema conſpirationis illius cum ratione practica vniverſali, idea *voluntatis cuiusque naturae rationisque vt voluntatis vniuerſe legislatoriae.*

Vniuerſae normae, quae non poſſunt cum propria legislatione voluntatis vniuerſali conſiſtere, ex hocce principio reiiciuntur. Igitur voluntas legi haud ſolum ſubiicitur, ſed ita ſubiicitur, vt etiam *vt ipſa legislatoria*, et ob eam ipſam cauſam demum legi (cuius ſe ipſe poteſt auctorem conſiderare) ſubiecta, ſpectanda videatur.

Imperatiui, prout eos ſupra propoſuimus, nempe conuenientiae actionum vniuerſe *ordinis naturae* ſimilis, ſiue *principatus finis* vniuerſalis naturarum ratione pol-

lentium per se ipsarum, ab auctoritate sua imperante omnem secluserunt admixtionem vllius cuiuspiam inuitamenti, vt elateris ac stimuli, eo ipso, quod vt categorici proponerentur; verum tantummodo vt categorici *sumebantur*, quoniam eiusmodi sumendi erant, si conceptum velles officii definire. Esse autem enunciationes practicas, categorice praecipientes per se haud posset probari, vti omnino in hac sectione etiam hoc loco nondum fieri potest; aliud illud tamen fieri potuisset, nimirum abdicationem ab omni inuitamento in volitione propter officium, vt nota specialis discernendi imperatiui categorici et hypothetici, in imperatiuo ipso, per vllam quampiam determinationem, quam contineret, simul indicari, idque fit in hac praesenti formula tertia principii, nimirum ideae voluntatis cuiusque naturae rationisque, vt *voluntatis vniuerse legislatoriae.*

Quodsi enim talem cogitemus, quamuis, *quae legibus subsit*, voluntas praeterea interuentu inuitamenti cuiuspiam ad hanc legem adstricta sit, tamen fieri non poterit, vt voluntas, quae ipsa sit suprema legislatoria, eatenus ex vllo quopiam inuitamento pendeat; eiusmodi enim voluntas pendens ipsa adhuc alius cuiuspiam legis indigeret, quae inuitamentum philautiae eius ad conditionem adstringeret valoris ad legem vniuersalem.

Ergo principium cuiusque voluntatis humanae, vt *voluntatis per cunctas normas suas vniuerse legislatoriae,**) cuius caeteroquin si salua res esset, in eo quidem *facile aptum* foret ad imperatiuum categoricum, quod, propter ipsam legislationis vniuersalis ideam, in *nullo inuitamento constitutum* est, ideoque in cunctis, qui esse possint, imperatiuis solum potest *absolutum* videri; vel potius, dum sententiam conuertimus, si imperatiuus categoricus sit (id est lex cuique voluntati lata naturae ra-

*) Hoc loco exemplis huiusce principii illustrandi adferendis possum supersedere; quae enim primo imperatiuum categoricum eiusque formulam illustrant, vniuersa possunt hoc loco ad eundem finem adhiberi.

tionisque) solum is praecipere potest, vt omnia faciamus ex norma voluntatis, vt talis, quae simul sibi ipsa vt legislatoria esse proposita posset; tum enim solum principium practicum imperatiuusque, cui obsequitur, absolutum est, propterea quod nullum ei prorsus subesse fundamento potest inuitamentum.

* Nunc mirum non est, si ad omnes, qui huc vsque innotuere, conatus ad inueniendum moralitatis principium respexerimus, eos cunctos esse in cassum factos. Videbant hominem per officium ad leges adstrictum, nec vero animum subibat, eum *solum propriae suae* et tamen *vniuersali legislationi* esse subiectum, solumque obstrictum teneri ad propriae voluntati suae, ex fine naturae vero vniuerse legislatoriae conuenienter agendum. Siquidem, si eam duntaxat vt legem (quae illa cumque sit) subiectam cogitares; haec tamen vllum quodpiam, necesse erat, inuitamentum, vt adlectionem coactionemue contineret, quoniam ea haud vt lex ex *sua* voluntate oriebatur, sed haec legaliter ab *vlla re alia quapiam* cogebatur, vt certo modo quodam ageret. Hac autem consecutione prorsus necessaria factum est, vt omnis opera in suprema officii ratione anquirenda prorsus frustra collocaretur. Numquam enim inde promanauit officium, sed necessitas actionis ex certo quodam inuitamento; siue proprium istud inuitamentum esset, siue alienum. Tum autem necesse erat, vt imperatiuus semper hypotheticus exsisteret, neque idoneus esset ad praeceptum morale. Hoc igitur decretum vocabo principium *autonomiae* voluntatis, contrarium cuique alii, quod propterea ad *heteronomiam* adnumero.

Conceptu cuiusque naturae rationisque, quae sese per normas voluntatis suae vt vniuerse legislatoriam considerare debet, quo ex hac statione se suasque actiones diiudicet, ad fecundissimum, qui inde pendet conceptum ducimur, nimirum ad conceptum *regni finium*.

Sed *regnum* dico coniunctionem systematicam diversarum naturarum rationalium per leges communes. Quoniam autem legibus fines determinantur quoad valorem vniuersalem, sequitur, vt, si a discrimine naturarum rationalium personali, itemque ab omni materia finium illarum priuatorum, nosmet continemus, totum quidpiam finium omnium (cum naturarum rationarum vt finium per se, tum vero etiam finium, quos sibi quaeque ipsa proponere possit, propriorum), in contextu systematico, hoc est, regnum finium possit cogitari, quod fieri poterit ex superioribus principiis.

Namque naturae ratione praeditae cunctae subsunt legi, vt earum quaeque se ipsa omnesque alias *numquam solum vt adiumentum* sed semper *simul vt finem per se ipsum* debeat tractare. Ex quo vero coniunctio colligatioque exsistit systematica naturarum rationalium per leges obiectiuas communes, hoc est, regnum, quod, cum his legibus haec ipsa harum naturarum ad se inuicem, vt fines et adiumenta, adfectio proposita sit, regnum poterit finium (sane quidem solum ideale) appellari.

Sed natura ratioque vt *membrum* siue articulus ad regnum finium pertinet, si in eo quidem vniuerse legislatoria sit, verum quoque his ipsis legibus subsit. Pertinet ad illud *vt caput*, si vt legislatoria nulli alius cuiuspiam voluntati subiecta sit.

Natura rationalis semper se vt legislatoriam in regno finium per libertatem voluntatis possibili consideret, oportebit, siue vt membrum, siue vt caput. Locum capitis ea vero non solum per normam voluntatis suae, sed tum duntaxat poterit obtinere, cum natura prorsus libera absolutaque, sine indigentia ac circumscriptione facultatis suae voluntati aequabilis et adaequatae videtur.

Ergo honestum siue moralitas cernitur in relatione omnium actionum ad legislationem, qua sola fieri pot-

erit, vt regnum finium exstet. Haec legislatio vero in quaque natura rationeque, necesse est, deprehendatur, ex eiusque possit voluntate exsistere, cuius proinde principium erit: vt nullam actionem suscipiat ad vllam normam aliam, quam sic, vt cum ea possit consistere, legem eam vniuersalem esse, ideoque solum ita, *vt voluntas per normam suam se ipsam simul queat vt vniuerse legislatoriam spectare.* Quodsi igitur normae cum hoc principio naturarum rationalium obiectiuo, vt vniuerse legislatoriae, haud per naturam suam iam necessario consentiant, tum necessitas actionis ex vllo principio coactio practica, hoc est, *officium* appellatur. Officium haud capiti in regno finium competit, verum sane quidem cuique membro, et quidem vniuersis aequabiliter.

Necessitas practica ex hisce principiis agendi, id est, officium, posita minime est in tactibus, stimulisque et propensionibus, sed solum naturarum rationalium ad se inuicem adfectione, in qua voluntas naturae rationisque semper simul vt *legislatoria* spectanda est, quoniam alias se non posset *vt finem per se ipsum* cogitare. Quocirca quamque voluntatis normam vt vniuerse legislatoriam ratio ad quamque aliam voluntatem refert, etiamque ad quamque actionem erga se ipsam, idque non propter vllum aliud momentum quodpiam aut commodum futurum, sed ex idea *dignitatis* naturae rationisque, nulli legi parentis, nisi quam simul sibi ipsa praeceperit.

In regno finium cuncta aut *pretium* habent, aut *dignitatem.* Quod pretium habet, in huius loco etiam aliud quid collocari potest; contra quod supra omne pretium elatum eminet, proinde non concedit, quod eius loco ponatur, id dignitatem habet et excellentiam.

Quod propensiones necessitatesque humanas spectat vniuersales, illi *pretium nundinale* est; id, quod, etiam nulla posita necessitate atque indigentia, cum certo

quodam guſtu, id eſt, oblectatione in luſu ſolo phantaſiae temerario conuenit, ei *pretium* eſt *dilectionis*; id vero, quo conditio efficitur, qua fit ſola, vt quidpiam queat finis per ſe ipſum eſſe, non modo pretium relatiuum habet, verum etiam internum, id eſt, *dignitatem* atque excellentiam.

Atqui moralitas conditio eſt, qua ſola fit, vt natura ratioque finis eſſe per ſe ipſa queat; quoniam ſolum per eam fieri poteſt, vt membrum legislatorium in regno finium videatur. Ergo moralitas naturaque humana, quatenus illius capax eſt, illud eſt, quod ſolum dignitate gaudet. Dexteritatis et diligentiae in laborando pretium nundinale videtur: ingenii, phantaſiae vegetae et facetiarum pretium eſt dilectionis: contra fidei in promiſſis, beneuolentiae ex decretis (non ex impetu animi quodam atque ardore), pretium ineſt internum. Neque natura quidpiam neque ars continet, quod ſi deſideretur moralitas, in eius poſſit locum reponi; ſi quidem pretium illarum non in effectis, quae inde exſiſtunt, cernitur, in commodis et vtilitatibus, quam pariunt, verum in animi conſiliis, hoc eſt, in normis voluntatis, quae promtae ſunt hoc modo ad ſeſe in actionibus oſtendendum, etiamſi euentus minus iis faueret. Iam eae actiones nullius indigent commendationis ab vlla quapiam diſpoſitione ſubiectiua guſtuve, eas cum proxima gratia quadam atque approbatione ſpectandi, nulliusque inclinationis proximae tactusue illarum: voluntatem illae, quae eas profert, vt rem proponunt obſeruantiae proximae ſubiectam, quo non niſi ratione opus eſt, vt voluntati *iniungantur*, non vero *blanditiis* ab ea *eliciantur*, quod quidem praeterea in officiis pugnaret. Ergo haec obſeruantia pretium oſtendit eiusmodi animorum conſilii vt dignitatem, ſupraque omne illud pretium immenſum quantum extollit, quocum nullo modo poteſt conferri et comparari, niſi illius quaſi ſanctitas violetur.

Et quid tandem eſt illud, quod animi conſilio honeſto moraliterque bono virtutiue copiam poteſtatem-

que facit tanta petendi? Nihil illud minus eſt *communione* illa *legislationis vniuerſalis*, in quam vocat naturam rationemque, eoque illam reddit idoneam ad membrum in regno finium poſſibili, qun iam per naturam ſuam deſtinata erat, vt finis per ſe ipſa, ob eamque ipſam cauſam vt legislatoria in finium regno, reſpectu omnium legum naturae vt libera, illis duntaxat ſolis obediens, quas ipſa praecipit atque ex quibus norma illius ad legislationem vniuerſalem (cui ea ſeſe ſimul ipſa ſubmittit) poſſunt pertinere. Neque enim vllum cuiuspiam pretium eſt, quam quod lex illi ſtatuit. Ipſa vero legislatio, pretium omne ſtatuens atque determinans ob eam ipſam cauſam, oportebit, dignitate polleat, hoc eſt, pretio abſoluto atque incomparabili, cui vocabulum *obſeruantia* ſolum eſt verbum pretii ſtatuendi, quod natura rationalis poſſit de ea decernere. Ergo *autonomia* fundamentum dignitatis eſt et humanae cuiusque naturae rationisque.

Verum tria illa, quae attulimus genera, principium honeſti moralitatisque proponendi proprie totidem formulae ſunt legis vnius atque eiusdem, quarum vna alteras duas ſponte in ſeſe coniungit. Interim tamen quaedam in iis diuerſitas ineſt, qui quidem ſubiectiue potius quam obiectiue practica eſt, nimirum, ad ideam rationis viſioni (ad certam quamdam ſimilitudinem) eoque tactui propius admonendam. Namque vniverſis normis eſt

1) *Forma* quaedam, quae cernitur in vniuerſalitate, tumque formula imperatiui moralis ſic enunciatur: normas ita eſſe eligendas, quaſi vt leges naturae debeant vniuerſales valere;

2) *Norma* quaedam, nempe finis, et tum formula pronunciat: naturam rationemque, vt finem naturae ſuae, proinde vt finem per ſe ipſum, cuique normae ſeruire oportere pro conditione circumſcribente omnium duntaxat relatiuorum finium et arbitrariorum;

3) *Plena* normarum omnium per illam formulam *determinatio*, ſcilicet: omnes normas ex legislatione pro-

pria ad finium, quod esse possit, regnum, vt regnum naturae *) debere conspirare. Hic fit progressus, velut per categorias *vnitatis* formae voluntatis (vniuersalitatis illius) *multitudinis* materiae (rerum obiectarum, hoc est, finium,) atque *vniuersitatis* siue totalitatis systematis earum. Verum satius erit, si in *diiudicatione* morali semper ad viam methodumque seueram agatur, formulaque vniuersalis imperatiui categorici constituatur: *age secundum normam, quae sese ipsam possit legem vniuersalem statuere.* Quodsi autem cupias legi morali simul *aditum* parare; permultum proderit, vnam eamdemque actionem per omnes tres illos conceptus perduci, eoque illos, quantum fieri possit, propius ad visionem admoueri.

Ac nunc quidem ibi possumus finire, vbi initio fumus profecti, nempe in conceptu voluntatis absolute bonae. Ea voluntas *absolute bona* est, quae haud mala esse, cuius proinde norma, si ea lex vniuersalis statuatur, numquam potest secum ipsa pugnare. Hoc igitur principium illius quoque lex suprema est: semper age secundum eam normam, cuius vniuersalitatem vt legis simul velle possis; quae vna quidem conditio est, quacum voluntas numquam possit sibi ipsa repugnare, isque imperatiuus categoricus est. Quoniam valor voluntatis, vt legis vniuersalis, quae fieri queunt, actionum similitudinem habet cum coniunctione vniuersali exsistentiae rerum ex legibus vniuersalibus, fit, vt imperatiuus categoricus sic etiam possit enunciari: *age secundum normas, quae sibimet ipsae possint simul vt leges naturae vniuersales propositae videri.* Sic igitur se habet formula voluntatis absolute bonae.

*) Teleologia naturam contemplatur vt regnum finium, sed doctrinam moralem regnum finium possibile vt regnum naturae. Illic regnum finium in idea versatur theoretica, ad explicanda ea, quae adsunt atque apparent. Hic illud in idea practica cernitur, vt ea, quae non adsunt, sed agendo per nos mittendoque vere exsistere possunt, et quidem eidem ipsi ideae conuenienter, efficiantur.

Natura rationalis a caeteris eo distinguitur atque iis eminet, quod sibi ipsa finem proponit. Qui quidem materia foret cuiusque voluntatis bonae. Cum vero in idea voluntatis ab omni conditione circumscribente (huius illiusue finis attingendi) vacuae absoluteque bonae ab omni nos omnino fine *consequendo* oporteat contineamus, (quippe quo quaeque voluntas duntaxat relatiue bona redderetur), finis hoc loco haud vt consequendus, verum vt finis *in sese consistens*, proinde solum negatiue, debebit cogitari, quem quippe numquam agi contra debet, qui proinde numquam solum vt adiumentum, verum semper simul vt finis in quauis volitione aestimandus videtur. Hic igitur nihil aliud esse potest, quam omnium, quae possunt esse, finium subiectum ipsum, quoniam hoc simul subiectum est voluntatis, quae esse queat, absolute bonae; quippe quae nulli rei obiectae alii potest sine pugna postponi. Principium: respectu cuiusque naturae rationisque (tui ipsius et aliorum) ita age, vt in norma tua simul vt finis per se ipsum illud valeat, proprie proinde idem erit cum decreto: age secundum normam, quae suum cuiusque naturae rationisque proprium valorem vniuersalem in se continet. Etenim, quod normam meam in adiumentis ad quemque finem adhibendis ad conditionem debeam vniuersalitatis, vt legis cuiuspiam cuique subiecto competentis adstringere, idem erit, ac subiectum finium, id est, ipsa natura ratioque, numquam solum vt adiumentum, verum vt suprema adstringens conditio in vniuersis adiumentis vtendis, id est, semper simul vt finis, cunctis actionum normis constituendum videtur.

Iam inde consequitur necessario, vt quaeque natura ratioque, vt finis per se ipsa, debeat se respectu legum omnium, quibus ea cumque possit subiecta esse, simul vt vniuerse legislatoriam posse spectare, propterea quod hac eadem normarum illius cum legislatione vniuersali conuenientia vt finis per se ipsa distinguitur, itemque vt dignitas eius et excellentia (praerogatiua)

prae cunctis solis naturae entibus ita ferat, vt normas suas semper ex statione sui ipsius, sed simul quoque cuiusque alius naturae rationisque vt legislatoriae (quae idcirco quoque persona vocatur) debeat spectare. Atqui tali modo mundus intelligibilis vt regnum finium esse potest, et quidem per propriam omnium personarum vt membrorum legislationem. Ergo cuique naturae rationique ita agendum erit, ac si ea per normas suas semper membrum legislatorium foret in regno finium vniuersali. Principium formale harum normarum hoc est: sic age, quasi norma tua simul esse legi (omnium naturarum rationalium) debeat vniuersali. Igitur regnum finium solum esse potest ad similitudinem regni naturae, sed illud modo ex normis, hoc est, regulis sibimet ipsi iniunctis, hoc tantummodo ex legibus causarum efficientium extrinsecus coactarum. Nihilominus toti quoque naturae, quamquam vt machina spectatur, tamen, quatenus naturas spectat ratione praeditas, vt eius fines, propterea nomen tribuitur regni naturae. Eiusmodi igitur regnum normis, quarum regulam omni naturae rationique imperatiuus categoricus praecipit, vere efficeretur, *si vniuerse eae retinerentur*. Verum, quamquam natura ratioque non poterit sperare, etiamsi ea ipsa huic normae obsequeretur, propterea alia quaeuis illi obtemperaturam fore, itemque regnum naturae illiusque ordinem conuenientem, secum, vt cum membro idoneo, ad regnum finium per se ipsum possibile conspiraturum, hoc est, exspectandae felicitati fauturum fore; tamen manet lex illa: age secundum normas membri vniuerse legislatorii ad regnum solum possibile finium, in vi sua plena, quoniam categorice ea praecipit. Atque in eo quidem mirabile illud inest: solam dignitatem humanae naturae, vt naturae rationalis, sine vllo quodam fine alio eo consequendo aut emolumento, proinde aestimationem solius ideae, tamen praeceptioni voluntatis esse irremissibili debere, in ipsaque hac independentia normae ab omnibus stimulis eiusmodi et elateribus excellentiam illius praestantiamque versari, dignitatemque cu-

iusque subiecti ratione praediti, locum membri in finium regno legislatorii capiendi; alias enim duntaxat vt legi indigentiae suae physico subiectum deberet proponi. Etiamsi regnum cum naturae tum finium vt sub capite quodam coniunctum cogitaretur, eoque regnum finium haud amplius sola idea maneret, sed veram realitatem acciperet, eo quidem illi accessio fortis stimuli atque elateris, numquam vero incrementum pretii illius interni prodesset; namque nihilominus hic vnus legislator absolutus semper sic oporteret ostendi, vti pretium naturarum rationalium solum ex actionibus earum ab vtilitatis studio alienis, duntaxat ex illa idea iis ipsis praeceptis. Essentia rerum externis earum adfectionibus nihil quidquam mutatur, et quibus solis pretium hominis absolutum efficitur, ex iis a quouis, quisquis sit, vel ab ipso ente summo erit diiudicandus. Igitur *moralitas* cernitur in adfectione actionum ad autonomiam voluntatis, id est, ad possibilem legislationem vniuersalem per normas illius. Ea, quae cum autonomia voluntatis consistere potest, actio *licita* est; quae haud cum ea conuenit, *illicita*. Voluntas, cuius normae necessario cum normis autonomiae concinunt, est voluntas *sancta*, absolute bona. Voluntatis haud absolute bonae a principio autonomiae dependentia (coactio moralis) est *obligatio*. Haec igitur non potest ad naturam sanctam referri. Necessitas actionis obiectiua ex obligatione appellatur *officium*.

Ex iis, quae modo disputauimus, facile poterit enodari, qui fiat, vt, etsi in conceptu officii subiectionem sub legibus cogitemus; eo tamen nobis simul quamdam excellentiam *dignitatemque* in ea persona, quae cuncta seruat officia, repraesentemus. Namque nulla quidem in ea prorsus excellentia inest, quatenus *subiecta* legi morali videtur, sed sane quidem, quatenus respectu eiusdem simul *legislatoria* est et solum propterea illi subordinata. Supra etiam docuimus, neque in metu, nec propensione, sed in sola legis obseruantia, eum elaterem versari, qui actioni possit pretium mora-

le impertire. Propria voluntas noſtra, quatenus, ſolum cum adiunctione legislationis vniuerſalis per normas ſuas poſſibilis, actura foret, haec voluntas in idea nobis poſſibilis, res proprie eſt aeſtimationi ſubiecta, dignitasque humanae naturae in hac ipſa conſiſtit facultate, vniuerſe leges ferendi, quamquam cum hac adiunctione vt eidem ipſi legislationi ſimul ſubiecta videatur.

AUTONOMIA VOLUNTATIS
VT
SUMMUM MORALITATIS PRINCIPIUM.

Autonomia voluntatis cernitur in ea voluntatis qualitate, qua illa ſibi ipſa (ab omni rerum volitioni ſubiectarum qualitate libera) lex eſt. Igitur ſic ſe habet autonomiae principium: vt ne aliter eligamus, quam ſic, vt normae eius eligendi in eadem volitione ſimul vt lex vniuerſalis comprehendantur. Eam regulam practicam imperatiuum eſſe, id eſt, voluntatem cuiusque naturae rationisque ad eam vt conditionem neceſſario eſſe adſtrictam, per ſolam conceptuum in eo obuiorum analyſin non poteſt probari, quoniam enunciatum ſyntheticum eſt; vltra rerum obiectarum cognitionem ad criticam ſubiecti, hoc eſt, rationis purae practicae progrediendum foret, ſi quidem neceſſe eſt, enunciationem hanc ſyntheticam, apodictice praecipientem prorſus poſſe ex anticipatione cognoſci; ſed hoc negotium ſectionem praeſentem nihil attinet. Verum principium iſtud antinomiae ſolum eſſe principium philoſophiae moralis, facile poterit per ſolam conceptuum moralitatis ſyntheſin euinci. Eo enim deprehendimus, principium illius imperatiuum eſſe categoricum oportere, quem vero nihil plus minusue quam hanc ipſam autonomiam imperare.

HETERONOMIA VOLUNTATIS

VT

FONS PRINCIPIORUM MORALITATIS OMNIUM SPURIORUM.

Cum in vlla *re quapiam alia*, quam in normis ad propriam ſuam legislationem aptis atque idoneis, proinde cum, vltra ſe ipſam progrediens, in qualitate naturaue vllius cuiuspiam rei ſibi obnoxiae voluntas legem quaerit, qua ea debeat determinari, tum ſemper *heteronomia* orietur. Voluntas tum ſibi haud ipſa, ſed res obiecta per ſuam ad voluntatem adfectionem huic legem fert. Qua quidem adfectione, ſiue in propenſione poſita ſit, ſiue in repraeſentationibus rationis, ſit, vt ſolum eſſe queant imperatiui hypothetici: debeo propterea quidpiam agere, *quod aliud quid cupio.* Contra imperatiuus moralis, proinde categoricus enunciat: debeo ſic et ſic agere, etſi nihil aliud vellem. Velut ille dicit: non debeo mentiri, ſi bene velim audire; hic autem enunciat: debeo non mentiri, quamuis mihi eo ne minima quidem turpitudinis macula contrahatur. Qui quidem poſterior ab omni ſibi re obiecta temperet, neceſſe eſt, quo huius nulla ſit cum voluntate *contagio*, ne ratio practica (voluntas) ſolum adminiſtret inuitamentum alienum, ſed vt ea propriam modo auctoritatem imperantem, vt legislationem ſupremam, euincat. Sic, exempli gratia, alienam debeo felicitatem promouere, non quaſi eius exſiſtentiam curem (ſiue per propenſionem proximam, ſiue propter approbationem indirecte per rationem), ſed ſolum propterea, quod, qua ea excluditur, norma non in vna eademque volitione, vt lege vniuerſali poteſt comprehendi.

DIVISIO

OMNIUM, QUAE POSSUNT ESSE, MORALITATIS PRINCIPIORUM

EX

SUMTO CONCEPTU CONSTITUTIVO HETERONOMIAE.

Ratio humana hoc loco, vti vbiuis in vſu puro ſuo, dum critica careret, ante omnes, quae poſſunt eſſe, vias erroneas tentauit, quam ſibi obtingeret, vt vnam veram inueniret.

Omnia, quae hoc poſſunt reſpectu oſtendi, principia vel *empirica* ſunt, vel *rationalia*. Principia *empirica*, ex principio *felicitatis*, in tactu ſunt phyſico moraliue conſtituta: ſed principia rationalia, ex principio *perfectionis*, aut in conceptu rationali illius, vt effecti poſſibilis, aut in conceptu perfectionis in ſeſe conſiſtentis (in voluntate dei), vt cauſa voluntatis noſtrae determinandae, fundata videntur atque exſtructa.

Principia empirica omnino haud idonea ſunt ad leges morales in iis conſtituendas. Namque vniuerſalitas, qua ad omnem ſine diſcrimine naturam rationemque valere debent, neceſſitas practica abſoluta, perit, cum ratio illius a *peculiari humanae naturae conſtitutione*, temporibusue fortuitis, quibus ea poſita eſt, depromitur. Verum tamen principium *felicitatis propriae* omnium maxime reprobandum videtur, non ſolum propterea, quod illud falſum eſt, et experientia pugnat cum opinione, ac ſi bona ſortis conditio ſemper bonam actionem ſequatur, neque ſolum, quia illud omnino quidquam confert ad moralitatem conſtituendam, ſi quidem longe quiddam aliud hominem reddere felicem quam bonum, eumque prudentem efficere ad ſuamque vtilitatem acutum, quam honeſtum virtutisque ſtudioſum: ſed quoniam moralitati iſtud ſupponit elateres, eam

potius subducentes omnemque illius excellentiam euertentes, propterea quod momenta virtutis vitiique in vnam classem collocant, solumque melius docent calculum ducere, sed vtriusque discrimen speciale prorsus delent; contra tactus moralis, *) (quam tenuis atque exilis prouocatio ad eum sit, eo quod, qui non valent *cogitando*, in iis ipsis, quae solum ex legibus vniversalibus pendent, exitum inuenire *tangendo* credunt, quam parum etiam tactus, qui gradu per naturam infinite sunt inter se inuicem diuersi, esse pro mensura possint boni malique, praeterea vnus ex tactu suo pro aliis nequeat rite iudicare,) tamen moralitati dignitatique illius eo propior manet, quod tantum virtuti tribuit, vt approbationem illius obseruantiamque *proxime* illi acceptam ferat, neque illi quasi in os dicat, non eius pulcritudinem esse, sed solum vtilitatem, quae illi nosmet adiungat.

In caussis moralitatis rationalibus, conceptus *perfectionis* ontologicus (quantopere vanus atque inanis, quantum indeterminatus, proinde inutilis sit, ad maximam summam nobis congruam in immenso realitatis possibilis campo inueniendam, quantopere quoque ad realitatem, de qua hic sermo est, speciatim ab vlla alia discernendam, pronus feratur ad sese in gyrum vertendum, moralitatemque, quam explicare debet, clam ponendam, haud euitare queat,) tamen melior est conceptu theologico, ad eam a voluntate diuina omnium perfectissima deriuandam, non solum propterea, quod perfectionem eius tamen haud videmus et intuemur, sed eam a conceptibus nostris, quorum princeps est

*) Principium tactus moralis numero in principio felicitatis, quoniam quodque inuitamentum empiricum per iucunditatem, quam vllum quidpiam largitur, siue proxime nulla habita emolumentorum ratione, siue illorum respectu fiat, ad salutem quidpiam collaturum sese pollicetur. Principium item veniendi in communionem felicitatis aliorum, cum *Hutchesono*, ad eumque sensum moralem ab eo acceptum videtur accensendum.

conceptus moralitatis, ſolum deriuare poſſumus, verum quia, niſi hoc fecerimus, (vti vero, ſi fieret, ingens in definiendo orbis foret), conceptus voluntatis illius adhuc nobis reliquus ex proprietatibus ſtudii honoris atque imperii, cum metuendis cogitationibus potentiae aemulationisque coniunctis, neceſſe foret, vt fundamentum conſtitueret ſyſtematis morum moralitati directo contrarium.

Quodſi autem in conceptibus et ſenſus moralis et perfectionis in genere (qui ambo moralitati certe haud quidpiam derogant, quamuis minus apti ſint ad eam vt fundamenta ſuffulciendam), mihi eligendum foret, conceptum perfectionis optarem, quoniam, cum ſaltem quaeſtionem dirimendam a facultate ſenſitiua abducat ad forumque rationis purae mittat, quamuis nec hic quidpiam decernat, tamen ideam (voluntatis per ſe bonae) indeterminatam integram ſeruat propius determinandam.

Caeterum fuſiore omnium horum ſyſtematum confutatione poſſe me ſuperſedere puto. Ea tam facilis eſt, ab ipſisque illis, quibus per muneris rationem vnius earum theoriae formarum ſuſcipiendum patrocinium eſt (ſiquidem auditores iudicii dilationem ſolent auerſari), facile ſine dubio intelligetur, in eo operam ſuperuacaneam collocari. Sed magis noſtra intereſt, vt ſciamus, principiis iis omnino nihil quidquam praeter heteronomiam voluntatis ad primum moralitatis fundamentum proponi, eaque ob id ipſum neceſſario oportere ſcopo ſuo deſtitui.

Vbicumque locorum res voluntati ſubiecta fundamento conſtituenda eſt, quo huic regula praeſcribatur, quae eam determinet, ibi regula nihil eſt, niſi heteronomia; imperatiuus hypotheticus eſt, nimirum: *ſi* aut *quoniam* rem eam cupias, debes ſic et ita agere; proinde numquam is moraliter poterit, hoc eſt, categorice praecipere. Siue rem obiectam illam interuentu inclinationis, vti in principio propriae felicitatis volunta-

tem determinet, siue rationis ope res voluntati nostrae possibili obnoxias omnino spectantis, in principio perfectionis, numquam se ipsam *proxime* voluntas determinat actione cogitanda, sed stimulo atque elatere, ex praeuiso actionis effecto in voluntate; *debeo quidpiam facere, propterea quod aliud quid volo*, atque hic et alia lex in subiecto meo constituenda videtur, ex qua hoc alterum necessario cupiam, quae quidem lex rursus imperatiui indiget, normam eam circumscribentis. Quoniam enim, quem cogitatio obiectae rei per vires nostras possibilis per subiecti naturam debet in eius voluntate efficere, impulsus ad naturam subiecti pertinet, siue ad vim sensitiuam (inclinationem gustumque) siue intelligentiam rationemque, quae per peculiarem naturae constitutionem in re obiecta quadam oblectantur, proprie natura legem ferret, quae, qua talis, non solum per experientiam cognosci debet et probari, proinde per se fortuita est, et ad regulam practicam apodicticam, cuiusmodi debet moralis esse, eo inepta redditur, verum *semper tantummodo heteronomia* voluntatis est, neque enim sibi ipsi fert, sed impulsus alienus legem, per naturam subiecti ad eius receptiuitatem intentam.

Voluntas absolute bona, cuius principium esse imperatiuus categoricus debet, proinde, ratione obiectarum rerum omnium, indeterminate, solam *volitionis formam* vniuerse continebit, et quidem vt autonomiam, id est, vtilitas normae cuiusque voluntatis bonae, ad se ipsam constituendam legem vniuersalem, ipsa lex vna solaque est, quam sua cuiusque naturae rationisque voluntas sibimet ipsi iniungit, ita vt nullum quempiam elaterem nullumque inuitamentum illius fundamento substernat.

Quomodo eiusmodi enunciatio synthetica practica ex anticipatione fieri possit, et quare necessaria sit, quaestio est, cuius solutio haud amplius inter fines et terminos metaphysices morum sita videtur, neque veritatem illius hoc loco haud adseruimus, multo minus declaraui-

mus, quodpiam illius in noſtra poteſtate eſſe. Conceptu moralitatis vniuerſis conſueto enodando tantummodo oſtendimus: autonomiam voluntatis neceſſario illi adhaerere, vel potius fundamento eſſe. Qui igitur moralitatem quidpiam exiſtimat, non vero ideam commentitiam veritate deſtitutam, is principium illius, neceſſe eſt, ſimul concedat. Quamobrem haec ſectio itidem ac prima ſolum analytica fuit. Moralitatem vero non verſari in fetu phantaſiae inani, quod tum conſequitur, cum imperatiuus categoricus, cum eoque autonomia voluntatis, verus, vtque principium ex anticipatione abſolute neceſſarius eſt, *vſum* poſtulat *ſyntheticum poſſibilem rationis purae practicae*, quem vero nobis haud licet audere, haud ipſa *critice* huiusce facultatis rationalis praemiſſa, cuius ſectione vltima potiora lineamenta ad conſilium noſtrum idonea proponenda videntur.

SECTIO TERTIA.

TRANSITIO

AB

METAPHYSICA MORUM AD CRITICEN RATIONIS PURAE PRACTICAE.

CONCEPTUS LIBERTATIS

CLAVIS EST

EXPLICANDAE AUTONOMIAE VOLUNTATIS.

Voluntas eſt ſpecies cauſalitatis naturarum animalium, quatenus praeditae ſunt ratione, *libertasque* ea foret huiusce cauſalitatis proprietas, qua ab alienis cauſis ſeſe *determinantibus* libera efficere poteſt; quemadmodum *neceſſitas phyſica* in ea cernitur proprietate cauſalitatis omnium naturarum rationalium, qua ex

contagione poteſt cum cauſis alienis ad actionem determinari.

Propoſita libertatis definitio *negatiua* eſt, et proinde ad eſſentiam eius perſpiciendam inutilis: verum conceptus illius *poſitiuus* ex ea promanat eo vberior ac fecundior. Cum conceptus cauſalitatis in ſeſe conceptum cohibeat *legum*, ex quibus, per quidpiam, quod nosmet cauſam vocamus, aliud quid poni neceſſe ſit, ſcilicet conſecutionem; ſequitur, vt libertas, etſi ea haud quidem proprietas voluntatis ſit ex legibus phyſicis, tamen idcirco haud prorſus a legibus vacua ſit, ſed potius in cauſalitate verſetur ex legibus immutabilibus, ſed ſingularis generis; alias enim voluntas libera nulla foret. Neceſſitatem phyſicam vidimus heteronomiam eſſe cauſarum efficientium; quippe quodque effectum oſtendimus fieri poſſe ſolum ex lege, quae aliud quid ponit cauſam efficientem ad cauſalitatem determinare: quid tandem libertas voluntatis aliud eſſe poterit, quam autonomia, id eſt, ea voluntatis proprietas, qua ſibi ipſa lex videatur? Pronunciatum autem: voluntas in cunctis actionibus ſibi ipſa lex eſt, tantummodo principium deſignat, ſecundum aliam normam agendi, niſi quae ſibi ipſa poſſit vt lex vniuerſalis proponi. Quae quidem ipſa formula eſt imperatiui categorici principiique moralitatis: ergo voluntas libera eadem eſt cum voluntate legibus moralibus obnoxia.

Poſita igitur libertate voluntatis, moralitas vna cum principio ſuo inde conſequitur per ſolam analyſin conceptus. Interim tamen pronunciatum poſterius ſemper ſyntheticum eſt: voluntas abſolute bona ea eſt, cuius norma ſemper ſe ipſam, vt legem vniuerſalem ſpectatam, in ſe poteſt continere; ſi quidem ex analyſi conceptus voluntatis abſolute bonae illa non poterit normae proprietas inueniri. Sed eiusmodi enunciationes ſyntheticae eo ſolum fieri poſſunt, vt ambae notitiae per coniunctionem cum tertia, in qua vtraque deprehenditur, inuicem copulentur. Conceptus libertatis *poſitiuus* tertium illud ſuppeditat, quod non, vti in cau-

fis phyficis, natura mundi fenfibilis effe poteft (in cuius conceptu conceptus alicuius rei vt caufae, ad *aliud quid* vt effectum adfectae, conueniunt). Quid hoc tertium fit, quod nobis libertas oftendit, cuiusque ex anticipatione ideam habemus, ftatim non poterit hoc loco indicari, neque deductio conceptus libertatis ex ratione pura practica, vnaque poffibilitas imperatiui categorici doceri, fed adhuc indiget alicuius praeparationis.

LIBERTAS
VT PROPRIETAS VOLUNTATIS CUIUSQUE NATURAE RATIONISQUE SUPPONENDA EST.

Haud fufficit, nos voluntati noftrae, ob quam illam cumque caufam fiat, libertatem attribuere, nifi eamdem et vniuerfis reliquis naturis rationalibus tribuendi idoneam caufam nacti fuerimus. Etenim cum moralitas folum nobis, vt *naturis rationalibus* legi fit, fequitur, vt ea ad vniuerfas naturas valeat, inftructas ratione, cumque ea folum debeat ex proprietate libertatis deriuari, cogitur, vt libertas quoque vt proprietas voluntatis omnium naturarum rationalium probanda videatur, neque fatis fit, eam e certis quibusdam opinatis experientiis humanae naturae euinci (quamquam hoc quoque nullo modo fieri poteft, folumque poteft ex anticipatione probari,) fed vt ad actionem naturarum ratione voluntateque ornatarum neceffaria vniuerfe erit probanda. Iam equidem dico: quaeque natura, quae non poteft nifi *fub idea libertatis* agere, propter id ipfum, refpectu practico, re ipfa libera eft, hoc eft, ad eam valent cunctae leges, cum libertate arctiffime coniunctae, perinde, ac voluntas eius etiam per fe ipfam, et in philofophia theoretica probata, libera declaretur. *) Atqui adfirmo: nos cuique naturae rationique,

*) Hanc viam, libertatis folum, vt ab naturis rationalibus in actionibus folum *in idea* conftitutae, ad confilium noftrum

voluntate praeditae, neceſſario quoque libertatis ideam, qua ſola agat, dare mutuam debere. Namque in natura eiusmodi rationem ineſſe cogitamus practicam, hoc eſt, eam, quae gaudeat cauſalitate reſpectu rerum ſibi ſubiectarum. Iam fieri nullo modo poteſt, vt ratio cogitetur, quae vna cum conſcientia ſua propria reſpectu iudiciorum ſuorum aliunde directionem accipiat; tum enim ſubiectum non rationi ſuae determinationem facultatis iudicandi attribueret, ſed impulſioni. Se ipſam, neceſſe eſt, auctorem principiorum ſuorum conſideret, liberam ab aliena contagione, ergo vt ratio practica, ſiue vt voluntas naturae rationisque, ab ſe ipſa libera ſpectetur; hoc eſt, voluntas illius ſola poteſt ſub libertatis idea propria voluntas eſſe, ideoque reſpectu practice vniuerſis eſt naturis rationalibus attribuenda.

DE
INVITAMENTO
IDEIS MORALITATIS ADHAERENTE.

Conceptum moralitatis determinatum definitumque ad libertatis ideam poſtremo reuocauimus; hanc vero, vt aliquid quod in veritate rerum adpareat, ne in nobismet quidem ipſis in naturaque humana potuimus euincere; vidimus duntaxat, nos eam ſupponere oportere, ſi naturam nobis ratione praeditam conſcientiaque inſtructam cauſalitatis ſuae reſpectu actionum, id eſt, voluntate ornatam, cogitatione depingere velimus, atque ita videmus, nos ob eamdem ipſam cauſam cuique naturae ratione voluntateque inſtructae eam

idoneae ſumendae, propterea ingredior, ne fidem in me recipiam, libertatis etiam reſpectu theoretico euincendae. Etenim etiamſi hoc poſterius in medio relinquatur, tamen eaedem leges ad naturam valebunt, quae non poſſit niſi ſub idea propriae ipſius ſuae libertatis agere, quae naturam, quae reapſe libera foret, obligarent. Igitur hic nosmet onere poſſumus leuare, quo theoria premitur.

proprietatem, sese sub idea libertatis suae ad agendum determinandi, attribuere oportere.

Verum ex idea hac sumta promanare quoque vidimus conscientiam legis agendi: decreta actionum subiectiua, id est, normas, semper sic esse accipienda, vt etiam obiectiue, id est, vniuerse vt principia valere queant; proinde propriae nostrae legislationi vniuersali inseruire. Quid autem causae est, cur isti principio memet, et quidem vt naturam rationemque in vniuersum debeam, proinde eo quoque vniuersas alias ratione praeditas naturas subiicere? Concedam, nullo me ad id inuitamento *impelli*, ex quo quippe nullus imperatiuus categoricus exsisteret, verum tamen ex eo mihi inuitamentum quoddam *capiendum* erit, et, quomodo istud fiat, perspiciendum; namque hocce debere proprie est quoddam velle, quod cum adiunctione valet ad quamque naturam rationalem, si ratio in ea nulla re impediretur, quo minus practica foret; naturis, quae, vti nos, sensu, vt elateribus alius generis, adficiuntur, in quibus haud semper fit, quod ratio per se sola actura foret, necessitas actionis illa duntaxat debere vocatur, necessitasque subiectiua ab obiectiua distinguitur.

Itaque in idea libertatis proprie legem moralem, nimirum ipsum autonomiae voluntatis principium solum videmur supponere, nec realitatem eius necessitatemque obiectiuam per se non posse probare, ac tum quidem haud parum eo lucri fecisse, quod certe genuinum principium accuratius, atque alias factum fuerit, determinassemus, sed respectu valoris eius practicaeque necessitatis nosmet illi subiiciendi, ne digitum longius esse progressi; namque haud idonei quidquam ei possemus respondere, qui nos interrogaret, curnam vniuersalitas normae nostrae, vt legis, esse conditio debeat, ad quam actiones nostrae adstringantur, atque in qua pretium constituamus, quod huic agendi modo attribuimus, quod tantum esse debeat, vt nullum omnino altius queat inuitamentum esse, quique fiat, vt eo solo

dignitatem perſonalem ſuam credat perſentiſcere, quacum dignitas iucundi ſtatus vel iniucundi comparata pro nihilo reputanda videatur.

Ac ſane quidem videmus, nos ex qualitate quadam perſonali capere inuitamentum poſſe, cui nullum quodpiam ſtatus inuitamentum ineſt, ſi modo illa reddamur capaces hoc poſteriori potiundi, ſi quando eueniat, vt ratio illius diſtributionem efficiat, id eſt, ſolam dignitatem felicitatis, etiam absque momento huiusce felicitatis potiundae, per ſe poſſe nosmet ad ſe rapere: verum ea ſententia reapſe conſequens eſt ſumtae legum moralium grauitatis (ſi per libertatis ideam nosmet ab omni inuitamento empirico ſeiungimus), verum nosmet ab eo nos ſeiungere, id eſt, liberos in agendo nos ſpectare, atque ita nos tamen vt certis quibusdam ſubiectos legibus putare debere, vt pretium quoddam dignitatemque ſolum in noſtra perſona deprehendamus, quod omnem nobis iacturam eorum queat, quae ſtatui noſtro pretium quoddam impertiunt, compenſare, et quomodo iſtud fieri poſſit, proinde *vnde lex moralis obliget*, tali mode nondum poſſumus perſpicere.

Atque hoc quidem loco, ingenue fatendum eſt, genus quoddam orbis adparet, vnde haud poſſe exitus inueniri videtur. Liberos nos in ordine cauſarum efficientium ſumimus, vt in ordine finium nosmet ſub legibus moralibus cogitemus, et poſtea nos vt his legibus ſubiectos cogitamus, quoniam nobis libertatem voluntatis attribuimus, namque libertas et propria voluntatis legislatio ambae in autonomia verſantur, proinde in conceptibus mutuis, quorum quidem alter ob id ipſum non poterit ad alterum explicandum ad eiusque rationem reddendam adhiberi, verum ad ſummum modo, ad repraeſentationes eiusdem rei obiectae, quae reſpectu logico diuerſae videntur, ad vnum conceptum (velut diuerſas fractiones eiusdem materiae ad notas minimas) reuocandas.

Verum vnus nobis adhuc exitus relinquitur, nimirum vt quaeramus: anne, ſi nosmet, per libertatem, vt cauſam ex anticipatione efficientem cogitemus, aliam ſtationem occupemus, quam ſi nosmet ipſos ex actionibus noſtris vt effecta, quae ante oculos conſpicimus, cogitatione informemus?

Haud opus eſt acuto ſubtilique motu animi, ſed ipſa vere communis intelligentia, quamquam, per naturam ſuam, obſcura facultatis iudicandi diſtinctione, quam tactum vocat, videtur idonea eſſe, vt animadvertat: omnes repraeſentationes, haud ad noſtram libidinem fictas et ſine arbitratu noſtro nobis obuias (velut repraeſentationes ſenſuum,) res obiectas non aliter nobis cognoſcendas dare atque proponere, quam quatenus nos pellunt atque adficiunt, in quo quidem, quid per ſe ipſae ſint, nobis ignotum manet, proinde id, quod hoc genus repraeſentationum attinet, eo nos, cum ſumma attentione animi ac perſpicuitate, quam vmquam poſſit intelligentia adiungere, tamen tantummodo ad cognitionem *phaenomenorum* poſſe, numquam vero *rerum per ſe ipſarum* pertinere. Quo quidem discrimine (ſolum fere per perceptam diuerſitatem repraeſentationum, quae nobis aliunde dantur atque offeruntur, in quibusque patibiles verſamur, ab iis, quas ſolum ex nobis ipſis producimus, in quibusque actionem noſtram exſerimus) ſemel conſtituto, ſponte conſequitur, ſub phaenomenis viſisue tamen aliquid quoque, quod haud phaenomenon ſit, nimirum res per ſe ipſis concedi ſumique oportere, quamuis ſponte largiamur, nos non poſſe, cum numquam nobis innoteſcere queant, ſed tantum pro eo, ac monemur iis atque adficimur, propius ad eas accedere, et quid per ſe ſint, numquam noſſe. Ex quo, rudis quidem, neceſſe eſt, diſtinctio exſiſtat *mundi ſenſibilis* et *intelligibilis*, quorum prior pro diuerſa in variis mundi contemplatoribus facultate ſenſitiua, admodum quoque varius diuerſusque eſſe poteſt, cum alter interea intelligibilis, qui illi fundamento ſubeſt, ſemper idem manere videatur. Atque

etiam ſe ipſum et quidem quoad; quam per ſenſationem internam ſui habet, notitiam homini haud licet vt ſeſe, qualis per ſe ipſe ſit, cognoſcere ſibi arroget. Cum enim haud quaſi ſe ipſam creet, conceptumque ſuum haud ex anticipatione, verum empirice accipiat, ſequitur, vt ſui quoque notitiam per ſenſum internum ideoque ſolum per phaenomenon naturae ſuae, modumque, quo conſcientia adficitur, haurire poſſe, quamuis nihilominus praeter hanc ex meris phaenomenis compoſitam ſui ipſius ſubiecti qualitatem aliud quid fundamento conſtitutum, nempe ſuum illud ego, ita vti illud eſſe per ſe comparatum ſit, neceſſario ſumere debeat, atque ita reſpectu ſolius perceptionis receptiuitatisque ſenſationum ad *mundum ſenſibilem*, ſed reſpectu eius, quod in eo actio pura fuerit (eius, quod nullo modo ex pulſis adfectisque ſenſibus, ſed proxime ad conſcientiam peruenit), ad *mundum* ſeſe *intellectualem*, quem tamen haud amplius nouit, debeat referre.

Ac ſic quidem meditabundus homo, neceſſe eſt, ad vniuerſas res ſibi obuias concludat; eiusmodi, opinor, concluſio, vel in intelligentia communi deprehendetur, quam, notum eſt, admodum pronam ferri ad quodpiam, quod haud ſub adſpectum cadat, ſub rebus ſenſibus ſubiectis latens, quodque per ſe ipſum actiuum ſit, exſpectandum, tamen in eo peccare, quod hocce oculorum obtutum fugiens mox ſibi ad ſenſum reuocat, hoc eſt viſioni ſubiicere vult et proponere, eoque proinde nihilo quidquam prudentior euadit.

Iam in ſe reapſe homo facultatem deprehendit, qua ab vniuerſis rebus aliis, quin ab ſe ipſo, quatenus rebus obiectis mouetur atque adficitur, diſtinguitur, eaque *ratio* videtur. Quae quidem, vt ſpontaneitas, adeo in eo *intelligentiam* ſuperat atque antecellit, quod, etſi haec quoque in ſpontaneitate verſetur, neque, velut ſenſus, ſolum repraeſentationes contineat, quae tum modo, cum rebus pulſi atque adfecti (proinde patibiles) ſumus, oriuntur, tamen ex actione ſua nullos poteſt conceptus procreare, quam qui ſolum ſeruiunt *repraeſ-*

ſentationibus ſenſitiuis ſub regulas vocandis eoque in vna conſcientia atque indiuidua coniungendis, ſine quo vſu facultatis ſenſitiuae nihil ea omnino quidquam cogitaret, cum e contrario ratio nomine idearum ſpontaneitatem oſtendat adeo puram, vt ea longe ſupra vniuerſa, quae ſenſu illi poterunt proponi, progrediatur, praecipuumque negotium in eo ponat, vt mundus ſenſibilis ab intelligibili discernatur, eoque vero ipſi intelligentiae carceres praeſcribantur.

Idcirco natura ratioque ſe ipſam, *vt intelligentia* (proinde haud a parte virium inferiorum), non debet vt ad mundum ſenſibilem, ſed ad intelligibilem pertinentem ſpectare; proinde illi duae ſtationes erunt, vnde ſe ipſam conſideret, legesque vtendarum virium ſuarum cognoſcere poſſit, proinde omnium actionum ſuarum, *primo*, quatenus ad mundum ſenſibilem pertinet, ſub legibus phyſicis (heteronomia), *deinde*, vt mundum ſpectans intelligibilem, ſub legibus ab natura vacuis liberisque, haud empirice, ſed ſolum in ratione conſtitutis.

Vt natura ratione inſtructa, proinde ad mundum intelligibilem pertinens, homo numquam poteſt cauſalitatem ſuae ipſius voluntatis niſi ſub idea libertatis cogitare; namque vacuitas a cauſis mundi ſenſibilis determinatis (cuiusmodi ſibi ipſa ſemper ratio tribuat, oportebit), libertas eſt. Iam cum idea libertatis conceptus *autonomiae* neceſſario coniunctus videtur, cum hoc vero principium moralitatis vniuerſale, quod in idea vniverſis actionibus naturarum *rationalium* perinde fundamento ſubeſt, ac lex naturae phaenomenis vniuerſis.

Nunc, quam ſupra monebamus, remota ſuſpicio eſt, quaſi orbis quidam occultus in concluſione noſtra ex libertate ad autonomiam, atque ex hac ad legem moralem ineſſet, nos nempe fortaſſe ideam libertatis ſolum ob legem moralem conſtituere, quo hanc poſthac viciſſim ex libertate eliceremus, proinde illius nullam prorſus adferre rationem poſſemus, ſed eam modo vt

principium precarium, quod nobis animus bene ab natura informatus libenter quidem concedet, quod vero numquam vt pronunciatum possemus, quod probari queat, proponere. Nunc enim videmus, nos, si nosmet liberos cogitemus, tum vt membra in mundum intelligibilem transferre, autonomiamque voluntatis, cum, quae inde consequitur, moralitate cognoscere; quodsi vero nosmet vt obligatos obstrictosque cogitemus, tum nos contemplamur vt eos, qui ad sensibilem quidem, et tamen simul ad intelligibilem mundum pertineant.

QUI FIT VT ESSE POSSIT IMPERATIVUS CATEGORICUS?

Natura ratioque vt intelligentia ad mundum se intelligibilem numerat, solumque vt causa ad hanc pertinens, causalitatem suam *voluntatem* adpellat. E contrario tamen ea quoque sibi sui conscia est vt partis mundi sensibilis, in quo actiones suae, vt sola phaenomena illius causalitatis, inueniuntur, quorum vero possibilitas ex hac, quam haud nouimus, non poterit perspici, verum cuius loco actiones illae vt per alia phaenomena determinata, nimirum cupiditates inclinationesque, vt quae ad mundum sensibilem pertineant, perspiciendae videntur. Vt solius membri in mundo intelligibili omnes actiones meae principio autonomiae voluntatis purae accurate forent consentaneae; vt solius partis mundi sensibilis eaedem prorsus essent legi naturae cupiditatum inclinationumque, proinde heteronomiae naturae congruentes accipiendae. (Illae in summo principio moralitatis, hae in decreto felicitatis, positae forent). Quoniam *mundus intelligibilis fundamentum continet rationemque mundi sensibilis, proinde etiam legum illius continet*, proinde respectu voluntatis meae (quae tota pertinet ad mundum in-

telligibilem) proxime legislatorius est, ideoque etiam vt talis cogitari debet, memet vt intelligentia, etsi e contrario vt natura ad mundum sensibilem pertinens, tamen legi illius, hoc est, rationi, quae in idea libertatis legem illius continet, ideoque autonomiae voluntatis subiectum cognoscere, ergo leges mundi intelligibilis mihi vt imperatiuos actionesque huic principio consentaneas vt officia spectare debebo.

Atque ita fieri possunt imperatiui categorici, eo, vt idea libertatis me membrum reddat mundi intelligibilis, quo, si tale solum essem, omnes actiones meae autonomiae voluntatis semper consentaneae *forent*, cum vero memet simul vt membrum mundi sensibilis intuear, esse consentaneae *debent*, quod debere *categoricum* pronunciatum efficit syntheticum ex anticipatione, eo, quod, praeter voluntatem meam per cupiditates sensitiuos pulsam adfectamque, etiam idea eiusdem, verum ad mundum intelligibilem pertinentis, voluntatis purae, per se practicae accedit, quae conditionem prioris ex ratione supremam continet; vti fere ad visiones mundi sensibilis conceptus accedunt intelligentiae, qui per se ipsi nihil quidquam aliud designant quam formam legalem in vniuersum, iisque fit vt esse queant enunciationes syntheticae ex anticipatione, in quibus vniuersa naturae cognitio posita videtur.

Veritas huius deductionis vsu practico rationis humanae communis confirmatur. Nemo homo est, ne vel ipse maleficorum pessimus, si modo alioquin vti ratione soleat, quin, propositis exemplis in consiliis, constantiaeque in seruandis normis bonis, et communionis ac beneuolentiae vniuersalis (praetereaque cum magna emolumentorum commoditatisque iactura facta coniunctae), cupiat, eodem sese animo esse. Quod vero ob inclinationes suas stimulosque difficulter potest in se

conficere, et tamen ſimul optat ab eiusmodi ſibi ipſi moleſtis inclinationibus liberum videri. Itaque is demonſtrat, ſe cum voluntate, a ſtimulis ſenſuum libera, mente ſeſe et cogitatione in longe alium rerum ordinem transferre, quam cupiditatum ſuarum in campo facultatis ſenſitiuae, quoniam a voto illo nullam cupiditatum oblectationem, proinde nullum ſtatum vllum quempiam, quae vere ſint aut excogitari queant, inclinationum ſuarum ſatiantem poteſt (quippe quo ipſa idea, quae deſiderium illud ſibi elicit, principatum amitteret), ſed maius modo pretium perſonae ſuae internum exſpectare. Hanc meliorem ſe putat perſonam eſſe, cum in ſtationem ſeſe collocat membri in mundo intelligibili, quo quidem per ideam libertatis, hoc eſt, vacuitatis et independentiae a cauſis mundi ſenſibilis *determinantibus* inuitus cogitur, et in qua ſibi conſcius eſt voluntatis bonae, quae voluntati malae ſuae, vt membri mundi ſenſibilis, vti ipſa confitetur, legem conſtituit, cuius auctoritatem nouit, dum eam migrat. Ergo debere morale eſt proprium neceſſarium velle vt membri in mundo intelligibili, de illoque tantummodo vt debere cogitatur, quatenus id ſeſe ſimul vt membrum mundi ſenſibilis contemplatur.

DE

FINIBUS AC TERMINIS EXTREMIS VNIVERSAE PHILOSOPHIAE PRACTICAE.

Omnes homines cogitatione ſeſe quoad voluntatem liberos depingunt. Inde omnes exſiſtunt ſententiae de actionibus vt iis, quae fieri *debuiſſent*, quamuis *haud factae videantur*. Nihilominus haec libertas nullus conceptus empiricus eſt, neque eſſe poteſt; is enim conceptus permanet, etſi experientia contrarium oſtendat eorum poſtulatorum, quae poſita illa vt neceſſaria re-

praefentantur. Ex altera parte pariter neceffe eft, vt quae fiunt atque eueniunt, cuncta ex legibus phyficis neceffario determinata videantur, neque haec quoque neceffitas phyfica in conceptu empirico verfatur, ob eam ipfam caufam, quia conceptum in fe cohibet neceffitatis, proinde cognitionis praeconceptae. Verum hic naturae conceptus per experientiam confirmatur, ipfeque neceffario fupponendus eft, fi fieri poffit experientia, hoc eft, cognitio rerum fenfibus fubiectarum ex legibus vniuerfalibus cohaerens. Idcirco libertas folum *idea* rationis eft, cuius realitas obiectiua per fe dubia videtur, natura vero in *conceptu intellectuali* verfatur, qui realitatem fuam in exemplis per experientiam propofitis euincit neceffarioque euincere debet.

Quamquam inde dialectica rationis oritur, cum libertas voluntati attributa pugnare cum neceffitate phyfica videtur, in eoque triuio *refpectu contemplatiua* viam neceffitatis phyficae multo munitiorem vtilioremque ratio videt, quam femitam libertatis; tamen *refpectu practico* trames libertatis vnus eft folusque, quo fieri poffit, vt in agendo mittendoque ratione vtaris; quamobrem per fubtiliffimam philofophiam fieri aeque minus poterit, ac per rationem humanam communem, vt argutando libertas tollatur. Haec igitur fine dubio, neceffe eft, fupponat: nullam veram pugnam libertatem inter et neceffitatem phyficam earumdem actionum humanarum inueniri, ea enim aeque minus poteft fefe a conceptu naturae ac libertatis abdicare.

Interim haec repugnantia putatitia certe euidenter tollenda erit, quamuis, qui effe libertas queat, numquam comprehendere poffis. Etenim fi adeo cogitatio de veritate fibimet ipfa, naturaeue, quae pariter neceffaria eft, repugnet, pro neceffitate phyfica prorfus ea mittenda videbitur.

Fieri autem non poterit, vt eam repugnantiam effugias, ſi, quod ſe liberum exiſtimat, ſubiectum ſe ipſum *eodem ſenſu*, *eademue relatione* cogitaret, cum ſe liberum dicit, quam cum ſe reſpectu eiusdem actionis legi naturae ſubiectum ſumit. Idcirco quaeſtio eſt neceſſario philoſophiae contemplatiuae propoſita: vt ſaltem doceatur, illuſionem eius de repugnantia poſitam in eo eſſe, quod hominem alio ſenſu cogitemus aliaque relatione, cum liberum eum dicimus, quam cum illum, vt partem naturae, vt legibus naturae ſubiectum putamus, atque vtrumque non ſolum vna *poſſe* conſiſtere, verum vt *neceſſario coniunctum*, cogitari in eodem ſubiecto debere, quoniam alioquin haud poſſet ratio adferri, quare rationem idea oneremus, quae, quamquam ſine *repugnantia* queat cum alia quadam ſatis probata coniungi, nos tamen negotio implicit, quo ratio in vſu ſuo theoretico admodum ad incitas redigitur. Hoc vero officium ſoli incumbit philoſophiae contemplatiuae, vt practicae via muniatur. Ergo neutiquam ex libidine pendet philoſophi, vtrum opinatam velit repugnantiam tollere, an intactam relinquere; namque ſi illa intacta relinquatur theoria illius bonum vacans erit, cuius poſſeſſionem fatalismi patronus iure poſſit ad ſe rapere omnemque philoſophiam moralem ex opinato fundo ſine titulo poſſeſſo expellere.

Neque hic tamen dici poterit fines incipere philoſophiae practicae. Illa enim concertationis compoſitio nullo modo ad eam pertinet, verum modo poſtulat ab ratione contemplatiua, vt haec diſcordia, qua in quaeſtionibus theoreticis implicitur, componatur, vt tuta ac ſecura ab externo impetu ratio practica praeſtetur, qui territorium ei, in quo accolere vult, dubium reddere poſſit.

Ius vero, ipſius rationis communis, in libertatem voluntatis, conſtitutum eſt in conſcientia conceſſaque

sumtione rationis a causis solum subiectiue determinatis vacuae, quibus cunctis efficitur id, quod solum attingit sensationem, proinde nomen facultatis sensitiuae vniuersale. Homo, sic se vt intelligentiam considerans, eo sese in alium rerum ordinem transfert in relationemque ad rationes determinantes generis prorsus alius, cum se vt intelligentiam voluntate praeditam, proinde causalitate ornatam cogitat, quam cum sese vt phaenomenon percipit in mundo sensibili (id quod reuera quoque is erit) suamque causalitatem, quoad determinationem externam, legibus physicis subiicit. Nunc mox intelligit, vtrumque locum habere posse, quin adeo oportere. Etenim, *rem in phaenomeno* (quod ad mundum sensibilem pertinet,) certis quibusdam legibus subiectam esse, a quibus eadem, *vt res* naturaue *per se ipsa*, vacua est ac libera, nullo modo pugnat; se ipsum vero duplici hac ratione sibi cogitatione depingendum esse, nititur, quatenus vt phaenomenon se spectat, in conscientia sui ipsius vt rei obiectae sensibus pulsae atque adfectae, quatenus se vt rem per se ipsam considerat, in conscientia sui ipsius vt intelligentiae, hoc est, vt vacuae liberaeque in vsu rationis ab impressionibus sensitiuis (proinde vt ad mundum intelligibilem pertinentis).

Hinc fit, vt homo sibi voluntatem arroget, quae nihil quidquam patitur sibi culpae verti, quod solum cupiditates suas inclinationesque attingit, contraque actiones per se vt possibiles atque adeo necessarias, cogitat, quae non possunt, nisi neglectis cupiditatis vniversis stimulisque sensitiuis fieri. Causalitas illarum inest in eo vt intelligentia in legibusque effectionum actionumque ex principiis mundi intelligibilis, de quo quidem nihil quidquam nouit amplius, quam solum in eo rationem, et quidem puram, a sensuque liberam rationem, legem ferre, itemque cum ibi duntaxat qua intelligentia proprium illud ipse (qua homo vero tan-

tummodo sui ipsius phaenomenon) sit, illas leges proxime illum et categorice attinere, ita vt, quo inclinationes stimulique alliciunt (proinde vniuersa mundi sensibilis natura) legibus voluntatis suae vt intelligentiae, nihil queat derogari, atque etiam vt illorum non rationem reddat, neque sibi ipsi, hoc est, voluntati suae eos culpae det, sane vero conniuentiam, quae eos exciperet, si, cum detrimento legum voluntatis rationalium, vim iis in norma sua concederet.

Eo vero, quod ratio practica *cogitatione* sese in mundum intelligibilem *transfert;* nullo modo terminos suos migrat, quod quidem fieret, si *videndo intuendoue* aut *sentiendo* in illum sese vellet transferre. Illud tantummodo cogitatio negatiua est, respectu mundi sensibilis, nullas in determinanda voluntate rationi leges ferentis, solumque in hoc vno positiua videtur, quod libertas illa, vt determinatio negatiua, simul coniuncta sit cum facultate (positiua) quadam adeoque cum causalitate rationis aliqua, quam voluntatem nominamus, ita agendi, vt principium actionum qualitati essentiali causae rationalis, hoc est, conditioni vniuersalitatis normae, vt legis, consentaneum videatur. Quodsi ea vero praeterea *rem voluntati obnoxiam*, id est, momentum e mundo intelligibili peteret, tum suos ea terminos migraret, sibique quidpiam sese cognoscere, quod omnino eam latet, arrogaret. Ergo conceptus mundi intelligibilis tantummodo *locus* est, quem ratio sese coactam sentit praeter phaenomena sumere, *vt se ipsam vt practicam* cogitet, quod, si contagiones sensus homini forent determinantes, fieri non posset, quod vero tamen necessarium est, nisi illi conscientia sui ipsius, vt intelligentiae, proinde vt causae rationalis per rationemque agentis, hoc est, libere efficientis debeat denegari. Qua quidem cogitatione sane idea alius ordinis legislationisque, quam mechanismi physici, mundum sensibilem attingentis, arcessitur, conceptusque mundi

intelligibilis (hoc eſt, totum naturarum rationalium, vt rerum per ſe ipſarum) redditur neceſſarius, ita tamen, vt nihil quidquam hic quaeratur vlterius, quam vt ſolum quoad conditionem illius formalem, id eſt, vniuerſalitatem normae voluntatis, vt legis, proinde autonomiae voluntatis, quae ſola poteſt cum libertate conſiſtere, conuenienter cogitemus; cum e contrario ex legibus vniuerſis, ad rem quampiam obiectam determinatis, heteronomia emergat, quae ſolum poteſt in legibus phyſicis deprehendi, etiamque duntaxat mundum ſenſibilem attingere.

Tum vero omnes terminos ſuos et carceres ratio transſiliret, cum *explanare* inſtitueret, *quomodo* ratio pura eſſe practica poſſit, quod prorſus idem cum problemate foret, quod poſcit, vt explicetur, *quomodo eſſe libertas queat.*

Neque enim quidquam nos poſſumus enodare, niſi quod reuocare ad leges queamus, quibus quae ſubiecta eſt, res per poſſibilem poſſit experientiam offerri ac proponi. Verum libertas in mera idea verſatur, cuius realitas obiectiua nullo modo poterit ex legibus phyſicis, nec proinde in vlla quapiam experientia poſſibili, euinci, quae ideo propterea, quod ſibi ipſi numquam queat exemplum ſubiici ex vlla quapiam ſimilitudine, numquam comprehendi poteſt, vel modo perſpici. Vim ea habet ſolummodo vt ſumtio rationis neceſſaria in natura, quae voluntatis, id eſt, facultatis ab ſola appetendi facultate diuerſae, (nempe ad agendum ſe vt intelligentiam, proinde ex legibus rationis, ab omni naturae impetu libere determinandi), ſibi ſe eſſe conſciam autumat. Vbi autem determinatio ex legibus phyſicis definit, ibi quoque nulla *explanationis* copia eſt, nihilque quidquam relinquitur, quam *defenſio*, id eſt, dubiorum depulſio illorum, qui profundius prae ſe ferunt in naturam rerum inſpexiſſe, et propterea audacter de-

clarant, non poſſe libertatem eſſe. Solum iis poterit oſtendi, repugnantiam, quam ſe aperuiſſe opinantur, vspiam alibi ineſſe, atque in eo, vt, cum legi phyſico reſpectu actionum humanarum vim valoremque conciliarent, hominem, neceſſe erat, vt qua phaenomenon conſiderarent, et nunc, cum poſcimus, vt eum qua intelligentiam etiam vt rem per ſe ipſam, cogitent, etiamnum eam tum vt phaenomenon ſpectent, vbi ſane ſeiunctio cauſalitatis eius (id eſt, voluntatis illius) ab vniuerſis legibus mundi ſenſibilis phyſicis in vno eodemque ſubiecto pugnaret, quod vero non erit, ſi ſe ipſi commonere velint aeque ac ſe reuocare, quodque aequum foret, fateri, ſub phaenomenis tamen res per ſe ipſas (quamuis clanculum) fundamento ſubeſſe debere, cuius efficiendi leges non poſſis poſtulare easdem eſſe debere, quibus phaenomena earum ſubſunt.

Impoſſibilitas ſubiectiua libertatem voluntatis *enodandi*, eadem eſt atque impoſſibilitas *inuitamenti* *) inveniendi docendique, quod homo capere ex legibus

*) Inuitamentum (*intereſſe*) dicitur id, quo ratio practica fit, hoc eſt, cauſa voluntatem determinans. Idcirco ſola natura ratioque dicitur inuitamentum ex re quapiam capere, in brutis non niſi ſtimuli ſenſitiui inſunt. Inuitamentum proximum tum ſolum ex actione ratio capit, cum normae illius vniuerſalitas ratio idonea eſt voluntatis determinandae. Tale inuitamentum ſolum purum videtur. Cum ea vero voluntatem poteſt duntaxat interuentu alius rei appetitioni propoſitae obiectaeque, aut ſumto quodam ſubiecti tactu peculiari determinare, tum ratio ex actione inuitamentum capit remotius, cumque ratio per ſe ſola neque res voluntati obnoxias ſubiectasque, neque peculiarem quemdam tactum fundamento conſtitutum poſſit absque experientia invenire, hoc inuitamentum poſterius (remotum) duntaxat empiricum foret, nullumque purum rationis inuitamentum. Inuitamentum rationis logicum (notitiarum ſuarum promovendarum,) numquam proximum eſt, ſed fines ſcoposque ſupponit vſus illius.

moralibus poſſit; et nihilominus inde inuitamentum capit reapſe, cuius fundamentum in nobis ſenſum moralem adpellamus, qui falſo ab nonnullis pro norma diiudicationis noſtrae moralis perhibetur, cum potius pro effectione legis *ſubiectiua* in voluntate accipiendus videtur, quo ratio ſola cauſas ſuppeditet obiectiuas.

Vt ea velis cupiasue, ad quae ratio ſola naturae rationique ſenſitiue adfectae debitum praecipit, ſane opus erit facultate rationis quadam, *ſenſum* quemdam *iucundi inſtillandi* aut adprobationis officii faciendi, proinde cauſalitas illius, facultatis ſenſitiuae principiis ſuis conuenienter determinandae. Fieri autem nullo modo poteſt, vt perſpiciamus, hoc eſt, vt ex anticipatione doceatur, quomodo ſola cogitatio, quae ipſa nihil quidquam, quod ad ſenſum pertineat, in ſe continet, ſenſationem doloris taediique producat: ea enim peculiaris cauſalitatis ſpecies eſt, de qua, vti de vniuerſa cauſalitate, nullo modo quidquam poſſumus ex anticipatione decernere, ſed ſolam de ea experientiam conſulere debemus. Quae vero cum nullam queat cauſae ad effectum relationem ſuppeditare, vt duarum rerum experientiae obuiarum obiectarumque, hic vero ratio pura per meras ideas (quae nullae prorſus ſunt res experientiae obnoxiae,) cauſae eſſe debeat effecti, quod ſane ſitum in experientia eſt, per nos homines fieri nullo pacto poteſt, vt quomodo et qua de cauſa *vniuerſalitas normae vt legis*, proinde moralitas, nosmet inuitet, explanetur. Tantummodo certum videtur: eam ad nos haud idcirco valere, *quoniam inuitat* (id enim heteronomia eſt ac dependentia rationis practicae a facultate ſenſitiua, nimirum tactu quodam conſtituto, in quo ea numquam poſſet moraliter legislatoria eſſe), verum eam inuitare, propterea quod ad nos valet vt homines, cum ex voluntate noſtra vt intelligentia, proinde ex noſtro illo proprio Ipſe, exorta ſit; *quidquid autem ad ſolum viſum ſiue phaenomenon pertinet, ab ratione neceſſario qualitati rei per ſe ipſius ſubordinatur.*

Itaque ad quaestionem: quomodo fieri queat imperatiuus categoricus, poterit quidem responderi, quatenus vna possit sumtio indicari, qua ille sola fieri possit, nempe idea libertatis, quatenus item poterit necessitas huiusce sumtionis perspici, quod ad *vsum* rationis *practicum*, hoc est, ad persuasionem de *valore huius imperatiui*, proinde quoque legis moralis, idoneum videtur, quomodo vero haec sumtio ipsa fieri queat, per nullam vmquam poterit rationem humanam perspici. Sed sumta libertate voluntatis, vt intelligentia, *autonomia* illius, vt conditio formalis, qua sola potest ea determinari, necessario consequitur. Haec autem voluntatis libertas, fieri etiam non solum commode poterit, vt sumatur (sine pugna cum principio necessitatis in phaenomenis mundi sensibilis coniungendis, vti potest philosophia contemplatiua docere), verum etiam vt practice, hoc est, in idea omnibus actionibus arbitrarii, qua conditio, substernatur, naturae rationique, caussalitatis suae sibi per rationem, proinde voluntatis, a cupiditatibus diuersae, consciae, sine vlteriori conditione *necessarium* videtur. *Quomodo* autem ratio pura, sine aliis elateribus, aliunde vspiam desumtis, per se ipsa practica esse possit, id est, quomodo solum *principium vniuersalitatis omnium normarum illius vt legum* (quod sane in forma foret rationis purae practicae), sine vlla voluntatis materia (re obiecta) ex qua in antecessum liceat vllum quodpiam inuitamentum capi, per se ipsum pro elatere esse, atque, quod pure *morale* vocaretur, inuitamentum efficeret, siue breuius, *quomodo ratio pura esse practica queat*, fieri per vniuersam rationem nullo modo poterit, vt explanetur, omnisque opera in anquirenda ea enodatione perdita videtur.

Perinde est, vt si perscrutari velim, quomodo libertas ipsa vt caussalitas voluntatis esse possit. Tum enim rationem enodandi philosophicam desero, praeter quam nullam aliam habeo. Possem quidem nunc in

mundo intelligibili, qui mihi relinquitur, in mundo intelligentiarum oberrare; verum, quamuis eius mihi *idea* fit probe conftituta, tamen illius mihi ne minima quidem notitia videtur, ad eamque, vtcumque enitar, per facultatem rationis numquam poffum pertinere. Ea folum quidpiam denotat, quod reliquum fit, vniuerfis, quae mundum fenfibilem attingunt, a rationibus determinandae voluntatis meae feclufis, vt duntaxat principium momentorum e campo facultatis fenfitiuae coerceatur, eo quod illud finio, atque oftendo, non omnia illud in omnibus in fe complecti, fed praeter illud plura effe: verum haec plura haud amplius noui. De ratione pura hoc ideale cogitante, cuncta materia feiuncta ac feparata, hoc eft, cognitione obiectarum rerum, nihil mihi quidquam relinquitur, praeter formam, nimirum legem practicam vniuerfalitatis normarum, huicque conuenienter, rationem refpectu mundi intelligibilis vt poffibilem efficientem, hoc eft, voluntatem determinantem, caufam cogitandi; hic elater omnino defit, neceffe eft; nifi forte haec idea mundi intelligibilis ipfa fit elater, fiue id, ex quo ratio originarie quodpiam inuitamentum caperet; quod vero vt demonftretur, ipfum propofitum eft, quod non poffumus enodare.

Hic igitur fines fupremi funt ac termini vniuerfae inueftigationis moralis; qui vt determinentur, vel iam idcirco permagni momenti erit, ne ratio partim in mundo fenfibili, in perniciem morum, fupremum momentum atque inuitamentum comprehenfibile fed empiricum anquirat, partim vero in fpatio vacuo fibi atque inani conceptuum transfcendentium, nominatim mundi intelligibilis, fruftra alias vibret, neque tamen loco moueatur, ac fefe in fetibus phantafiae immergat. Caeterum idea mundi intelligibilis puri, vt totius cuiuspiam omnium intelligentiarum, ad quas nosmet ipfi, qua naturae rationales, (quam ex alia parte fimul membra mundi fenfibilis), pertinemus, femper idea

manet vtilis atque conceſſa ad fundandam fidem rationi congruam et conuenientem, etſi in terminis illius vniverſae ſcientiae finis ſit, vt per ideale excellens regni *finium per ſe ipſorum* (naturarum ratione praeditarum) vniuerſalis, quod tum ſolum poſſumus vt membra attingere, cum ad normas libertatis, quaſi leges forent naturae, diligenter nosmet componimus, inuitamentum ei lege morali viuidum capiendum in nobis efficiatur.

SCHOLION FINALE.

Vſu rationis contemplatiuo, *reſpectu naturae*, ad neceſſitatem vllius cuiuspiam cauſae *mundi* ſupremae ducimur; ſed vſu rationis practico, *reſpectu libertatis* etiam ad neceſſitatem abſolutam mittimur, verum duntaxat *legum actionum* naturae rationisque, qua talis. Iam *principium* vſus vniuerſi rationis noſtrae eſſentiale eſt, vt cognitionem vsque ad conſcientiam *neceſſitatis* illius (ea enim deſtituta nulla cognitio rationis foret), excolamus. Verum quoque itidem eſſentialis eiusdem rationis *circumſcriptio* videtur, qua fit, vt neque eorum, quae ſunt fiuntue, neque eorum, quae fieri debent, poſſit neceſſitatem perſpicere, niſi, qua ſint fiantue, aut fieri debeant, *conditio* fundamento conſtituatur. Sed hoc modo conditione continuo percontanda, exſatiatio rationis longius protrahitur ac differtur. Quapropter ea indefeſſa abſolute neceſſarium anquirit, idque ſeſe coactam intelligit ſumere, quamuis illi nuspiam quidpiam adiumentum ſit, quo poſſit illud comprehendere; praeclareque de ea actum videtur, ſi modo conceptum inuenire queat, cum hacce ſumtione congruum et conſentaneum. Igitur non cadit in deductionem noſtram principii moralitatis reprehenſio, ſed vitium eſt, quod generatim rationi humanae obiiciendum foret, cum legem practicam abſolutam (cuiusmodi imperatiuus categoricus ſit, neceſſe eſt) non poteſt quoad neceſſitatem eius abſolu-

tam docere atque explanare; neque enim illi poterit vitio verti, quod non vult ea per conditionem efficere, nempe interuentu vllius cuiuspiam inuitamenti constituti, siquidem tum nulla foret moralis, hoc est, suprema lex libertatis. Atque ita fit, vt necessitatem quidem absolutam practicam imperatiui moralis haud comprehendamus, verum tamen comprehendimus eius *incomprehensibilitatem*, quod quidem omnino ex aequitate poterit a philosophia, quae vsque ad terminos rationis humanae in principiis tendit, postulari.

IMMANUELIS KANTII

RELIGIO

INTRA TERMINOS

SOLIUS RATIONIS.

PRAEFATIO PRIOR.

Philosophia moralis, quatenus in conceptu hominis constituta est, vt naturae liberae, sed ob id ipsum quoque per rationem suam ad leges sese ipsam absolutas adstringentis, neque ideae alius cuiuspiam naturae supra se, ad cognoscendum officium indiget, nec alio elatere ad illud faciendum, quam legis ipsius. Certe per suam ipsius culpam fit, si eiusmodi necessitas in eo deprehendatur, cui vero tum nulla alia re is poterit mederi; quoniam, quod haud ex eo ipso et libertate eius oritur, non defectum moralitatis compensare. — Ea igitur in gratiam sui ipsius (cum obiectiue, ratione volitionis, tum subiectiue, respectu potentiae) nullo modo *religionis* indiget, verum, vi rationis purae practicae, sibi ipsa sufficit. — Cum enim leges suae per solam formam legalitatis vniuersalis normarum inde capiendarum, vt conditionis supremae (ipsius absolutae) finium omnium, obligent; ei nulla omnino opus est determinandi liberi arbitrii ratione materiali, *) hoc est, nullo fine, neque vt quid in officio sit, cognoscatur, neque

*) Ii, quibus non satis ratio determinans solum aliena (legalitatis) in genere, in conceptu officii ad rationem determinandi, tamen tum fatentur, eam non posse in *philautia* deprehendi ad propriam *salutem* intenta. Tum enim duntaxat duae determinandi rationes relinquuntur, vna rationalis, nimirum propria *perfectio*, et alia empirica, *felicitas* aliena. — Si igitur illam superiorem haud iam intelligant moralem, quae solum esse vna potest (nempe voluntatem legi absolute simpliciterque obedientem), in quo quidem per orbem definirent, eos necesse foret perfectionem intelligere hominis naturalem, quatenus ea capax incrementi sit, quarumque esse multae possunt (velut dexteritas in artibus ac scientiis, gustus, corporis velocitas, id genus alia). Id vero duntaxat semper hypothetice bonum est, nimirum, cum adiunctione, ne vsus earum cum lege morali pugnet

vt ad illud faciendum impellamur: verum ea ſane poteſt, et, ſi de officio agatur, debet etiam ab vniuerſis ſeſe finibus continere. Velut, vt ſciam, an coram iudice in teſtimonio veritatem ſequi, vel in repetendo boni alieni mihi concrediti iuſtitiam colere debeam (vel etiam poſſim), nullo modo opus eſt anquirendo fine, quem forte ſectandum mihi propoſuerim; nil enim intereſt, qualis ille ſit; potius is, qui, dum ab eo confeſſio iure poſtulatur, adhuc opus habet, vt vllum aliquem finem circumſpectet, in hoc iam nequam eſt.

Quamquam autem philoſophia moralis in ſuum ipſius vſum haud indiget finium repraeſentationis, quae voluntatem deberet determinandam antecedere, tamen fieri poteſt, vt eiusmodi finem neceſſario ſpectet, nimirum haud vt rationem cauſamque, ſed vt conſequentias neceſſarias normarum, quae illis conuenienter capiuntur. Namque ſine vlla omnino finium relatione nulla prorſus poteſt voluntatis determinatio locum habere, quoniam ea haud omnino poteſt effecto carere, cuius repraeſentatio, etſi haud vt ratio determinandi arbitrii, vtque finis hoc reſpectu antecedens, tamen vt finis in conſequentiam veniens poſſe debet recipi, ſine quo arbitrium, quod nullam ſibi, nec obiectiue nec ſubiectiue determinatam rem obiectam (quam habet, vel habere deberet), ad actionem propoſitam cogitando

(quae ſola abſolute praecipit); ergo ea, in finem propoſita, haud principium eſſe conceptuum officiorum. Idem quoque valet de fine conſilioque aliorum hominum felicitatem ſpectante. Namque actio ante per ſe ipſa, oportebit, ex lege morali pendatur, quam ad aliorum felicitatem dirigatur. Cuius proinde promotio tantummodo hypothetice in officio eſt, neque eſſe pro principio ſupremo poteſt normarum moralium.

addit, vti quidem illud eſt, non vero quo ſibi agendum ſit, edoctum, ſibi ipſum non poteſt ſatis facere. Sic philoſophiae morali nullo quidem fine ad recte agendum opus eſt, verum lex ei ſufficit, conditionem formalem vtendae libertatis generatim continens. Verumtamen ex philoſophia morali finis emergit; neque enim fieri poteſt, vt rationis nihil quidquam interſit, quomodo ad quaeſtionem reſpondeatur: quid tum ex recte agendo ad nos redundet, et quo, quamuis iſtud haud omnino penes nos fuerit, tamen vt ad finem actionem noſtram omiſſionemque dirigere poſſemus, vt ſaltim cum eo conſpiremus. Sic quidem duntaxat idea eſt cuiuspiam rei obiectae, quae conditionem omnium finium, qui nobis eſſe propoſiti debent, formalem (officium), et ſimul omnia, quae cum ea conueniunt, hypothetica eorum finium omnium, qui nobis ſunt propoſiti (felicitatem illi ſeruandae conſentaneam), coniuncta in ſe cohibet, hoc eſt, idea ſummi in mundo boni, ad cuius poſſibilitatem natura nobis praeſtantior, moralis, ſanctiſſima atque omnipotens ſumenda eſt, quae ſola poſſit vtrumque in ſe elementum coniungere; nec vero haec idea (practice ſpectata) vacua atque inanis eſt; quoniam a naturali noſtra neceſſitate cuiusque actionis noſtrae omiſſionisque omnino vllum quempiam ſcopum, qui ab ratione defendi poſſit, cogitandi, nos liberat, quo quidem alias in conſilio capiendo morali impediremur. Verum, quod hoc loco caput eſt, haec idea emergit ex philoſophia morali, neque illius fundamentum eſt; finis, qui, vt proponatur, iam principia moralia ſupponit. Igitur fieri non poteſt, vt nihil quidquam philoſophiae morali interſit, an ſibi cogitationem de ſcopo omnium rerum (quocum ſi concinat, numerus officiorum haud quidem augetur, ſed iis tamen ſingularis quidam relationis lo-

cus omnium finium coniungendorum comparatur) informet nec ne; quoniam eo solum potest formae finali ex libertate cum forma finali naturae coniungendae realitas obiectiuae practica impertiri. Fac homini, legem moralem colenti, in mentem cogitationem venire (id quod aegre poterit euitari), quemnam mundum per rationem practicam ductus foret creaturus, si in potestate sua positum sit, et ita quidem, vt se ipse vt articulum in eum collocaturus, non modo talem illum eligeret, qualem moralis illa de summo bono idea postulat, si ipsi solum optio relicta fuerit, verum etiam cuperet, mundum omnino exsistere, quoniam lex moralis vult, vt summum per nos possibile bonum efficiatur, quamquam se ipsum ex hac idea conspicit periculo expositum, pro se felicitatis permagnam iacturam faciendi, quia fieri potest, vt fortasse huiusce desiderio, quod ratio praecipit conditionem, haud respondeat; proinde se intelligeret per rationem coactum, vt ab omni studio alienus iudicium istud, vt ab alieno latum, tamen simul suum agnosceret, quo homo necessitatem moraliter in sese effectam probat, ad officia sua praeterea scopum quoque, vt illorum euentum, cogitandi.

Igitur philosophia moralis necessario ad religionem ducit, quo ea sese ad ideam legislatoris moralis potentis extra hominem dilatat, *) in cuius voluntate id sco-

*) Enunciatio: deus est, proinde est summum bonum in mundo, si (vt pronunciatum fidei) solum debeat e philosophia morali emergere, synthetica est ex anticipatione, quae, quamuis duntaxat respectu practico accipiatur, tamen conceptum officii, quem doctrina morum continet (quique nullam arbitrii materiam, sed solum leges illius formales supponit), transscendit, ideoque ex hoc non potest analytice euolui. *At quomodo fieri potest eiusmodi enunciatio ex anticipatione?* Concentus cum sola idea legislatoris moralis om-

pus (creati mundi) eſt, quod ſimul ſcopus hominis et poteſt eſſe et debet.

nium hominum identicus quidem eſt cum conceptu morali officii generatim, atque eatenus enunciatum, huncce contentum praecipiens, analyticum foret. Verum ſumtio exſiſtentiae illius plus in ſe cohibet, quam ſolam eiusmodi rei poſſibilitatem. Clauem huius quaeſtionis enodandae, quantum opinor intelligere, hoc loco tantummodo iudicare poſſum, neque erit cur vberius exponam.

Finis ſemper in re verſatur *inclinationi* cuidam ſubiecta, id eſt in cupiditate proxima rei per actionem potiundae; vti *lex* (practice praecipiens) in re cernitur *obſeruantiae* propoſita. Finis obiectiuus (id eſt, is, quem nobis habere propoſitum debemus) is eſt, qui nobis ab ſola ratione qua talis praecipitur. Finis conditionem ineuitabilem ſimulque idoneam omnium reliquorum continens eſt *ſcopus*. Propria felicitas poſita in ſcopo ſubiectiuo eſt naturarum mundanarum rationalium (quem vna illarum quaeque pro natura ſua ex rebus ſenſibus obnoxiis pendente ſequitur, et quem dici abſurdum foret, non proponi debere), omnesque enunciationes practicae, quibus hic ſcopus fundamento ſubeſt, ſyntheticae ſed ſimul empiricae videntur. Verum vnumquemque, ſummum, in mundo poſſibile, bonum ſibi proponere pro *ſcopo* debere, pronunciatum practicum eſt ſyntheticum ex anticipatione, et quidem obiectiue practicum, per rationem puram praeceptum, propterea quod pronunciatum eſt, conceptum officiorum in mundo ſuperans ac transſcendens, illorumque conſequentiam (effectum) addit, quae non in legibus moralibus continetur, ideoque ex iis non poteſt euolui. Hae ſcilicet abſolute ſimpliciterque praecipiunt, qualecumque euentum fuerit, quin adeo cogunt, vt cogitationem omnem ab eo auocemus, ſi de actione agatur ſingulari, eoque officium ſummae venerationi ſubiiciunt, nullo nobis fine (ſcopoque) propoſito ac praecepto, qui forte commendationi illius eſſe et pro elatere officii faciendi. Omnibus hoc quoque hominibus ſuppetere poſſet, ſi (pro eo ac deberent) ſolam ſequerentur in lege praeceptionem rationis purae. Quid opus eſt, eos ſcire euentum actionum omiſſionumque, quem curſus mundi adferet? Iis ſatis eſt, ſuum ſe facere officium; vt dum hac terreſtri vita omnia deſinant, atque adeo vel in hac ipſa felicitas dignitasque fortaſſe numquam conueniant. Iam vero in limitationibus

* * *

Cum philofophia moralis in fanctitate legis rem agnofcit fummae *venerationi* obnoxiam, tum in gradu religionis in caufa fumma, leges illas exfequente rem proponit adorationi fubiectam atque in maieftate fua confpicitur. Verum omnia, etiam fummum quodque maximeque fublime, in manibus hominum minuitur ac decrefcit, cum ideam illius in vfum fuum conuertunt.

hominis (fortaffe quoque aliarum naturarum mundanarum) eiusque facultatis rationalis practicae haud euitandis eft, vt in omni actione euentum ex ea circumfpiciat, in quo aliquid inueniat, quod fibi pro fcopo fit etiamque puritatem queat finis confiliique probare, qui in nexu quidem effectivo vltimum, fed in nexu finali primum eft. In hoc fine igitur, etfi per folam rationem fibi proponatur, homo quaerit aliquid, quod poffit *amare*; lex ergo, quae illi folum *obferuantiam* inftillat, quamquam ea illud vt neceffitatem haud agnofcit, tamen fefe in eius gratiam dilatat ad fcopum rationis moralem ad rationes determinantes fuas recipiat, id eft, pronunciatum: conftitue fummum in mundo poffibile bonum tibi fcopum; pronunciatum fyntheticum eft ex anticipatione, quod per legem moralem ipfam introducitur, et quo nihilominus ratio practica fe vltra hanc moralem legem dilatat, id quod eo fieri poteft, quod illa ad proprietatem hominis naturalem, fibi actionum omnium praeter legem etiam finem cogitatione informandi, refertur (qua proprietate is redditur res experientiae obnoxia), et (velut theoreticae et infuper fyntheticae enunciationes ex anticipatione) folum eo fieri poteft, quod principium ex anticipatione continet cognitionis rationum liberi arbitrii in experientia generatim determinandi, quatenus haec, effecta moralitatis exhibens in finibus, conceptui moralitatis, vt caufalitatis in mundo, realitatem comparat obiectiuam, quamuis folum practicam. — Si vero accuratiffima legum moralium obferuatio vt caufa debeat arceffendi fummi boni (vt finis) cogitari: oportebit, vt, facultas humana haud fufficit, ad efficiendam felicitatem in mundo confentaneam cum dignitate felicitatis perfruendae, ens morale omnipotens vt moderator mundi fumatur, quo prouidente i[illegible]d efficiatur, id eft, doctrina morum neceffario ducit ad religionem.

Quod eatenus modo vere coli poteſt, quatenus eius veneratio libera eſt, cogitur, ad eas ſeſe formas vt accommodet, quibus ſolum per leges coactiuas poteſt auctoritas conciliari, et quod ſponte ſe publicae cuiusque hominis criticae exponit, id ſeſe debet criticae, poteſtatem tenenti, hoc eſt, cenſurae ſubiicere.

Interim, cum praeceptum: obſequere magiſtratui! tamen etiam morale ſit, eiusque obſeruatio, vti officiorum omnium, poſſit ad religionem vocari, decet disputationem, quae conceptui religionis determinato deſtinata eſt, vt ipſa quoque exemplo ſit huius obedientiae, quae vero non per attentionem ad legem vnius in ciuitate inſtituti ſolum poteſt, verum etiam veneratione omnium coniuncta probari. Iam theologus libros iudicans vel vt talis eſſe conſtitutus poteſt, qui duntaxat ſalutem curet animorum, vel etiam vt talis, qui ſimul ſaluti proſpiciat ſcientiarum; ille iudex ſolum vt clericus, hic ſimul vt eruditus. Huic poſteriori vt articulo inſtituti publici, cui (ſub titulo vniuerſitatis) ſcientiae omnes excolendae contraque iniuriam tuendae concreditae ſunt, incumbit, vt arrogantias prioris ad conditionem adſtringat, vt ne cenſura eius nullam in campo ſcientiarum vaſtationem excitet, et cum ambo biblici ſunt theologi, poſteriori vt vniuerſitatis articulo ab eo ordine, cui haec theologia tractanda demandata eſt, cenſura princeps competat; quoniam, quod rem priorem (ſalutem animorum) attinet, vtrique idem munus eſt; quod vero alteram ſpectat poſteriorem (ſcientiarum ſalutem), theologo vt docto in vniuerſitate conſtituto munere adhuc peculiari defungendum videtur. Quodſi ab hac regula diſceſſeris, tandem eo, neceſſe eſt, deferaris, vbi iam alias (velut tempore Ga-

lilei) fuit, nimirum vt theologus biblicus, ad compescendam ſcientiarum ſuperbiam faſtumque parcendumque labori in iis, audeat adeo in aſtronomiam, aliasue ſcientias, velut geographiam veterem inuadat, vtque populi, qui in ſe ipſi vel nec facultatis, vel nec ſtudii ſatis deprehendunt, ſe contra impetus exſpectatos defendunt, omnia circa ſe in deſerta conuertunt, omnes intelligentiae humanae conatus prohibeant.

Verum theologiae biblicae in campo ſcientiarum ex aduerſo ſtat theologia philoſophica, quae in bonis eſt alii cuidam ordini concreditis. Quae, ſi modo intra terminos ſolius ſeſe rationis continet, et ad confirmandas illuſtrandasque ſententias ſuas hiſtoria, linguis, librisque omnium populorum, ipſisque libris ſacris vtitur, ſed modo pro ſe, neque hisce ſententiis in theologiam biblicam illatis, neque huius doctrinis publicis, de quibus clericus priuilegio gaudet, mutatis, libertate plena polleat, oportebit, ſeſe, quoad ſua ſcientia pertinet, expandendi, et quamquam, ſi certum eſt, priorem *reapſe* terminos ſuos migraſſe, in theologiamque biblicam inuaſiſſe, theologo (ſolum vt clerico ſpectato) non poteſt ius cenſurae impugnari, tamen, ſimulac de illo adhuc dubitatur, ideoque quaeſtio oritur: vtrum per ſcripturam illud, an alia tractatione publica philoſophi factum ſit, ſolum theologo biblico, vt membro ordinis eius, ſuprema poteſt cenſura competere, quoniam hic quoque, alterum reipublicae inuitamentum, ſcilicet incrementum ſcientiarum curare iuſſus eſt, pariterque valide ac prior conſtitutus videtur.

Atque in eiusmodi cauſa quidem huic ordini, non vero philoſophico, prima cenſura competit; quoniam

ille folus eft de certis quibusdam doctrinis priuilegio ornatus, hic vero liberum fuarum commercium exercet, proinde ille tantummodo de eo queri poteft, quod iuri fuo proprio derogetur. Verum dubitatio de laefione iuris, quamuis vtriusque fibi inuicem doctrinae propius accedant, metuaturque ne a parte theologiae philofophicae termini migrentur, facile euitari poteft, fi modo confideres, hanc perturbationem non eo effici, quod philofophus aliquid ab theologia biblica mutuatur, quo ad finem fuum vtatur (neque enim theologia biblica inficiabitur, fefe multa, quae fibi cum doctrinis folius rationis communia funt, praeterea quoque nonnulla, quae ad hiftoriam aut philologiam ad earumque cenfuram pertinent, continere); vt etiam iis, quae ex ea mutuatur, in fignificatione vtatur foli rationi confentanea, fed huic fortaffe haud placente, fed tantummodo quatenus huic aliquid inferat, eoque eam ad alios fines dirigere velit, quantum huius conditio permittit. — Sic, exempli gratia, non poteft dici, doctorem iuris naturalis, qui quaedam claffica vocabula formulasque in vfum iurisprudentiae philofophicae fuae ex codice iuris Romani mutuatur, hoc violare, etiamfi iis, vti faepenumero fit, haud accurate in eodem fenfu vtatur, in quo fecundum interpretes iftius, accipienda fuerint, modo nolit, vt proprii iuris doctores aut adeo fora iudicialia iisdem eodem fenfu vti debeant. Quod enim nifi ad ius eius pertineret, et viciffim poffet theologus biblicus, vel iure confultus ftatutarius incufari, eos infinitis modis poffeffionem philofophiae violare, quoniam ambo, cum ratione, et vbi de fcientia agitur, philofophia nequeant carere, faepenumero ex ea, quamquam in fuum vtriusque vfum, coguntur mutuari. Quodfi vero illius prioris confilium eo fpectet, vt,

quantum fieri poſſit, in rebus religioſis nullum ſibi negotium ſit cum ratione, facile poterit praeuideri, cuiusnam in parte iactura futura videatur; namque religio, ſine vlla haeſitatione bellum inferens, contra eam haud ita diu ſeſe tuebitur. — Atque eam audeo proponere: anne vtile foret, ſi abſoluta inſtitutione academica in theologia biblica, ſemper inſuper ſingularis ſchola explicaretur de doctrina religionis philoſophica pura (quae cuncta, etiam libros diuinos, in vſum ſuum conuertit), ad filum quoddam, quemadmodum hic fere libellus (vel etiam alius, ſi melior poſſit eiusdem generis haberi), vt ad candidatum penitus exornandum neceſſaria, in fine adiiciatur. — Namque ſcientiae ſolummodo próficiunt ex ſeparatione, quatenus quaeque primo per ſe totum quiddam conſtituit, et tantummodo tum demum periculum fiat, eas in coniunctione contemplandi. Tum theologus biblicus cum philoſopho conſentiat, aut eum ſeſe oportere confutare credat; ſi modo illum audiat. Sic enim ſolum eſſe armatus poterit contra omnes difficultates, quas illi hic obſtruxerit. Has vero difficultates occultare, vel adeo vt profanas in crimen vocare, miſerum adminiculum eſt, quod ſe non poterit tueri. Vtramque autem miſcere, et ex parte theologi biblici data ſolum occaſione leuiter oculos eo conuertere, defectus doctrinae eſt ac ſubtilitatis, in quo in fine nemo ſciat, quod ſibi de religionis doctrina omnino videatur.

Quatuor earum, quae ſequuntur, diſputationum, in quibus nunc ad adfectionem religionis ad naturam humanam, partim bonis dotibus partim malis praeditam, oſtendendam, rationem boni malique principii, quaſi duarum per ſeſe conſiſtentium, vim ſuam in ho-

minibus exferentium, caufarum efficientium propono, prima iam in menftriis Berolinenfibus April. 1792. fuit inferta, neque tamen, propter accuratam materiariarum connexionem, ab hoc libello poterat, cuius vberior expofitio his tribus nunc accedentibus continetur, arceri.

PRAEFATIO POSTERIOR.

In hac altera huius libri editione nihil quidquam mutatum eft. Acceſſerunt quaedam additamenta, quae notata textui fubiecta funt.

De titulo huius operis (nam de confilio fub eo latente, quoque funt dubia prolata) praeterea moneo: cum reuelatio quoque faltim poffit religionem rationalem puram in fefe continere, fed non rurfus retro haec rationem hiftoricam illius fuperioris, iliam vt ampliorem fphaeram fidei, quae hanc pofteriorem, vt anguftiorem complectatur (non vt duos, qui extra fe fint, fed vt concentricos orbes), potero confiderare, intra quarum pofteriorem philofophus fefe pro puro rationis doctore (ex meris principiis ex anticipatione) gerere debeat, in eo proinde ab omni experientia cogitationem auocare. Ex hoc loco igitur alterum facere periculum queo, nimirum vt ab vlla quadam pro tali reputata revelatione profectus, dum ab religione rationali pura (quatenus ea fyftema in fefe confiftens conftituit) memet contineo, relationem, vt fyftema hiftoricum, cum conceptibus moralibus duntaxat particulatim comparem videamque, anne hoc idem fyftema rationale religionis purum reducat, quod non quidem refpectu theoretico

(quem in finem etiam technico-practica, viae methodique instituendi, vt doctrinae adnumeranda est), sed tamen respectu morali-practico substantialiter et in vsum religionis propriae, quae, qua conceptus rationalis, ex anticipatione qui cunctis missis empiricis relinquitur), hoc solum respectu locum habet, sufficere videatur. Quod cum contigerit, dici poterit, inter rationem et scripturam non solum facilitatem, verum etiam concordiam deprehendi, ita vt, qui vnam (ductu conceptuum moralium) sequitur, haud defuturus sit etiam cum altera conuenire. Si haud sic accideret, aut duas in vna persona religiones haberes, quod absurdum est, aut *religionem cultumque*, vbi tum, cum cultus haud (perinde ac religio) finis per se sit, sed eius tantummodo qua adiumenti pretium sit, ambae saepenumero concutiendae forent, vt ad breue tempus coeant et coniungantur, continuo vero instar olei et aquae rursum separarentur, et pars moralis pura (religio rationalis) innutaretur.

Quam coniunctionem vel illius periculum munus esse indagatori religionis philosophico iure optimo competens, neque violationem iurium theologi biblici propriorum, iam in praefatione priori monui. Postea hanc sententiam in doctrina morum beati *Michaelis* (P. I. p. 5—11.) viri in vtroque loco bene versati, laudatam, et per totum eius opus pertractatam inueni, neque tamen ordo theologicus vmquam in ea quidquam reperit iuribus suis perniciosum.

Iudiciorum de hoc libello dignissimorum hominum, partim qui nomina sua professi sunt, partim reticuecuerunt, in hac altera editione, cum (vti omnes res litterariae externae) in nostris regionibus serius inno-

tescant, non potuit rationem habere, vti sane quidem optauerim, in primis quod *annotationes quasdam theologicas* attinet celeberrimi *Storrii*, Tubingensium professoris, qui eum pro consueto acumine suo, diligentiaque atque aequitate animo summa grati animi significatione maxime digna ex animo subiecit, ad quas quidem animus est respondere, quod vero propter molestias, quas senectus, maxime tractandis ideis abstractis, obiicit, non audeo polliceri. — Iudicium, quod in nouis criticis Gripswaldensibus parte 29 inest, eadem breuitate expedire possum, quam ipse censor in iudicando scripto fecit. Illud enim ex sententia eius non nisi responsio est ad quaestionem mihimet a me ipso propositam: „qui fieri systema dogmatices ecclesiasticum in „conceptibus suis et theorematibus potest ex ratione „pura (theoretica et practica)? — Hoc proinde tentamen omnino haud ad eos pertinere, qui systema eius „(ecclesiasticum) tam minus norint atque intelligant, „quam posse istud cupiant, ideoque respectu eorum, „quasi haud exstet, spectandum videri.“ — Ad haec sic respondeo: ad hunc librum intelligendum quoad materiam essentialem opus est duntaxat vulgari morum doctrina, neque est, quod criticam rationis practicae sollicites, multo minus theoreticae, et cum, exempli gratia, virtus, vt habitus actionum officiosarum (quoad legalitatem suam) virtus phaenomenon, eadem vero, vt mens constans talium propter *officium* actionum (ob moralitatem earum) virtus noumenon dicitur, tum istis vocabulis tantummodo scholae causa vtimur, res ipsa vero in institutione paruulorum maxime populari, sacraue oratione, quamuis aliis verbis, continetur et facile potest intelligi. Quod posterius si dici itidem de mysteriis ad doctrinam religionis adnumeratis de natura di-

vina possēt, quae, quasi tota popularia sint, in catechismum inseruntur, serius demum autem in conceptus morales conuertenda sunt, si ab vnoquoque debeant intelligi! Regiomonti, prid. VII. Calend. Februar. CIϽIϽCCLXXXXIIII.

CAPUT PRIMUM

DE

INHABITATIONE PRINCIPII MALI

IUXTA BONUM

SIVE

DE MALO RADICALI

IN

NATURA HUMANA.

Mundum in malo verfari: querela eft tam vetus, quam hiftoria, vel ipfa vetuftior poefis, quin pariter vetus atque omnium fictionum vetuftiffima, religio facerdotalis. Omnes nihilominus mundum faciunt a bono promordia capientem: ab feculo aureo, a vita in paradifo, vel a beatiore quadam, in communione naturarum coeleftium. Sed eam felicitatem mox faciunt inftar fomnii euanefcentem; et nunc lapfum in malum (morale, quocum phyficum femper pari paffu ambulavit) ad peius citato acceleratoque lapfu feftinantem: *) ita vt nunc (fed iftud nunc tam vetus eft, quam hiftoria) tempore extremo viuamus, diesque extremus et mundi interitus immineat, in nonnullisque Hindoftanorum regionibus iudex mundi atque vaftator *Ruttrenus* (alias et *Siba* feu *Siwenus* dictus) iam vt in praefens poteftatem tenens deus colatur, conferuatore mundi *Wifchnu* munere, quod a creatore *Brama* in fe receperat, defatigato, multisque abhinc feculis otium fecuto.

*) Aetas parentum, prior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiofiorem.

Horat.

Recentior, ſed multo minus diſperſa, contraria ſententia heroica eſt, qui fere ſolum in philoſophis, et noſtris temporibus maxime in paedagogis, locum obtinuit: mundum ſcilicet ipſa directione conuerſa, nimirum a peiori ad melius, adſiduo (quamuis vis animadvertatur) progredi, certe initia illius in natura humana deprehendi. Quam ſententiam profecto haud ex experientia hauſerunt, ſi de bono *morali* maloue (non vero de cultura et politura) ſermo eſt: tum enim omnium temporum hiſtoria maximopere contra eos teſtatur; verum ſine dubio ſumtio doctorum morum eſt, ab bona mente profecta, inde ab Seneca vsque ad *Ruſſauium*, vt ad indefeſſam culturam ſtaminis boni fortaſſe nobis inſiti impellamur, ſi modo de fundamento naturali illius poſſimus in homine certi videri. Huc accedit: quod, cum homo per naturam (id eſt, vti naſci ſolet), reſpectu corporis, ſit ſanus ſumendus, non ſit, cur haud itidem quoad animum eodem iure ab natura ſanum eum bonumque ſumere debeamus. Ad haec initia boni in nobis moralia efformanda, nos proinde naturam ipſam iuuare. „Sanabilibus aegrotamus malis, nosque *in re-„ctum genitos* natura, ſi ſanari velimus, adiuuat:" verba ſunt *Senecae*.

Quoniam tamen ſane fieri poſſet, vt in vtraque experientia putatitia errare potueris; quaeritur: anne certe medium quiddam fieri queat, nimirum: hominem in ſuo genere nec bonum eſſe nec malum; aut fere etiam vnum proinde atque alterum, ex parte bonum, ex parte malum eſſe poſſe? — Sed homo malus dicitur, non idcirco, quia actiones patrat, quae malae (legibus contrariae) ſunt; verum propterea, quod hae ita comparatae ſunt, vt ex iis ad malas in eo normas concludi queat. Atqui actiones legibus contrarias poſſumus quidem per experientiam animaduertere, etiam (certe per ſe ipſas) cum conſcientia legibus contrarias eſſe; ſed normae haud poſſunt obſeruari atque animaduerti, adeo haud ſemper in ſe ipſae, proinde iudi-

cium, qui eas perpetrat, malum hominem esse, non certo potest in experientia constitui. Ergo ex vna, quin vna cum conscientia actione mala, necesse foret, vt ex anticipatione ad normam malam, quae fundamento subsit, atque ex hac ad causam in subiecto vniuersi sitam omnium singularium normarum malarum moralium, quae ipsa vicissim norma sit, posset concludi, vt homo queat malus appellari.

Ne vero statim vocabulo *naturae* offendare, quod, si (vt solet) contrarium causae actionum ex libertate significaret, cum praedicatis *moraliter* boni maliue, pugnaret; notandum est: hoc loco naturam hominis duntaxat causam subiectiuam vtendae libertatis generatim (sub legibus moralibus obiectiuis) quae omnem, quae sub sensus cadit, actionem antecedat, denotari; vbi ista cumque causa lateat. Haec causa subiectiua vero semper vicissim ipsa esse actus libertatis debebit (alioquin enim vsus abusuue arbitrii hominis respectu legis moralis, illi posset imputari, nec bonum in eo malumue morale dici). Proinde in nulla re arbitrium per inclinationem *determinante*, in nullo appetitu naturali, sed solum in regula quadam, quam arbitrium sibi ipsi in vsum libertatis suae praecipit, nimirum in quadam norma, potest mali causa inesse. De qua igitur haud vlterius quaeri posse, oportebit, quaenam ratio causaque illius sumendae, nec potius contrariae normae, subiectiua in homine videatur. Etenim si haec causa rationque postremo ipsa nulla amplius norma, sed solus naturae appetitus esset; vsus libertatis totus posset ad determinationem per causas naturales reuocari; id quod ei vero repugnat. Cum igitur dicimus: homo natura bonus est, aut, natura malus est: tum duntaxat hanc vim habet: is continet in sese causam primam (nobis haud peruestigabilem) *) normarum bonarum, vel ma-

*) Causam rationemque sumendarum normarum moralium subiectiuam haud peruestigabilem esse, iam ex eo in ante-

larum (legibus contrariarum) ſumendarum; et vniuerſe quidem qua homo, proinde ſic, vt iis ſimul notam et characterem generis ſui exprimat.

Quamobrem de vno horum characterum (hominis ab aliis, quae eſſe poſſunt, naturis rationalibus diſtinguendi) dicemus: illi *innatus* eſt atque inſitus; et tamen praeterea fatebimur, haud culpam naturae eſſe (ſi malus ſit) nec laudem (ſi bonus videatur), ſed hominem eſſe ipſum illius auctorem. Quoniam vero ratio prima normarum noſtrarum adipiſcendarum, quae ipſa viciſſim ſita in libero arbitrio ſit, neceſſe eſt, nullum eſſe factum poteſt, quod dari per experientiam poſſet; bonum malumue in homine (vt ratio prima ſubiectiua huius illiusue normae conſtituendae, reſpectu legis moralis in *eo* ſolum ſenſu innata atque inſita vocatur, quo iſtud ante omnem vſum libertatis in experientia datum (in iuventute prima retro vsque ad partum) fundamento ponitur, atque ita vt cum partu ſimul in homine praeſens, repraeſentatur; non vero partum fere eius cauſam videri.

Scholion.

Pugnae ambarum ſupra propoſitarum hypotheſium enunciatio disiunctiua fundamento ſubeſt: *homo* (natura) *aut moraliter bonus eſt aut moraliter malus.* Verum cuique facile in mentem venit, interrogare: an quoque ea disiunctio vera ſit; et num haud quiſpiam poſſit con-

ceſſum poteſt intelligi: quod, cum haec ſumtio adoptatioque libera ſit, cauſa eius (quare, vt hoc vtar, malam normam, nec potius bonam adoptauerim) in nullo elatere naturae, ſed ſemper rurſum in norma quadam quaerenda eſt; et, cum haec quoque cauſam habeat, neceſſe ſit, praeter normam autem *ratio determinandi* arbitrii liberi nec debeat adferri nec poſſit, in ſerie rationum determinandi ſubiectivarum in infinitum vsque longius retro amandamur, neque vmquam poſſumus ad cauſam rationemque primam pertinere.

tendere, hominem natura neutrum esse; alii vero: eum vtrumque simul esse, nimirum in quibusdam partibus bonum, in aliis malum. Atque adeo experientia medium istud in hisque duobus extremis confirmare videtur.

Verum doctrinae morum omnino permultum interest, vt nullae res morales mediae, neque in actionibus (adiaphora) neque in characteribus humanis, quoad eius fieri possit, concedantur: quoniam in tali ambiguitate (amphibolia) omnes normae in discrimen vocantur, determinationis suae firmitatisque perdendae. Ii, qui hanc seueram sententiam sequuntur, plerumque (nomine, quod vituperium debet in se continere, reapse vero laudi cedit) *rigoristae* vocantur; et sic eorum adversarii atque quasi antipodes queunt *latitudinarii* dici. Hi igitur vel latitudinarii sunt neutrarum partium, et *indifferentistae* dicantur, vel coalitionis, et *syncretistae* vocentur. *)

*) Cum bonum est $=a$, tum illi e disiunctis contrarium, non bonum, est. Hoc igitur consequens est vel solius defectus rationis boni $=o$, vel rationis positiuae contrarii illius $=-a$; in hac posteriore causa non bonum etiam malum positiuum dici potest. (Respectu voluptatis et doloris est quiddam medium eiusmodi, ita vt voluptas $=a$, dolor $=-a$ et status, in quo neutrum deprehenditur, ratio media atque aequa $=o$ sit). Si igitur lex moralis in nobis non esset elater arbitrii; moraliter bonum (conuenientia arbitrii cum lege) $=a$, non-bonum $=o$, hoc vero solum consequens deficientis elateris moralis $=a \times o$ foret. Atqui ea in nobis elater $=a$ est; ergo defectus conuenientiae arbitrii cum ea ($=o$) duntaxat vt consequens determinationis arbitrii realiter oppositae, hoc est, cuiuspiam *renisus* illius $=-a$, nimirum tantummodo per arbitrium malum, fieri potest; et inter malam mentem et bonam (principium normarum internum), ex qua etiam actionum moralitas diiudicanda est, nihil quidquam medium est. Actio moraliter indifferens (adiaphoron morale) actio foret solum ex legibus naturalibus proficiscens, quae proinde ad legem moralem, vt legem libertatis, neutiquam adfecta est; propterea quod

Responsio quaestionis, cuius modo mentionem fecimus, ad modum decidendi rigorosum *) in obserua-

ea in nullo facto posita est, eiusque respectu nec *praeceptum*, nec *vetitum*, nec *permissio* (*potestas* legalis) locum habet, nec opus videtur.

*) Celeberrimus *Schillerus* in dissertatione scite conscripta (*Thalia* 1793. Pars III.) de *gratia* in philosophia morali et *dignitate* eiusdem hanc obligationis repraesentandae rationem improbat, quasi tenorem mentis in se cohibeat similem carthusiani; verum, cum de grauissimis principiis conveniamus, nec in hoc queo discrepantiam concedere; modo mentem nostram nobis inuicem possimus explicare. — Lubenter fateor: me *conceptui officii*, ob ipsam dignitatem eius nullam posse *gratiam* adiungere. Is enim coactionem absolutam continet, cui gratia directo repugnat. Maiestas legis (instar sinaiticae) reuerentiam instillat (non timorem, qui repellit, neque illecebras, quae inuitant ad familiaritatem) quae *obseruantiam* subditi erga imperantem, sed in hac causa, cum hic in nobis ipsis insit, *sensum sublimitatis* propriae destinationis nostrae excitat, qui plus nos abripit quam omnis pulcritudo. — Sed *virtus*, id est, mens firmiter constituta officii accurate faciendi, in effectis suis magis quoque *benefica* est, quam vniuersa, quae ab natura vel arte possunt in mundo praestari; et praeclara humanae naturae imago, in hac forma sua proposita, facile concedit *gratiarum* concomitantiam, quae vero, dum de officio solo sermo sit, propius accedere verecundantur. Sin vero grata consequentia spectentur, quae virtus, si vbique aditus sibi pateret, in mundo dispersura foret, tum ratio moraliter directa sensualitatem (per phantasiam) excitat. Solum monstris deuictis Hercules fit *Musagetes*, quem laborem bonae sorores illae reformidant. Hae Veneris Vraniae comites amicae sunt a Venere stipatae Dione, simulatque se determinando officio immiscere volunt eiusque elateres suppeditare. — Si igitur quaeratur: qualis est natura *aesthetica*, quasique *temperamentum virtutis*, animosa proinde *laeta*, an anxie demissa et tristis? vix erit, quod opus sit responsione. Hic posterior animi tenor seruilis numquam potest sine occulto quodam legis *odio* locum habere, laetusque in officio *faciendo* animus (non vero sensus in *agnoscendo* illo gratus) signum est probitatis mentis honestae, vel in ipsa *pietate*, quae non in peccatore poenitente sese ipsum excruciante se prodit (quod res est admodum ambigua et plerum-

tione nititur philosophiae morali grauissima: libertas arbitrii hanc naturam habet prorsus peculiarem, vt nullo possit elatere ad actionem quamdam determinari, *nisi quatenus eum homo in normam suam receperit* (sibi illud pro regula vniuersali constituerit, ad quam sese componeret); sic solum elater, quicumque sit, cum spontaneitate arbitrii absoluta (libertate) potest consistere. Verum lex moralis per se ipsa in iudicio rationis elater est, et, qui ea pro norma vtitur, is *moraliter* bonus est. Cum igitur lex cuiuspiam arbitrium, respectu actionis eam spectantis, nihilominus haud determinat; tum necesse est, vt elater ei contrarius vim habeat in arbitrio illius; et, cum hoc per sumtionem eo solum fieri queat, vt hunc (proinde et declinationem a lege morali) homo in normam suam recipiat (quo posito homo malus est); meus eius animique sententia respectu legis moralis numquam erit indifferens (numquam neutrum, nec bonus, nec malus).

Nec vero homo in quibus partibus moraliter bonus, in aliis simul malus esse potest. Etenim si in vna re bonus est, legem moralem in normam suam recepit; si igitur in alia re simul malus esset, tum, quoniam lex moralis faciendi officii omnino non nisi vna est et vniversalis, norma ad eam relata vniuersalis, sed simul duntaxat singularis foret: id quod secum pugnat. *)

que interna reprehensio de peccato contra regulam prudentiae commisso) verum in firmo consistit proposito olim melius agendi, quod per bonum successum incensum, non potest non laetum animi tenorem efficere, sine quo numquam certi sumus, nos boni *amorem suscepisse*, hoc est, in normam illud nostram recepisse.

*) Veteres philosophi morales, qui omnia fere, quae dici de virtute possunt, exhausere, duas quaestiones illas itidem haud intactas reliquerunt. Superiorem sic enunciarunt: an virtus disci debeat (homo proinde natura ad eam vitiumque indifferens sit)? Altera haec erat: an plures vna virtute videantur (proinde haud fere eueniat, vt homo in quibusdam partibus honestus, in aliis turpis sit)? Vtraque cum

Vnum alteramue animi fententiam vt qualitatem infitam atque innatam ab natura habere, hoc loco hanc vim habet, ac fi ab homine, qui eam fouet, haud acquifita fit et comparata, id eft, non auctor fit; fed eam tantummodo haud in tempore acquifitam partamque effe (eum vnum alterumue *femper effe a iuuentute*). Sententia animi, hoc eft, ratio prima fubiectiua normarum adoptandarum, non nifi vna effe poteft, vniuerfeque totum libertatis vfum fpectat. Sed ea ipfa quoque per liberum arbitrium adoptata fit, neceffe eft, alias enim ea non poffet imputari. Et huius quidem adoptandae ratio fubiectiua caufaue haud viciffim poteft cognofci (quamquam euitari non poteft, quin eam anquiramus; fiquidem alias rurfum norma deberet adduci, in quam ea mens atque fententia recepta fit, cuius itidem ratio fit, oportebit). Itaque cum eam mentem atque fententiam, vel eius potius rationem fupremam ab vllo quodam temporis actu arbitrii nequeamus deriuare, eam dicimus qualitatem arbitrii, quae ei (quamuis reapfe in libertate fundata fit) natura competat. Nos vero iure poffe in homine, quem natura bonum dicimus malumue, non fingulum intelligere (vbi tum vnus natura poffet bonus, alter malus fumi), fed totum genus: non nifi vlterius probari poteft, cum in inueftigatione anthropologica patebit, rationes, quibus ducti homini vlterutrum characterem tribuimus, ita comparatas effe, vt haud fic, cur aliquem hominem excipiamus, eumque proinde de genere valere.

fumma ac rigorofa diligentia negabatur, et iure quidem; fiquidem virtutem *per fe* fpectabant in idea rationis (quomodo homo effe debeat). Cum vero hanc naturam moralem, hominem *in phaenomeno*, id eft, quomodo eum nobis experientia oftendit, moraliter diiudicare volueris. tum ad vtramque quaeftionem poteris aiendo refpondere: tum enim non ad rationis purae libram (coram iudicio diuino iudicatur), fed ex menfura empirica (ab iudice humano) iudicatur. De quo infra adhuc difputabitur.

I.

DE INITIIS BONI ORIGINARIIS IN NATURA HUMANA.

Ea vero initia, respectu finis eorum, commode possunt ad tres classes, vt elementa hominis determinandi reuocari.

1) Initia *naturae* hominis *animalis*, vt *viui.*

2) *Naturae humanae* illius, vt viui et simul *rationalis.*

3) *Personalitatis*, vt naturae ratione praeditae et simul *imputationis capacis.* *)

1) Initia *animalis naturae* in homine ad titulos generales philautiae physicae possunt et solum *mechanicae*, hoc est, eiusmodi reuocari, ad quam haud ratio postulatur. Ea triplicis generis sunt: *primo* ad conseruationem sui ipsius; *deinde*, ad propagationem generis per appetitum sexus, et ad ea conseruanda quae ex con-

*) Haec non possunt, vt iam in conceptu superiorum complexa spectari, sed necessario sunt vt peculiaria initia consideranda. Inde enim quod natura ratione praedita est, minime sequitur, eam et facultatem continere, arbitrii, per solam repraesentationem qualificationis normarum illius ad legislationem vniuersalem, absolute determinandi, et vt proinde practica possit: certe quantum intelligere possumus. Natura mundana omnium maxime ratione excellens tamen semper posset certorum quorumdam elaterum, ex rebus inclinationi propositis ad sese redundantium, ad determinandum arbitrium, indigere, ad id vero deliberationem prudentissimam adhibere, cum quoad maximam elaterum summam, tum adiumenta quoque, finis eo determinati consequendi: neque tamen vel possibilitatem modo eiusmodi, quam lex moralis est simpliciter imperans, quae sese vt ipsum elaterem, et summum quidem adnunciat, diuinando adsequi. Quam legem, nisi data in nobis foret, qualem per nullam vnquam rationem argutando inueniremus, aut arbitrio adfingere: et tamen haec lex vna est, qua fit, vt arbitrii nostri a determinatione per omnes elateres alios (libertatis nostrae) vacui, eoque simul imputabilitatis omnium actionum nobis conscii simus.

iunctione cum eo procreantur; *tertio* ad communionem cum aliis hominibus, in quo cernitur appetitus societatis. — In iis varia possunt vitia implantari (quae vero non ex illis initiis, instar radicum, sponte enascuntur). Ea vitia *ruditatis* naturae possunt adpellari; a summoque deflectentes fine naturae *vitia belluina* euadunt et *vinolentiae*, et *voluptatis* et *ferae* effrenataeque *legum despicientiae* (respectu aliorum hominum) nomina induunt.

2) Initia *naturae humanae* ad titulum generalem philautiae possunt physicae quidem, sed tamen *comparantis* (ad quam ratione opus est) reuocari; ad se ipsum scilicet tantummodo cum aliis comparatum vt felicem vel infelicem diiudicandi. Ex iis descendit inclinatio, *sibi ex aliorum sententia pretium comparandi;* idque originarie *aequalitatis:* vt nullum te patiare superiorem, perpetuoque metuas, ne alii te superare conentur; vnde fere concupiscentia iniusta exsistit alios vincendi. — In quo quidem, nempe in *zelotypia* et *aemulatione*, maxima possunt vitia, et occultarum et apertarum offensarum erga omnes, quos nobis pro alienis putamus, implantari; quae tamen proprie neutiquam ex natura, vt radice sua, sponte progerminant; sed, dum metuas, ne alii odiosam prae te excellentiam ambiant, inclinationes sunt, propter securitatem, tibimet ipsi quo caueas, principatus potiundi: cum tamen natura ideam eiusmodi aemulationis (amorem mutuum per se haud excludentis) vellet tantummodo vt elaterem adhibere culturae. Vitia proinde, quae in hac inclinatione implantantur, possunt quoque vitia *culturae* dici; summoque prauitatis gradu (vbi tum solum in idea versantur maximi prauitatum, naturam humanam superantium), velut in *inuidia*, in *animo ingrato*, *gaudio de malis alienis*, et id genus aliis, *vitia diabolica* adpellantur.

3) Initia *personalitatis* consistunt in receptiuitate obseruantiae erga legem moralem, *vt elaterem arbitrii per se idoneum*. Receptiuitas solius erga legem moralem

obseruantiae in nobis sensus foret moralis, quo per se nondum finis initiorum naturalium efficitur, sed modo quatenus ea in elatere arbitrii versatur. Quod cum tantummodo eo fieri queat, quod liberum arbitrium eam in normam suam recipit; qualitas eiusmodi arbitrii in charactere bono cernitur; qui, vti quisque omnino character liberi arbitrii, quidpiam est, quod solum possit acquiri, cuius vero possibilitatis tamen, necesse est, initia in nostra natura adesse, in quibus nullo modo potest quidquam mali implantari. Idea legis moralis sola, cum obseruantia ab ea inseparabili, haud facile potest *initiorum personalitatis* nomine notari; ea est personalitas ipsa (idea humanae naturae prorsus intellectualiter spectata). Verum, quod hanc aestimationem pro elatere in normas nostras recipimus, eius quidem ratio causaque subiectiua additamentum esse ad personalitatem videtur, quod proinde dignum sit nomine initiorum in vsum illarum.

Hisce, quae diximus, tribus initiis ex conditionibus possibilitatis consideratis, deprehendimus, *primis* rationem nullam, *secundis* practicam quidem, sed aliis tantummodo elateribus seruientem, *tertiis* vero solum per se ipsam practicam, hoc est, absolute legislatoriam rationem pro radice videri: cuncta haec in homine initia non solum (negatiue) *bona* sunt (haud ea pugnant cum lege morali), verum quoque *boni* initia sunt (boni sequelam promouent). Ea sunt *originaria;* pertinent enim ad possibilitatem humanae naturae. Homo quidem duobus primis vti peruerse potest, sed nulla illorum delere atque euertere. Nomine initiorum cuiusdam naturae cum partes constitutiuas necessarias intelligimus, tum formas coniunctionis illarum, vt talis natura videatur. Eae sunt *originariae*, cum ad possibilitatem eiusmodi naturae necessario pertinent; sed *fortuitae*, cum etiam iis vacua eiusmodi natura possibilis foret. Praeterea notandum est, hoc loco sermonem de nullis aliis initiis esse, nisi de iis, quae proxime facultatem adpetendi spectant vsumque arbitrii.

II.

DE PROPENSIONE AD MALUM IN NATURA HUMANA.

Propenſionem dico rationem ſubiectiuam poſſibilitatis inclinationis (concupiſcentiae), quatenus humanae naturae generatim fortuita eſt. *) Ea in eo ab initiis diſtinguitur, quod eſſe quidem innata atque inſita poteſt, verum tamen non qua talis debet repraeſentari: ſed etiam (ſi bona eſt) vt parta et *acquiſita*, aut (ſi mala eſt) vt ab ipſo homine ſibi *contracta* poteſt cogitari. — Verum hoc loco duntaxat de propenſione ad proprie, ſcilicet moraliter malum ſermo eſt; quod, cum tantummodo vt determinatio liberi arbitrii fieri poſſit, hoc vero vt bonum malumue ſolum queat ex normis diiudicari, neceſſe eſt, vt in ratione cauſaque poſſibilitatis normarum a lege morali deflectendarum ſubiectiua conſiſtat, et, cum haec propenſio vt vniuerſe ad hominem (proinde, vt ad characterem generis eius) pertinens ſumi poteſt, propenſio *naturalis* hominis ad malum vocabitur. — His addi poterit, capacitatem vel incapacitatem arbitrii ex propenſione naturali orientem, legis moralis in normas ſuas recipiendi, vel minus, *animum bonum* dici *malumue*.

*) *Propenſio* proprie tantummodo in *praedispoſitione* ad adpetendam fruitionem conſiſtit, quae, ſi ſubiectum expertum fuerit, *inclinationem* ad eam producit. Sic cunctis hominibus rudibus propenſio ineſt ad res inebriantes; nam, etſi multi illorum ebrietatem minime norint, ideoque nullam omnino cupiditatem habeant rerum, eam efficientium, tamen ſemel tantum poteſtatem iis eius experiendae facere potetimus, vt cupiditas in iis vix exſtirpanda excitetur. — Inter propenſionem et inclinationem, quae notitiam ſupponit rei appetitioni ſubiectae, medius eſt *inſtinctus*, quae in neceſſitate conſiſtit ſenſu percepta, faciendi quidpiam eoue fruendi, cuius tamen nullum conceptum habeas (velut inſtinctus technicus beſtiarum, vel inſtinctus ſexus). Inde ab inclinatione denique gradus quoque eſt facultatis adpetendi, *paſſio* (non *adfectus*, quippe qui pertinet ad ſenſum voluptatis et taedii), quae in inclinatione verſatur, impetium in ſe ipſum excludente,

Tres illius gradus possunt diuersi cogitari. *Primo* infirmitas humani animi in sequendis normis probatis in vniuersum continetur, siue *fragilitas* humanae naturae; *alter* deinde propensionem complectitur ad elateres non morales cum moralibus (vel si bono consilio, et ex normis boni fieret) miscendos; hoc est, *impuritatem; tertius* propensionem attingit ad normas malas accipiendas, nimirum *vitiositatem* naturae humanae, siue humani animi.

Primo, fragilitas humanae naturae ipsa est in querela apostoli complexa: voluntas quidem mihi est, sed deest effectio, hoc est, bonum (legem) in normam arbitrii mei recipio; verum hoc, quod obiectiue in idea (in thesi) elater inuictus est, subiectiue (in hypothesi), si sequi debet norma, infirmior est elater (cum propensione comparatus).

Deinde, *impuritas* (improbitas) humani animi in eo consistit, quod norma secundum rem obiectam (propositam legem seruandam) quidem bona et fortasse quoque ad actionem satis valida, non vero pure moralis est, hoc est, haud, pro eo ac fieri deberet, legem *solam* pro elatere *idoneo* in sese recepit: sed plerumque (fortasse semper) et aliis praeter eam elateribus indiget, ad arbitrium ad id, quod in officio est, determinandum. Aliis verbis, quod actiones officio consentaneae haud purae propter officium fiunt.

Tertio, vititiositas (prauitas), aut, si malueris, *corruptio* animi humani cernitur in propensione arbitrii ad normas, elateres ex lege morali aliis (non moralibus) postponendi. Potest ea quoque peruersitas animi humani vocari, quoniam ordinem moralem respectu elaterum *liberi* arbitrii peruertit, et, quamquam etiamnum possunt actiones legales cum eo consistere, tamen mens eo animique sententia in radice sua (quod mentem moralem attinet) corrumpitur, et homo propterea vt malus denotatur.

Animaduertes, propenſionem ad malum hic in homine, vel in optimo (quoad actiones) proponi, quod etiam fieri debet, ſi vniuerſalitas propenſionis ad malum in hominibus, ſiue, quod hoc loco eamdem vim habet, eam cum natura humana contextam eſſe, euinci debeat.

Sed inter hominem bene moratum, et moraliter bonum, quantum conuenientiam actionum ſpectat cum lege, nullum diſcrimen eſt (ſaltem nullum eſſe debet); modo earum in vno haud fere ſemper, fortaſſe numquam, lex, in aliis vero *ſemper* ea ſit pro vno ſoloque ac ſummo elatere, De illo ſuperiore dici poteſt, eum ſequi legem quoad *literam* (id eſt, quod actiones ſpectat, ab lege praeceptas); alter autem dici poterit legem ſervare ex *mente* animoque (mens legis moralis conſiſtit in eo, quod ea ſola eſt ad elaterem idonea). *Quidquid non ex hac fide ſit, peccatum eſt* (quoad mentem animique ſententiam). Etenim, ſi aliis elateribus opus ſit ad arbitrium ad actiones *legales* determinandum, quam ipſa lege (veluti ambitione, philautia in genere, quin adeo inſtinctus probus, cuiusmodi commiſeratio eſt; ſolum fortuito ſit, vt hae cum lege conueniant; poſſent enim pariter ad transgreſſionem impellere. Norma, ex cuius bonitate omne perſonae pretium morale aeſtimandum eſt, proinde tamen illegalis eſt, et homo nihilominus in actionibus bonis omnibus malus erit.

Quae nunc ſequitur, illuſtratio neceſſaria eſt, vt conceptum queas huiusce propenſionis determinare. Omnis propenſio atque procliuitas aut phyſica eſt, nimirum ad arbitrium pertinet hominis vt naturae phyſicae; aut moralis, id eſt, ad arbitrium eius vt naturae moralis. — Priori ſenſu nulla eſt ad moraliter malum propenſio; hoc enim ex libertate oriatur, neceſſe eſt; et propenſio phyſica (in impulſionibus ſenſitiuis fundata) ad vllum quempiam libertatis vſum, ſiue ad bonum ſiue ad malum, pugnat. Ergo propenſio ad malum non poteſt, niſi morali arbitrii facultati adhaerere. Iam nihil moraliter malum (id eſt, quod imputari queat) eſt,

quam quod noſtrum *factum* proprium ſit. Contra in conceptu propenſionis rationem determinandi arbitrii ſubiectiuam intelligimus, *vnum quodque facinus antegreſſum*, quae proinde ipſa nondum facinus ſit; vbi tum in conceptu ſolius propenſionis ad malum repugnantia ineſſet, niſi hoc vocabulum forte duplici ſignificatione diuerſa, quae tamen vtraque poteſt cum libertatis conceptu coniungi, ſumi poſſet. Verum vocabulum facinoris in genere cum de eo poteſt libertatis vſu valere, quo norma ſuprema (legi conuenienter vel adverſum) in arbitrium recipitur, tum de eo quoque, cum actiones ipſae (quoad materiam, id eſt, res ſpectantes arbitrio ſubiectas) illi normae congruenter fiunt. Propenſio ad malum autem facinus eſt in ſuperiori ſignificatione (peccatum originarium), ſimulque ratio formalis cuiusque facinoris illegalis ſenſu poſteriori ſumta, quod quoad materiam ei repugnat, et vitium (peccatum deriuatiuum) adpellatur; priorque culpa manet, licet altera (ex elateribus contractae, qui non in lege ipſa conſiſtunt) ſaepenumero euitaretur. Illud facinus intelligibile eſt, ſolum per rationem ſine omni conditione chronica cognoſcibile; hoc ſenſibile, empiricum, in tempore datum (factum phaenomenon). Illud prius igitur praeſertim cum altero comparatum, ſola propenſio dicitur, atque innatum, quoniam haud exſtirpari poteſt (cuius quippe norma ſuprema eſſe norma boni deberet, quae ipſa vero vt mala in illa propenſione ſumitur); maxime autem idcirco, quia aeque minus: cur malo in nobis ipſa norma illa ſuprema corrupta fuerit, quamquam hoc noſtrum proprium facinus eſt, haud vlteriorem docere cauſam poſſumus, atque proprietatis conſtitutiuae, ad noſtram naturam pertinentis. — In iis, quae modo dicta ſunt, rationem inuenies, quare in hac ſectione ſtatim in principio tres illos mali moralis fontes tantummodo in eo quaereremus, quod ex legibus libertatis rationem ſupremam adipiſcendarum ſequendarumue normarum noſtrarum, adficit, non vero ſenſualitatem (qua receptiuitatem).

III.

HOMO NATURA MALUS EST.

Vitiis nemo fine nafcitur. . Horat.

Sententia: homo *malus* eft, ex iis, quae in fuperioribus difputata funt, nullam vim poteft aliam habere, quam: fibi confcius eft legis moralis, et tamen (occafione data) transgreffionem legis in normas fuas recepit. *Natura* malus eft, hanc vim habet: valet iftud de eo in genere fpectato; non quafi eiusmodi qualitas poffet e conceptu eius generico (hominis generatim) elici (tum enim ea neceffaria foret) verum non poteft pro eo, ac per experientiam nofcitur, aliter diiudicari, aut in vnoquoque homine, vel optimo poteft, vt fubiectiue neceffarium fupponi. Quae igitur propenfio, cum ipfa queat vt moraliter mala, proinde non vt in initiis naturae, verum vt aliquid, quod homini imputari poffit, confiderari, proinde in normis, oportebit, arbitrii illegalibus confiftat; hae vero, propter libertatem, per fe vt fortuitae fpectandae fint, quod rurfum non poteft cum vniuerfalitate huius mali conciliari, nifi ratio fubiectiua fuprema omnium normarum cum natura ipfa humana, quocumque fiat, contexta fit in eaque quafi radicibus infixa: poterit propenfio ad malum naturalis, et cum ipfa femper ex fua ipfiusculpa contracta effe debeat, ipfa *malum radicale*, innatum (nihilo tamen fecius a nobis ipfis contractum) in natura humana vocari.

Eiusmodi autem propenfionem corruptam altis effe in homine radicibus infixam, de eius rei veritate facile poffumus probatione fuperfedere, cum vim videamus exemplorum clamitantium, quae experientia nobis *in factis* hominum ob oculos proponit. Quodfi ex eo ftatu habere cupias, in quo nonnulli philofophi bonam indolem naturalem humani ingenii potiffimum deprehendere fperabant, nempe e *ftatu*, quem vulgo dicunt *naturali;* fpectacula crudelitatis haud folicitatae in cae-

dibus *Tofoae, nouae Selandiae, infularumque nauigatoriarum*, et numquam ceſſantes caedes in magnis deſertis illis Americae ſeptemtrionalis (quarum mentionem facit *Hearnius* centurio), vbi adeo nemo ne minimum quidem commodi inde lucratur, *) cum illa hypotheſi licet comparari, et vitia habebis ruditatis plura, quam opus eſt, ad hanc ſententiam dimittendam. Quodſi autem ſententiae faueas eorum, qui putant, naturam humanam melius poſſe in ſtatu morato (in quo initia illius plenius poſſunt euolui) cognoſci; tum longa tibi triſtisque querela humanae naturae incuſandae audienda erit: et improbitatis occultae in ipſa familiaritate intima, ita vt temperantia fiduciae in mutua patefactione vel optimorum amicorum pro norma habeatur vniverſali prudentiae in conſuetudine; et propenſionis, eum odio habendi, cui obſtrictum te ſentias, ad quam ſemper quisque benefactor eſſe debeat paratus; et beneuolentiae ex animi ſententia profectae, quae tamen locum concedit obſeruationi, „in rebus aduerſis optimorum amicorum noſtrorum ineſſe quidpiam, quod „nobis haud diſpliceat;“ et multorum aliorum ſub ſpecie virtutis occultatorum, nedum eorum vitiorum, quae minime occultantur, quoniam is iam eos bonos dicit, qui *homo malus eſt ex claſſe communi:* eique ſatis erit vi-

*) Quemadmodum belli perpetui Indianos inter Arathapeſanos et Handribbenos nullum aliud conſilium eſt, quam occiſio. Fortitudo bellica ſumma virtus ferorum eſt, ex eorum opinione. Etiam in ſtatu morato ea res eſt admirationi obnoxia ratioque obſeruantiae praecipuae, quam is ordo poſtulat, cuius haec vna laus eſt; neque tamen haud ſine omni cauſa in ratione poſita. Namque, quod homo aliquid habere ſibique poſſit pro fine proponere, quod pluris faciat, quam vitam (honorem), in quo omni vtilitatis propriae ſe ſtudio abdicat, id tamen certam quamdam excellentiam ac ſublimitatem probat in eius initiis. Verum ex ſuauitate ac dulcedine qua victores de rebus magnis ab ſe geſtis (occiſionum, tranſfixionumque ſine vlla clementia, et id genus aliorum) gloriantur, intelligitur, ſolum potentiam ſuam ſuperiorem vaſtationemque atque euerſionem, quam efficere poterant, nullo fine alio ſibi propoſito, id eſſe, quo ſeſe proprie oblectant.

tium *culturae* et politurae (quod omnium maxime ſollicitat), vt adſpectum potius a vita hominum auertat, ne ſibi ipſa aliud vitium, nimirum odium hominum contrahat. Quodſi autem in hoc nondum adquieſcat, contempletur modo ſtatum populorum ex vtrisque mire compoſitum, hoc eſt, externum, vbi populi exculti politique ad ſe inuicem adſecti ſunt ex ratione ſtatus naturalis rudis (ſtatus belli perpetui), ſibique etiam propoſuerunt, eum numquam relinquere; et principia ſocietatum magnarum, quas *ſtatus* vocamus, *) quas nondum vllus potuit philoſophus cum morum doctrina conciliare, neque tamen (quod malum eſt) meliores oſtendere, qui poſſent cum humana natura coniungi: ita vt *chiliaſmus philoſophicus*, ſtatum ſperans pacis aeternae, in pacto gentium, vt republica mundana conſtitutum, perinde ac *theologicus*, totius generis humani emendationem exſpectans moralem abſolutam, pro fanatiſmo queat vniuerſe explodi.

Ratio huius mali vero 1) non, vt plerumque perhibere ſoleat, in hominis *ſenſualitate*, inclinationibus-

*) Quorum hiſtoriam ſi tantummodo vt phaenomenon initiorum humanae naturae internorum maximam partem occultorum ſpectaueris, certum quoddam naturae iter poteris, ex finibus, qui non illorum (populorum) fines ſunt, ſed fines naturae, animaduertere. Quisque ſtatus, dum alium iuxta ſe habet, quem licet ſperari poſſe ſe vincere, nititur hunc ſibi ſubiiciendo ſeſe amplificaturum, ideoque ad monarchiam tendit vniuerſalem, quae in ſtatu cernitur, in quo vniuerſa libertas, cum eaque (quod inde ſequitur) virtus guſtusque ac ſcientia exſtingueretur. Verum portentum iſtud (in quo leges paullatim vi ſua priuantur), vniuerſis finitimis deuoratis, tandem denique ſponte ſolutum diuiditur, rebellione et diffidiis, in plures ſtatus minores, qui, cum niti debeant ad ſtatuum vnionem (rempublicam populorum liberorum ſociorum), rurſus a ſua quisque parte eumdem luſum denuo inſtituunt, ne bellum (quod generis humani flagellum eſt), deſinat, quamuis illud haud malum tam inſanabile ſit, quam tumulus monarchiae vniuerſalis (vel etiam pactum gentium, ad deſpotiam in omnibus ſtatibus retinendam) tamen, vti quempiam docere memini, plures homines malos reddit, quam tollit.

que naturalibus inde oriundis poni poteſt. Nam non ſolum, quod harum nulla recta adfectio eſt ad malum (potiusque eius, quod mentem moralem poteſt in vi eius oſtendere, virtutis copiam faciunt; non tenemur ad exſiſtentiae earum rationem reddendam (neque etiam poſſumus; quoniam vt innatis nos haud reddimur auctores), ſed ſane propenſionis ad malum, quae, dum moralitatem attingit ſubiecti, proinde in eo, vtpote natura libere agente deprehenditur, vt ei ipſi contracta imputari poſſit ei, oportebit: quantumuis maxime profunde radices eius in arbitrio haereant infixi, quocirca dici debet, eam natura in homine deprehendi. — Nec vero ratio huius mali 2) in *corruptione* poteſt rationis moraliter legislatoriae poni: quaſi haec auctoritatem ipſam legis debere poſſit, obligationemque ex ea negari; id quod fieri nullo modo poteſt. Se vt naturam libere agentem, et tamen ab lege, eiusmodi conueniente (morali), vacuam cogitare, idem foret, atque cauſam cogitare, ſine vllis legibus efficientem (nam determinatio ex legibus naturalibus ceſſat ob libertatem): id quod ſecum pugnat. — Vt igitur ratio indicetur moraliter mali in homine, *ſenſualitas* perparum continet; namque hominem ea, elateribus, qui oriri ex libertate poſſint, ſublatis, reddit ſolum *animalem;* contra ratio a lege morali abſoluens, quaſique *malitioſa ratio* (voluntas ſimpliciter mala) nimium continet, quoniam eo pugna ipſa cum lege ad elaterem (neque enim ſine omni poteſt elatere arbitrium determinari) eueheretur, atque ita ſubiectum in naturam *diabolicam* verteretur. — Neutrum vero poteſt ad hominem adhiberi.

Etſi vero exſiſtentia huius ad malum propenſionis in natura humana, per argumenta empirica pugnae in tempore verae humani arbitrii cum lege poſſet euinci, tamen haec nos non propriam naturam illius edocent, cauſamque et rationem iſtius pugnae; ſed haec, cum relationem ſpectet arbitrii liberi (proinde talis, cuius conceptus haud empiricus ſit) ad legem moralem vt elaterem (in qua conceptus itidem pure intellectualis eſt),

ex conceptu mali, quatenus fieri possit ex legibus libertatis (obligationis et imputabilitatis) ex anticipatione cognoscendum videtur. Iis, quae sequuntur, euolutio conceptus continetur.

Homo (ipse pessimus), quibus illud cumque ex normis fiat, ab lege se morali haud quasi per rebellionem (misso obsequio) abdicat. Haec illi se potius, si initiorum illius moralium, maxime obtrudit; et nisi nullus alius elater contra ageret, eam quoque vt rationem determinandi arbitrii idoneam in normam suam supremam reciperet, hoc est, moraliter bonus foret. Is vero etiam praeterea, per initia naturae itidem culpa vacua, pendet ex elateribus sensualitatis, eosque (secundum principium philautiae subiectiuum) etiam in normam suam recipit. Quum eam vero, *vt per se solam idoneam* ad arbitrium determinandum in normam suam reciperet, nullo respectu habito legis moralis (quam tamen in sese habet); moraliter malus foret. Cum vero per naturam ambo in eam recipiat; cum etiam quamque per se, si sola foret, ad determinandam voluntatem idoneam inueniret: si normarum discrimen solum ex discrimine penderet elaterum (materiae normarum), nimirum, vtrum lex, an impulsus sensitiuus esse eiusmodi queat; moraliter bonus malusque simul foret; quod (ex institutione) pugnat. Ergo necesse est, discrimen, bonusne homo an malus sit, in discrimine insit elaterum, quos in normam suam recipit (non in materiam huius) verum in *subordinatione* (formae illius): *vtram alterius faciat conditionem.* Ergo homo (vel optimus), eo duntaxat malus est, quod ordinem elaterum moralem, in iis in normam suam recipiendis, inuertit; legem moralem quidem iuxta legem philautiae in eam suscipit; cum aut animaduertat, vnam cum alia non posse consistere, sed alteram alteri, vt conditioni supremae suae subordinandam esse, elaterem philautiae eiusque inclinationes conditionem facit seruandae legis moralis, cum haec posterior potius vt *conditio suprema*

explendarum priorum in normam arbitrii vniuerſalem vt vnus ſolusque elater recipi deberet.

In hisce elateribus per normas inuertendis, contra ordinem moralem, tamen poſſunt actiones tam legales euenire, quaſi ex genuinis ortae principiis forent: cum ratio vnitate normarum, legi morali propria, eo duntaxat vtitur, vt in elateres propenſionis, ſub nomine *felicitatis*, vnitas normarum, quae alioquin non poteſt iis competere, inferatur (veluti veracitate, ſi pro principio adoptaretur, nosmet liberari ab ſolicitudine atque anxietate, mendaciorum noſtrorum conuenientiam conſeruandi, nec nos ipſos in tortuoſis illorum flexibus implicandi); vbi tum character empiricus bonus eſt, ſed intelligibilis etiamnunc malus.

Ad quod cum propenſio ineſt in natura humana, tum in homine propenſio ad malum naturalis eſt; eaque ipſa propenſio, quoniam in fine tamen in libero arbitrio quaerenda eſt, proinde imputari poteſt, moraliter mala eſt. Idque malum eſt *radicale*, quia fundamentum omnium normarum corripit; ſimul quoque vt propenſio naturalis, per vires humanas nullo tempore *exſtirpanda* eſt, quippe quod fieri non poſſet, niſi per normas bonas, quod, ratione omnium normarum ſubiectiua ſuprema vt corrupta ſuppoſita, non poteſt locum habere; nihilominus autem fieri poſſe, neceſſe eſt, vt *vincatur*, quoniam in homine deprehenditur qua natura libere agente.

Itaque vitioſitas naturae humanae non tam *malitia* eſt, hoc verbo ſenſu ſtricto ſumto, nimirum vt mens conſiliumque (principium normarum ſubiectiuum, mali *qua mali* pro elatere in normam recipiendi (haec enim diabolica eſt); ſed potius *peruerſitas* animi dicenda eſt, qui, nunc, ob conſequentiam, *animus malus* vocatur. Id quod cum voluntate, generatim bona, conſiſtere poteſt; oritur ex fragilitate naturae humanae, haud ſatis validae ad principia conſtituta ſequenda, coniunctae cum impuritate; elateres (ipſarum actionum bono conſi-

lio susceptarum) non ad regulam moralem secernendi, ideoque postremo, ad summum, solum earum cum lege conuenientiam, non vero deriuationem ab ea, hoc est, hanc qua vnum solumque elaterem spectandi. Etsi autem haud fere semper actio illegalis ad eamque propensio inde, nimirum *vitium*, oritur; tamen mens consiliumque absentiam eius iam pro conuenientia *mentis* cum lege officii (pro *virtute*) accipiendi (quippe in quo neutiquam elater in norma, sed solum lex ad literam obseruanda spectatur) ipsa iam peruersitas radicalis in animo humano dicenda est.

Hic reatus *innatus*, qui idcirco ita dicitur, quia tam mature, quam vsus libertatis in homine exseritur, percipi potest, et nihilo tamen secius ex libertate ortus sit, oportebit, ideoque imputari potest; in duobus primis gradibus (et fragilitatis et impuritatis vt inuoluntarius (culpa), in tertio vero vt voluntarius (dolus) potest diiudicari; et charactere distinguitur certo quodam *dolo malo* animi humani, se ipsum per propria bona malaue consilia decipiendi, et, si modo malum haud consequentia sit actionum, quod pro normis earum sane esse possit, de consiliis suis haud dolendi, sed coram lege potius iustum se reputandi. Inde venit tranquillitas conscientiae in tot hominibus (vt sibi videntur, religiosis), cum in mediis actionibus, in quibus lex haud consideretur, saltem haud maximam vim haberet, tantummodo malis consequentibus elaberentur adeoque opinio de merito laudeque, nullorum eiusmodi peccatorum reatum sentiendi, quibus alios vident oneratos: neque tamen explorent, anne forte solum meritum fortunae sit, et pro consilio, quod sane in intimo animo aperire possent, si modo velint, non paria vitia perpetrauerint, nisi impotentia, temperamento, educatione, temporisque et loci rationibus, quae tentent (quae cuncta imputari nequeunt), ab iis fuissent retenti. Haec improbitatis, sibi ipsi fucum faciendi, quo impediunt, quo minus consilium morale probum in nobis constituatur, et extrinsecus sese ad falsitatem illusionemque

aliorum dilatat; quae, ſi haud dici malitia debeat, certe tamen digna eſt abiecta vocari; in maloque ineſt humanae naturae radicali, quo (propterea quod iudicandi vim moralem, ratione eius, quod homo reputari debeat, deprauat, imputationemque et intus et extrinſecus ſine omni dubio incertam reddit) macula generis noſtri putrida efficitur, quae, quam diu eam haud eluamus, ſurculo boni officit, ne, vti alias faceret, ſeſe euoluat.

Collegae ſenatus magni Anglicani feruore dicendi ſententia excidit: „ſua cuiusque hominis merces eſt, qua „ſeſe tradit." Si hoc verum eſt (quod quisque apud ſe poterit decernere); ſi nulla omnino virtus eſt, cuius non queat certus quidam tentandae gradus reperiri, quo ea poſſit euerti; ſi, bonus malusue genius nos parti ſuae conciliet, tantummodo ex eo pendet, quinam plurimum offerat, praeſentiſſimamque pecuniam ſoluat: ſane quidem vniuerſe valere poſſit de homine, quod apoſtolus dicit: „hic nullum diſcrimen eſt, omnes ſunt „peccatores — nullus eſt, qui bonum ſequatur (ex „mente legis), ne vnus quidem." *)

*) De hac ſententia condemnatoria rationis moraliter iudicantis proprium argumentum non hac, ſed ſuperiori ſectione continetur; haec tantummodo confirmationem illius per experientiam continet, quae vero non poteſt radicem mali, in norma ſuprema liberi arbitrii reſpectu legis, aperire, quae, vt *actio intelligibilis* vniuerſam experientiam antecedit. — Ex quo, nimirum ex vnitate normae ſupremae, quam ſpectat, poteſt quoque intelligi: cur diiudicationi intellectuali purae hominis decretum medii in bonum malumque excluſi eſſe fundamento debeat; interea dum diiudicationi empiricae ex *actione ſenſibili* (vera actione atque omiſſione) principium ſubiici poteſt: inter haec extrema medium quoddam eſſe, partim negatiuum indifferentiae, ante omnem efformationem, partim poſitiuum mixturae, vt ex parte bonus ſis, ex parte malus. Sed haec poſterior duntaxat diiudicatio eſt moralitatis hominis in phaenomeno, priorique in iudicio deciſiuo ſubiecta eſt.

VI.

DE ORIGINE MALI IN NATURA HUMANA.

Origo (primà) consistit in deriuatione effecti a causa prima, hoc est, ea, quae haud vicissim in effectis est causa alius cuiuspiam de genere eodem. Ea vel vt *origo rationis* potest, vel vt *origo temporis* spectari. Superiori significatione solum *exsistentia* effecti consideratur; altera illius *effectio*, proinde illud vt euentum *ad causam in tempore* refertur. Cum effectum ad causam, quae tamen cum eo ex legibus libertatis coniuncta est, refertur, id quod locum habet in malo morali; tum determinatio arbitrii ad illud producendum non vt cum ratione determinante sua in tempore, sed modo in repraesentatione rationali, coniuncta cogitatur, neque vt ab vllo quodam statu *antegresso* potest deriuari; quod e contrario semper debet fieri, cum actio mali vt *euentum* in mundo ad causam naturalem suam refertur. Quamobrem actionum liberarum, qua talium, originem chronicam (quasi effectorum naturalium) inuestigari, pugnat; proinde quoque qualitatis moralis in homine, quatenus vt fortuita spectatur, quippe quae rationem denotat *vtendae* libertatis, quae (perinde ac ratio determinandi liberi arbitrii in genere) solum in repraesentationibus rationalibus anquirenda videtur.

Vtcumque autem cum origine mali moralis in homine comparatum sit, tamen omnium repraesentationis rationum, de dispergendo illo continuandoque per omnia generis nostri membra, in omnibusque generationibus, ineptissima est, qua illud vt per *haereditatem* a primis parentibus ad nos propagatum, cogitatur; namque de malo morali idem potest dici, quod poeta de bono pronunciat:

— genus, et proauos, et *quae non fecimus ipsi*,
vix ea nostra puto. *) —

*) Tres illi ordines (in vniuersitatibus), qui vocantur, superiores, suo quisque more, hanc per haereditatem propagationem, sibi ipsi explicarent: nimirum, aut vt *morbum hae-*

Praeterea notandum est: nos in indaganda origine mali initio nondum propensionis ad illud (vt peccatum in potentia) rationem habere, sed modo verum et actuale malum actionem datarum, quoad possibilitatem internam, et ea, quae ad illud perpetrandum in arbitrio concurrere debet, considerare.

Vnaquaeque actio mala, in inuestiganda illius origine rationali, ita spectanda est, quasi homo proxime ex statu innocentiae in eam incidisset. Etenim, qualis illa cumque vita ante acta fuerit, quamque varia secum causarum naturalium contagio sit, itemque intus in eo an extra eum deprehendantur; tamen actio eius libera est, et per nullam causarum earum determinata, proinde vsus arbitrii *originarius* et potest iudicari et debet. Debuisset eas omittere, quibuscumque temporibus et coniunctionibus fuerit; neque enim per vllam causam desinere potest natura libere agens videri. Iure quidem dicimus: homini ea quoque imputantur, quae ex

reditarium, aut *reatum haereditarium*, aut *peccatum haereditarium*: 1)Ordo medicus malum haereditarium fortasse cogitaret vt taeniam, quam reapse nonnulli scrutatores naturae, cum ea alias neque in elemento quodam extra nos, nec (eiusdem generis) in vllo alio animante deprehendatur, in primis iam parentibus fuisse censent oportere. 2) *Ordo iureconsultorum* illud consequentiam iuridicam adeundae *haereditatis* nobis ab his relictae, sed graui delicto oneratae spectaret (neque enim aliud nasci est, quam vsum bonorum terrestrium, quatenus ad perdurationem nostram necessaria sunt, acquirere). Igitur solutio praestanda est (luendum nobis est), et postremo nihilominus (per mortem) ex hac possessione eiicimur. Idque iure optimo. 3) *Theologorum ordo* istud malum vt communionem contemplaretur personalem parentum primorum in defectione hominis abiecti seditiosi: vel quod nos (quamquam nunc quidem illius nobis haud conscii) tum ipsi vna egimus; vel nunc modo sub eius (vt principis huius mundi) imperio nati, nobis bona illius nobis plus patimur placere, quam summum imperium moderatoris caelestis, neque sat fidei habemus, ad nosmet ab eo liberandos, sed idcirco quoque aliquando in communionem venire sortis eius nos oportebit.

actionibus suis superioribus liberis, sed legibus contrariis sunt consecuta; id quod vero hanc modo vim habet: non necesse esse, vt ad istud effugium respondeamus, statuamusque, consequentia libera sint nec ne, quoniam iam in concessa actione libera, quae illorum caussa fuit, ratio ad imputandum idonea adest. Quodsi quis autem vsque ad actionem liberam proxime instantem vel maxime malus fuerit (vsque ad consuetudinem vt alteram naturam): tamen illius non solum fuit in officiis, meliorem esse; verum etiamnum eius in officiis, sese emendare: igitur quoque possit, necesse est, et, si non facit, imputationis momento actionis pariter capax est eique obnoxius, ac si, naturali boni initio (ab libertate inseparabili) ornatus, ex statu innocentiae ad malum fuerit transgressus. — Igitur haud origo chronica, sed solum rationalis huiusce actionis anquirenda erit, vt inde propensionem, id est, rationem, si qua sit, vniuersalem subiectiuam transgressionis in normam nostram recipiendae, determinemus, et, si fieri possit, enodemus.

Quocum et repraesentandi modus, quo vtitur sacra scriptura, ad mali originem, vt eius initium in genere humano depingendam, optime consentit; idcirco, quia eam in historia proponit, in qua quae quoad rem (nullo respectu habito conditionis chronicae) vt prima cogitanda sunt, qua talia in tempore videntur. Secundum modum illum malum haud incipit a propensione fundamento posita, quoniam alioquin illius initium haud oriretur ex libertate; verum a *peccato* (quo transgressio legis moralis vt *praecepti diuini* intelligitur); status vero hominis, ante omnem ad malum propensionem, status *innocentiae* adpellatur. Lex moralis, vti etiam in homine, vt natura haud pura, sed per inclinationes tentata, esse oportet, vt *vetitum* antecessit (Genes. II, 16. 17.). Quamuis igitur huic legi, vt elateri idoneo (soli absolute bono, in quo nulli amplius dubitationi locus est) ipsi debuisset parere, tamen et alios elateres homo circumspexit (Genes. III, 6.), qui

tantum cum adiunctione possunt (nempe quatenus legi ea re haud quidquam derogetur) boni esse, sibique, si actionem vt cum conscientia ex libertate orientem cogitamus, pro norma constituit, legi officii non propter officium, sed fere etiam respectu aliorum finium obtemperandi. Proinde initium cepit a seueritate praecepti, contagionem cuiusque elateris excludentis in dubium vocanda, deinde processit ad obsequium illi debitum argutando *) ad obsequium solum hypotheticum (sub philautiae principio) adiumenti ad formam dedignandum, ex quo tandem vis impulsionum sensitiuarum elaterem e lege superans, in normam agendi recepta, atque ita peccatum est (Genes. III, 6.). Mutato nomine de te fabula narratur. Nos quotidie sic agere, proinde „in Adamo omnes peccasse," et etiamnum peccare, e superioribus manifestum est; hoc tamen discrimine, vt in nobis iam propensio ad transgressionem innata, sed in primo homine non talis, verum innocentia, quoad tempus, supponitur, idcirco transgressio in hoc *lapsus* adpellatur: cum e contrario in nobis peccatum, vt ex prauitate naturae nostrae iam innata eueniens, repraesentetur. Quae vero propensio nihil aliud denotat, quam nos, si enodationem mali, secundum *initium chronicum* eius, tendemus, in vnaquaque transgressione voluntaria caussas in tempore vitae pristina retro vsque ad illud, quo rationis vsus nondum esset euolutus, proinde vsque ad propensionem (vt fundamentum naturale) mali, quae idcirco innata dicitur, fontem mali persequi deberemus: quod in homine primo, qui iam facultate plena

*) Omnis obseruantia legi morali declarata, nisi huic, vt elateri per se idoneo, in norma vim omnes alias arbitrii determinandi rationes vincentem concedamus, simulata est, propensioque ad id falsitas interna, id est, propensio ad se ipsum in interpretanda lege morali in detrimentum eius mentiendum (Genes. III, 5.); quocirca etiam scriptura sacra (ex parte christiana) auctorem mali (qui in nobis ipsis inest), mendacem a principio vocat, atque ita hominem respectu eius, quod praecipuum mali fundamentum ei inesse videtur, designat.

rationis vtendae ornatus cogitatur, nec opus eſt, nec fieri poteſt; quoniam alioquin fundamentum illud (propenſio mala) creatione inditum eſſe oporteret; quocirca peccatum eius, proxime vt per innocentiam genitum, proponitur. — Sed qualitatis moralis, nobis imputandae, nulla eſt origo chronica anquirenda; quamuis iſtud euitari nequeat, ſi exſiſtentiam eius fortuitam velimus *explicare* (quamobrem eam ſcriptura ſacra quoque, huic imbecillitati noſtrae conuenienter, ſic forte oſtenderit).

Verum origo rationalis arbitrii noſtri ſic deprauati reſpectu modi, elateres ſubordinatos in normas recipiendi, hoc eſt, huiusce ad malum propenſionis, nobis manet inacceſſa, quoniam ipſa nobis imputanda eſt, proinde ratio ſuprema illa omnium normarum viciſſim opus haberet norma mala recipienda. Malum non potuit niſi e malo morali (non e ſolis naturae noſtrae carceribus) oriri; et tamen initia originaria (quae etiam a nemine potuerunt niſi ab ipſo homine corrumpi, ſi haec corruptio ei deberet imputari) in initiis boni verſantur; nobis igitur nulla, quae comprehendi poſſit, ratio adparet, vnde malum morale in nobis primum exortum eſſe poſſit. — Haec incomprehenſibilitas, cum accuratiori determinatione prauitatis generis noſtri ſcriptura ſacra in narratione hiſtorica *) eo depingit,

*) Quae hic diximus, haud acipienda ſunt, quaſi interpretatio ſcripturae ſacrae iis debeat contineri, quae quippe extra terminos poteſtatis poſita eſt ſolius rationis. Poteris mentem de modo declarare, quo narrationem hiſtoricam in vſum tuum conferas, neque quidquam ea de re ſtatuere, vtrum is ſenſus quoque ſcriptoris ſit, an nos illum inferamus: ſi modo per ſe, et absque omni argumento hiſtorico verus ſit, ſed praeterea ſimul vnus, quo ex loco quodam ſcripturae nobis quidquam poſſimus ad emendationem eruere, qui alias non niſi acceſſio inutilis foret ad hiſtoricam noſtram cognitionem. Haud temere de re quadam eiusque auctoritate hiſtorica certandum eſt; quid, ſic an aliter intelligatur, nihil confert ad hominem emendandum, ſi, quod ad id conferre poteſt, etiam ſine argumento hiſtorico cogno-

vt malum, in initio mundi quidem, ſed tamen nondum in homine, verum in *ſpiritu* quodam genioue deſtinationis originarie excellentis ac ſublimis praemittat: quo proinde *primum* vniuerſi mali initium in vniuerſum vt nobis incomprehenſum (vnde enim malum in ſpiritu?), homo autem vt *ex deceptione* in malum prolapſus, ergo non *radicitus* (vel ſecundum ipſum primum boni initium) corruptus, ſed vt adhuc emendationis capax, in contrarium *ſpiritus* decipientis, id eſt, naturae eiusmodi, cui tentatio carnis nequeat ad diminuendum reatum imputari, repraeſentetur, atque ita homini, qui praeter animum corruptum tamen etiam vtitur bona voluntate, ſpes ad bonum reuertendi, vnde disceſſiſſet, relinquatur.

SCHOLION GENERALE.

DE INITIIS BONI ORIGINARIIS IN VI SUA INSTAURANDIS.

Quod homo in ſenſu morali eſt, vel eſſe debet, bonus malusne, id *ſe ipſe* reddat, vel reddiderit, neceſſe eſt. Vtrumque oportet effectum eſſe liberi arbitrii; alioquin enim illud haud poſſet imputari, ergo ipſe nec *moraliter* bonus eſſe nec malus. Cum dicitur: homo eſt bonus creatus, tum eſſe nullus alius ſenſus poteſt, quam ad *bonum* creatus eſt, initiumque in homine originarium *bonum* eſt; homo ipſe eo nondum bonus eſt, ſed pro eo atque elateres, qui illo initio continentur, in normas ſuas recipit, vel minus (quod libero eius arbitrio prorſus permiſſum eſſe debebit), efficit, vt bonus malusue euadat. Vt autem ad emendandum effectione et cooperatione opus ſit ſupranaturali, tamen haec ſolum in minuendis impedimentis conſiſtere, vel etiam adiumento poſitiuo poterit, ſed homo ſeſe tamen

ſcatur, adeoque ſine illo cognoſci debeat. Cognitio hiſtorica, cuius nulla, quae ad vnumquemque hominem valeat, adfectio ad hoc interna eſt, ad adiaphora pertinet, de quibus quisque, vti e re ſua eſſe ducit, ſtatuere poteſt.

antea dignum reddat, necesse est, ea recipienda, idque adiumentum *accipiat* (quod haud exiguum est), id est, augmentum virium positiuam in normam suam recipiat, quo solo fieri potest, vt bonum ei imputetur, isque pro bono homine agnoscatur.

Qui autem fieri possit, vt homo naturaliter malus se ipse hominem bonum reddat, omnes conceptus nostros superat; quomodo enim mala arbor fructus ferre bonos potest? Cum vero tamen pro eo, ac supra confessi sumus, arbor originarie (secundum initia) bona malos fructus produxerit *) lapsusque a bono ad malum (si bene perpendas, id ex libertate exsistere) non facilior comprehensu sit, quam resurrectio ex malo ad bonum; possibilitas huius a malo ad bonum reditus haud potest impugnari. Nam, quamuis illa a bono ad malum facta defectio sit, tamen praeceptum: nos fieri homines meliores *debere;* summa vi in animo nostro personat; ergo necesse est, id quoque posse nos efficere, etiamsi id, quod facere possumus, per se solum haud idoneum sit, nosque eo duntaxat reddamus recipiendi altioris cuiusdam adiumenti nobis inaccessi capaces. — Sane quidem in eo supponendum est, boni surculum prorsus purum relictum esse, non deleri ac corrumpi potuisse, qui profecto non possit in philautia **) versari; quae, pro principio omnium normarum nostrarum accepta, ipsa scaturigo est omnis mali.

*) Arbor secundum initia bona non bona est re ipsa; si ea enim bona foret, sane non posset fructus malos ferre; modo tum cum homo elaterem legi morali in se inditum in normam receperit, homo bonus (arbor simpliciter bona arbor) vocatur.

**) Verbis, quorum sensus esse duplex prorsus diuersus potest, saepenumero firmitas animi ex euidentissimis rationibus aliquamdiu impeditur. Vti *amor* in genere, sic etiam *amor sui ipsius* (philautia) in amorem *beneuolentiae* et *complacentiae* potest describi, vterque etiam (quod per se planum est) rationi consentaneus esse debet Vt philautiam beneuolentiae in normam nostram recipiamus, naturae nostrae con-

Inſtauratio initiorum boni originariorum in nobis igitur non cernitur in comparando elatere ad bonum

venienter fit, (ecquis enim nolit, vt ſibi omnia ſemper bene eueniant?) Ea autem tantummodo rationi conuenit, quatenus partim ratione finis id modo, quod cum ſalute maxima diutiſſimaque poteſt conſiſtere, partim ad ſingula haec felicitatis elementa adiumenta maxime idonea eliguntur. Ratio in eo vicem ſuſtinet inclinationis naturalis; normae vero, quam idcirco adoptamus, nulla prorſus ad moralitatem adfectio eſt. Cum ea vero pro principio arbitrii abſoluto conſtituitur; tum ea fons euadit pugnae infinite magnae cum moralitate. — Amor rationalis *complacentiae per ſe ipſe* autem vel ſic poteſt intelligi, vt nobis in normis illis explendam inclinationem naturalem ſpectantibus (quatenus quisque finis iis ſequendis impetratur) placeamus; et tum idem eſt, atque amor beneuolentiae erga ſe ipſum; nobismet ipſi placemus, velut mercator, cui deliberationes negotiorum feliciter ſuccedunt, et qui propter normas conſtitutiuas, de intellectu ſuo laetatúr. Sed norma philautiae *complacentiae abſolutae* (non ex lucro iacturaue vt actionum conſequentibus pendentis) principium internum foret ſed cum adiunctione normarum legi morali ſubiiciendarum, tranquillitatis nobis poſſibilis. Nullus homo, qui moralitatem curat, ex ſe poteſt complacentiam percipere, adeoque ſine diſplicentia ſui acerrima, eſſe, qui einsmodi normarum ſi conſcius eſt, quae cum lege morali in ſe haud conſpirant. Hic *amor* ſui ipſius *rationalis* vocari poſſet, qui omnem aliarum tranquillitatis ex actionum conſequentibus cauſarum commixtionem (titulo felicitatis eo ſibi comparandae) cum elateribus arbitrii impedit. Cum autem hoc poſteriori obſeruantia legis interna denotetur, ecquid cauſae eſt, cur vocabulo *philautiae rationalis*, ſed ſub ſola poſteriori conditione *moralis* intellectum principii diſtinctum planumque temere tibi difficiliorem reddas, propterea quod in orbem ageris (neque enim niſi moraliter te ipſum amare potes; quatenus normae tuae tibi conſcius ſis, obſeruantiam legis pro ſummo elatere arbitrii conſtituendi)? Felicitas, pro natura noſtra, nobis, vt naturis ad res ſenſibus obnoxias adſtrictis, primum eſt, quodque ſimpliciter abſoluteque expetimus. Eadem, pro natura noſtra (ſi omnino, quod nobis innatum eſt, ſic vocabis) nobis vt naturis ratione ac libertate praeditis minime primum eſt, neque abſolute res normis noſtris propoſita: ſed haec *dignitas* eſt *felicitatis potiundae*, id eſt, conuenientia omnium normarum noſtrarum

amiſſo; hunc enim, qui in obſeruantia erga legem moralem conſiſtit, numquam amittere potuimus, et hoc ſi fieri poſſet, eum quoque numquam recuperaremus. Ea igitur tantummodo inſtauratio eſt *puritatis* illius, vt rationis ſupremae omnium normarum noſtrarum, quae ad quam ea non ſolum cum aliis elateribus coniuncta, aut adeo his (inclinationibus) vt conditionibus ſubordinata, verum in vniuerſa puritate ſua vt elater per ſe *idoneus* arbitrii determinandi in eam recipi debet. Pronum originarium cernitur in *ſanctitate normarum* in officio faciendo; qua homo, puritatem eam in normam ſuam recipiens, etſi idcirco nondum ipſe ſanctus eſt (inter normam enim actionemque permagnum interuallum eſt), tamen in via verſatur, ad eam in infinito progreſſu adpropinquandi. Propoſitum firmum in habitum verſum in officio faciendo itidem *virtus* adpellatur, quoad legalitatem vt *characterem* eius *empiricum* (virtus phaenomenon). Ea igitur normam ſequitur conſtantem actionum *legalium;* vndecumque elater, quo opus eam in rem arbitrio eſt, depromatur. Idcirco virtus hoc ſenſu *paullatim* comparatur, et nonnullis diuturna conſuetudo (in obſeruanda lege) dicitur, qua homo a propenſione ad vitium ſucceſſiua mutatione vitae et normarum confirmatione ad contrariam propenſionem peruenerit Quo ſane quidem haud opus eſt *mutatione animi;* ſed modo mutatione *morum.* Homo ſeſe honeſtum intelligit, ſi normis faciendi officii ſe videt confirmatum: quamquam haud ex ratione quidem ſuprema omnium normarum, nimirum propter officium; verum intemperans, vt hoc vtar, ad temperantiam propter rectam valetudinem, mendax ad veritatem propter honorem, iniuſtus ad probitatem ciuilem propter tranquillitatem quaeſtumue, et ſic porro, reuertitur. Omnes ex celebrato principio illo felicitatis. Aliquem ve-

cum lege morali. Hanc igitur obiectiue conditionem eſſe, qua ſola poteſt deſiderium felicitatis cum ratione legislatoria conuenire; in eo omnis praeceptio moralis conſiſtit, in con lioque, ſic quoque cum adiunctione deſiderandi, mens moralis.

ro non ſolum *legaliter*, ſed etiam *moraliter* bonum (deo placentem) hominem, hoc eſt, virtuti deditum ex charactere intelligibili (virtutem noumenon) fieri, qui, ſimul atque quidpiam pro officio agnouerit, nullo alio opus elatere habet, quam hac ipſa officii repraeſentatione: id quidem non poteſt *inſtauratione* ſucceſſiua, quam diu fundamentum normarum impurum ſit, ſed per *commutationem* mentis in homine (tranſitum ad normam ſanctitatis illius) efficiendum videtur; et poteſt homo nouus, duntaxat per genus quoddam regenerationis quaſi per nouam quamdam creationem (Euang. Ioann. III, 5. coll. Geneſ. I, 2.) animique mutationem euadere.

Sin autem homo in fundamento normarum ſuarum corruptus ſit, quo tandem modo fieri poterit, vt per vires proprias eam commutationem conuerſionemque abſoluat et ſponte homo bonus efficiatur? Nihilo tamen ſecius officium praecipit, vt boni ſimus, nec vero quidquam nobis praecipit, quod fieri nequeat. Id quod non poteſt niſi ſic conciliari, vt conuerſionem menti, ſed inſtaurationem ſucceſſiuam ingenio animi (illi impedimenta obiicienti) neceſſariam, oporteat, ideoque homini etiam poſſibilem eſſe. Nimirum, homo, ratione normae, qua malus erat, per vnum propoſitum conſtans conuerſa (eoque nouo homine indutus); eatenus, ſecundum principium mentemque, ſubiectum eſt boni capax; ſed ſolum in efficiendo fiendoque continuo bonus homo: id eſt, ſperare poteſt, ſeſe in tali puritate principii, quod pro norma ſuprema arbitrii ſua adoptauit, eiusque firmitate, in via bona (quamquam anguſta) *progreſſus* perpetui a peiori ad melius verſari. Id quod ei, qui rationem animi (omnium arbitrii normarum) intelligibilem, cui proinde ea progreſſus infinitas vnitas eſt, videlicet deo idem eſt, ac reapſe bonum (ei placentem) hominem eſſe; atque eatenus haec mutatio vt conuerſio poteſt conſiderari; ſed diiudicationi hominum, ſeſe vimque ac robur normarum ſuarum tantummodo ex imperio, quo in ſenſualitatem in tempore po-

tiuntur, aestimantium, tantummodo connatus est semper continuatus ad melius, proinde pro successiua propensionis ad malum, vt mentis peruersae instauratione spectanda.

Ex quo sequitur, formationem hominis moralem non ab emendandis moribus, sed ab mente conuertenda constituendoque charactere institui debere; quamque aliter fieri consuetum est, contraque vitia singula certatur, sed communem eorum radicem intactam relinquunt. Iam homo vel maxime mentis angustae capax est impressionis obseruantiae eo maioris erga actionem officio consentaneam, quo plures illi cogitatione alios elateres, quorum per philautiam posset cum norma actionis contagio fieri, detrahit; ipsique paruuli possunt vel minimum admixtorum improborum elaterum vestigium deprehendere: vbi tum actio coram iis continuo omne morale pretium amittit. Haec boni initia eo, quod *exemplum* ipsorum hominum bonorum (quoad legalitatem eorum) proponitur, discipulisque moralibus potestas datur impuritatis quarumdam normarum ex veris actionum suarum elateribus diiudicandae, praeclare excoluntur, sensimque in mentem transeunt, ita vt *officium* solum per se ipsum in animis illorum permagnum pondus accipiat. Verum actiones honestas, quantum iacturae nobis illae attulerint, *admirandas* ostendere, nondum est, quod animum discipuli possit bono morali seruare. Vt enim maxime quispiam virtuti studeat, tamen cuncta, quae facere bona potest, solum in officio sunt; sed officium facere idem est atque ea facere, quae sunt in ordine morali consueto, proinde haud digna sunt, quae admirere. Potius haec admiratio informatio est sensus nostri officii, quasi quidpiam extraordinarium foret et laude dignum, si ei obtemperes.

Verum vnum est in animo nostro, quod, cum, vti par est, conspexerimus, non possumus summa admiratione contemplari desinere, atque in quo admiratio iusta est, et simul animum attollens; idque in initiis m-

ralibus verſatur originariis in nobis generatim. — Quid iſtud eſt in nobis (ſi ex te ipſe quaerere poteris), quo nos ab natura per tot neceſſitates perpetuo pendentes naturae, ſimul tamen ſupra hanc in idea initiorum originariorum (in nobis) tam longe euehimur, vt eas cunctas pro nihilo, nos ipſosque exſiſtentia indignos reputemus, ſi fruitionem earum, qua vita tamen nobis reddi ſolum deſiderabilis poſſit, legi contrarie ſequeremur, per quam ratio noſtra vehementer imperat, nulla re nec promiſſa, nec comminatione propoſita? Pondus huius quaeſtionis, neceſſe eſt, ab vnoquoque homine vel maxime vulgarium virium, antea de ſanctitate, quae in idea officii ineſt, edocto, non vero vsque ad inueſtigationem conceptus de libertate, qui ex ea demum lege prouenit *) progreſſo, intime ſentiri; ipſa-

*) Quod conceptus libertatis arbitrii haud conſcientiam legis moralis in nobis antecedat, ſed tantummodo ex determinabilitate arbitrii noſtri per hanc, vt praeceptum abſolutum concludatur; de eo facile tibi poterit perſuaderi, ſi te perconteris: an certo quoque proxime conſcius ſit facultatis, qua quemuis vel maximum transgreſſionis elaterem (Phalaris licet imperet vt ſis Falſus, et admota dictet periuria tauro) poſſis ex firmo propoſito ſuperare. Cuique homini fatendum erit: *ſeſe neſcire*, anne, ſi eiusmodi tempus inciderit, in propoſito ſuo nutaret. Nihilominus tamen officium ei praecipit abſolute: *debere* in fide perſeuerare, et inde iure colligit, ſe *poſſe* quoque oportere, proinde arbitrium ſuum liberum videri. Ii, qui hanc proprietatem haud perſcrutabilem vt prorſus comprehenſam oſtentant, vocabulo *determiniſmi* (pronunciato arbitrii per rationes internas idoneas determinandi) fucum faciunt, quaſi difficultas poſita in eo foret, vt hoc cum libertate coniungatur, quod tamen nemini in mentem venit; verum: quomodo *praedeterminiſmus*, quo actionis voluntariae vt euenti ratio determinans *in tempore antegreſſo* eſt (quod cum iis, quae continet, haud amplius eſt in poteſtate noſtra), cum libertate, qua actio pariter atque illius contrarium in momento, quo fit, eſſe penes ſubiectum debet, conſiſtere poſſit: id ipſum eſt, quod auemus perſpicere, neque vmquam perſpiciemus.

Conceptus *libertatis* cum idea de deo, vt ente *neceſſario*, coniungendi, nulla omnino difficultas eſt: quoniam liber-

que incomprehensibilitas horum initiorum diuinam originem testantium, necesse est, vt maximam vim in animo exserat, cumque ad iacturas faciendas confirmet, qua propter obseruantiam officii suscipiendae videantur. Hic sensus excellentiae destinationis moralis vt saepius excitetur, in primis commendandum est instar adiumenti consiliorum moralium excitandorum, quoniam propensioni innatae ad peruertendos elateres in normis arbitrii nostri recta aduersum tendit, vt in obseruatione legis absoluta, vt summae conditionis omnium normarum capiendarum, ordo moralis originarius in elateribus, eoque initium boni in animo humano in puritate sua restituatur.

Verum ei instaurationi per proprias vires adhibendas contraria sententia est de prauitate et corruptione hominum respectu cuiusque boni innata? Sane quidem, quod comprehensibilitatem attinet, id est, nostrum possibilitatis illius *intellectum*, quomodo ea omnia, quae vt euenta in tempore (mutatio) atque eatenus ex legibus physicis vt necessaria, et quae iis contraria sunt simul tamen sub legibus moralibus, vt per libertatem possibilia debeant repraesentari; verum possibilitati huiusce restitutionis haud aduersatur. Siquidem, cum lex moralis praecipit, nos iam meliores esse homines *debere;* necessario efficitur, vt esse nos quoque meliores *queamus.* Sententiae de malo innato in *dogmatica* morali nullus omnino vsus est: praeceptis enim eadem officia continentur, atque iu eadem vi ac virtute perseuerant,

tas non in ratione actionis fortuita (eam neutiquam esse per rationes determinatam), hoc est, non in indeterminismo, (bonum malumue agi dei aeque possibile esse oportere, si eius actiones dici liberae debeant), sed in spontaneitate versatur absoluta, quae solum in praedeterminismo periculo exposita est, vbi ratio actionis determinandae *in tempore antegresso* est, proinde sic, vt nunc actio haud amplius *in mea* potestate sed in manu naturae sit, me necessario determinat; vbi tum, quia in deo nulla potest temporis successio cogitari, ea difficultas cessare videtur.

innata in nobis ad transgressionem propensio adsit nec ne. In *ascetica* morali vero maior quidem vis huius sententiae est, nec vero alia, quam, nos initiis moralibus boni innatis moraliter efformandis, non posse ab innocentia quadam nobis naturali proficisci, sed cogi ab sumtione vitiositatis arbitrii in capiendis normis contra initia moralia originaria institui, et, quia propensio non possit exstingui, cum perpetuo contra illud renisu. Quod cum solum ad progressum in infinitum tendentem a peiori ad melius ducat, sequitur: vt conuersio mentis hominis mali in mentem boni hominis in mutanda ratione suprema interna normis omnibus accipiendis conuenienter ponenda sit, quatenus haec ratio noua (animus nouus) ipsa immutabilis videatur. Ad firmitatem autem animi de ea re homo quidem non potest naturaliter adspirare, neque per conscientiam proximam, neque per argumentum vitae vsque eo actae; quoniam profunditas animi (ratio prima subiectiua normarum) ei ipsi inaccessa est; verum in via, quae eo ducit, et quae sibi a mente funditus emendata monstratur, possit *sperare* oportebit, viribus suis adhibendis sese peruenturum: siquidem homo fieri bonus debet, sed modo pro eo, quod sibi, vt a se ipso factum potest imputari, vt moraliter bonus diiudicandus videtur.

Contra hanc postulatam sui ipsius emendationem ratio ad tractationem moralem natura pigra sub specie impotentiae naturalis varias impuras ideas religiosas euocat (quo pertinet: vt deo ipsi principium felicitatis pro summa praeceptorum eius conditione adfingatur). Omnes autem religiones possunt in religionem *ambiendae voluntatis* (cultus solius) et *moralem*, id est, religionem *vitae honestae* describi. Ex religione ambiendae voluntatis et gratia homo sibi persuadet: a deo se aeternum posse felicem reddi, quamuis haud fere opus sit, vt *homo melior euadat* (peccatis sibi remittendis); vel etiam, si hoc ei haud fieri posse videatur, a *deo se reddi hominem* posse *meliorem*, vt ipse nihil quidquam ad id conferat, nisi vt ea de re *precibus* deum imploret;

quod, cum coram natura omnia conſpiciente nil niſi *deſiderium* eſt, proprie nihil factum foret: quodſi enim ſatis eſſet deſiderare, quisque homo bonus foret. Contra ex religione morali (cuiusmodi in omnibus, quae vmquam exſtitere, ſolum chriſtiana eſt,) decretum eſt: vt quisque, quantum in ſe ſit, agere debeat, quo melior homo fiat; et tum duntaxat, cum ſi munus ſibi innatum haud occultarit (Lucae XIX, 12—16.), cum initiis boni originariis rite vſus fuerit, vt homo melior euadat, ſperare poſſit, quae non in ſua poteſtate ſunt, ex altiore cooperatione ſuppletum iri. Iam non ſimpliciter neceſſe eſt, vt homo ſciat, in quo haec conſiſtat; fortaſſe adeo haud poterit euitari, ne, ſi modus, quo ea fit, certo quodam tempore patefactus fuerit, diverſi homines alio tempore diuerſos ſibi conceptus informarent, et quidem ex ſumma animi ſinceritate. Tum vero decretum quoque valebit: „haud eſſentiale „eſt, ideoque non cuique neceſſarium, vt ſciat, quid „deus ad eius felicitatem conferat, vel iam contulerit;" ſed ſane quidem, *quid ipſi faciendum ſit*, vt hoc adiutorio dignus euadat.

Hoc ſcholion generale primum eſt ex quatuor illis, quorum vnum cuique capiti huius libelli adnexum eſt, et quae poſſent inſcribi: 1) de effectionibus gratiae, 2) de miraculis, 3) de myſteriis, 4) de adiumentis gratiae. — Quae quaſi πάρεργα ſunt religionis intra terminos rationis purae; non intra quidem eos illa pertiuent, ſed eos tamen attingunt. Ratio in conſcientia impotentiae ſuae, neceſſitati morali ſuae ſatis faciendi, ſeſe vsque ad ideas transſcendentes dilatat, quibus defectus ille poſſet expleri, quas tamen haud poſſis vt poſſeſſionem dilatatam tibi vindicare. Haud ea poſſibilitatem impugnat vel exſiſtentiam rerum illis ſubiectarum, verum eas non poteſt in normas ſuas cogitandi agendique recipere. Ea adeo exſpectat, ſi in campo ſupranaturalium inacceſſo plura ſint, quam poſſit comprehendere, quae vero nihilominus ad explendam impotentiam moralem neceſſaria forent, fore, vt ea vo-

luntati bonae suae, vel incognita quoque, vsui futura sint, cum fiducia, quam possis *reflectentem* (super possibilitate eorum) vocare, quoniam *dogmatica*, quae sese pro *scientia* venditat, sibi fucata vel temeraria videtur; nam difficultates, quae iis obsunt, quae per se ipsa (practice) firmiter consistunt, remouendae, si quaestiones attingant transscendentales, tantummodo ἐν παρέργῳ versantur. Ac detrimenti quidem, quod ex ideis his, etiam *moraliter* transscendentibus capitur, si eas vellemus in religionem introducere, effecta sunt, secundum ordinem quatuor illarum classium supra indicatarum: 1) experientiae internae putatitiae (operationes gratiae) *fanatismus*, 2) experientiae externae opinatae (miracula) *superstitio*, 3) putatitiae illustrationis intelligentiae respectu supranaturalium (mysteria) *illuminatismus*, opinio Adeptorum, 4) ausorum conatuum ad supranaturalia agendi (adiumenta gratiae) *thaumaturgia*, quae cuncta in erroribus sunt rationis carceres suos transmigrantis, et quidem ex opinato consilio morali (deo placente). — Quod vero hoc scholion generale ad caput primum huius disputationis speciatim attinet, aduocatio *operationum gratiae* de classe postrema est, nec in *normas* potest rationis suscipi, si haec intra terminos suos sese contineat; vti omnino nihil quidquam supranaturale; quoniam in hoc ipso omnis rationis vsus cessat. — Etenim fieri non potest, vt eas *theoretice* possis distinguere (eas effectiones gratiae esse, neque internas naturales), quoniam vsus noster conceptus de causa atque effecto de rebus experientiae obviis potest, nec proinde vltra naturam dilatari; suppositio autem vtilitatis *practicae* huius ideae per se prorsus pugnat. Namque, vt vtilitas regulam supponeret eius, quod nobis (certo quodam respectu) boni ipsis *faciendum* sit, vt quidpiam consequamur; sed operationem gratiae exspectare ipsum significat contrarium, nimirum, bonum (morale) haud nostram actionem esse, sed alius cuiusdam naturae, nos proinde solum eam posse *nihil agendo comparare*, id quod secum pugnat. Possumus igitur eam, vt incomprehensum quidpiam concedere,

neque tamen vel in theoreticum vſum vel practicum, in normam noſtram recipere.

RELIGIONIS PHILOSOPHICAE

CAPUT SECUNDUM

DE CERTAMINE PRINCIPII BONI CUM MALO

DE

IMPERIO IN HOMINEM.

Vt moraliter bonus homo euadas, non ſatis eſſe, vt boni ſurculus, qui in genere noſtro ineſt, ſolum libere euoluatur, verum etiam cauſam mali reagentem in nobis ſuperandam eſſe, omnium philoſophorum veterum ethicorum in primis ſtoici per teſſeram *virtutis*, quod (cum in Graeca lingua tum Latina) animum ac fortitudinem denotat, ideoque hoſtem ſupponit, declararunt. Quo quidem reſpectu nomen *virtutis* nomen praeſtans eſt, neque illud quidquam detrimenti capiat, ex abuſu, quem fieri ſaepenumero per iactantiam vidimus, et (velut nuper verbum illuſtrationis) illuſum.— Namque animum prouocare, iam ex dimidio idem eſt, atque illum inſtillare; contra mens ignaua ſibi ipſa diffidens auxiliumque externum timide exſpectans (in philoſophia morali et religione) omnes hominis vires remittit laxatque, atque eum ipſum hoc auxilio reddit indignum.

Verum tamen illi boni viri hoſtem male cognouere, qui non eſt in inclinationibus naturalibus ſolum incultis, ſed aperte ſeſe cuiusque conſcientiae oſtendentibus quaerendus, verum hoſtis eſt quaſi inuiſibilis, pone rationem ſeſe occultans, et propterea eo perículoſior. *Sapientiam* aduerſus *ſtultitiam*, quae ſibi ab inclinationibus ſolum imprudenter patitur imponi, excitarunt, cum eam debuiſſent contra *malitiam* (humani animi)

euocare, principiis animo peſtiferis mentem animique conſilium occulte ſufficientem. *)

Inclinationes naturales, *in ſe ipſae ſpectatae*, *bonae* ſunt, hoc eſt, haud reprobandae, nec ſolum inutile eſt, verum quoque noxium foret et vituperandum, ſi eas velles exſtirpare; potius ſolum frenandae ſunt, ne ſe inuicem ipſae euertant, ſed ad conuenientiam poſſint

*) Hi philoſophi principium morale vniuerſale ab excellentia et dignitate naturae humanae, libertate (vt vacuitate atque independentia a vi inclinationum), deſumſerunt; neque melius ac praeſtantius poterunt fundamento ponere. Leges morales igitur proxime ex ratione, tali modo, ſolum legislatoria per easque abſolute imperante hauſerunt, atque ita et obiectiue, quod regulam attinet, et ſubiectiue, quoad elateres, cum homini voluntas incorrupta tribuitur, ad eas leges ſine cunctatione in normas recipiendas, omnia omnino recte indicata ſunt. Sed in ipſa ſuppoſitione poſtrema vitium inerat. Nam, vt maxime mature animum ad ſtatum noſtrum moralem aduerterimus, tamen inuenimus, haud amplius in eo rem integram eſſe, ſed ab eo nobis incipiendum, vt, quod iam locum occupaſſet, malum (quod vero iſtud efficere haud potuiſſet, niſi illud in normam noſtram recepiſſemus) de poſſeſſione depellamus; nimirum primum, quod homo efficere poſſit, verum bonum eſſe, vt ab malo ſeſe auocet, quod non in inclinationibus, ſed in peruerſa norma, ideoque in ipſa libertate quaerendum eſt. Illis norma bona contraria *exſequenda* difficultatibus obruitur; ſed malum proprium conſiſtit in eo, quod *nolis* inclinationibus illis, cum ad transgreſſionem alliciunt, reſiſtere, eaque mens proprie verus hoſtis eſt. Inclinationes tantummodo aduerſatrices ſunt principiorum in genere (ſiue bona fuerint, ſeu mala); atque eatenus illud generoſum moralitatis principium vt propaedeutica (diſciplina inclinationum in vniuerſum) vtile eſt ad ſubiectum per decreta moderandum. Verum quatenus ſpecifice debent decreta eſſe *boni moralis*, et nihilominus vt norma haud ſunt, alius eorum aduerſarius in ſubiecto ſupponendus eſt, quocum virtuti certamen ineundum videatur, ſine quo virtutes omnes, non quidem, vt ille pater eccleſiaſticus vult, ſplendida *vitia*, ſed tamen *ſplendidae miſeriae* forent; quoniam eo quidem ſaepenumero ſeditio ſedatur, ſed ſeditioſus ipſe numquam vincitur atque exſtirpatur.

in toto quodam, quod felicitas vocatur, adduci. Verum ratio iſtud efficiens *prudentia* adpellatur. Id modo, quo moraliter legi contrarium eſt, per ſe ipſum malum eſt, ſimpliciterque reiiciendum atque exſtirpandum; ratio autem, quae hoc docet, magis vero, cum quoque efficit, ſola nomen *ſapientiae* meretur, quacum comparatum vitium quidem etiam poteſt *ſtultitia* vocari, ſed tum tantummodo, cum ratio ſatis in ſe roboris perſentiſcit, ad iſtud (omnesque illius illecebras) *contemnendum*, neque ſolum vt rem metuendam *odio habendum*, contraque ſeſe armandum.

Quamobrem ſtoicus, certamen hominis morale ſolum vt pugnam cum inclinationibus ſuis (per ſe innocentibus), quatenus vt impedimenta faciendi officii vincendae ſunt, cogitans, quoniam nullum principium poſitiuum ſingulare (per ſe malum) ſumit, cauſam transgreſſionis non poterat niſi *omiſſione* ponere, illas vincendi; cum autem haec omiſſio ipſa contra officium (transgreſſio) ſit, non ſolum vitium naturae, nec nunc cauſa illius rurſum (vitio in orbem definiendi vitato) in inclinationibus, ſed ſolum in eo, quod ab arbitrio, qua libero arbitrio determinatur (in ratione prima normarum interna cum inclinationibus conſpirantium) quaerenda eſt; ſane poteſt comprehendi, qui fieri potuiſſet, vt philoſophi, quibus enodandi ratio aeternum tenebris inuoluta manens, *) et quamquam ineuitabilis, tamen

*) Sumtio eſt philoſophiae moralis prorſus conſueta, exſiſtentiam mali moralis in homine perfacile poſſe enodari, et quidem partim ex vi elaterum ſenſualitatis, partim ex imbecillitate elateris rationis (obſeruantiae erga legem) hoc eſt, ex *debilitate*. Tum vero bonum morale (in initiis moralibus) in eo facilius poſſet explicari; ſiquidem comprehenſibilitas vnius, ſine alterius comprehenſibilitate, nullo modo poteſt cogitari. Atqui facultas rationis, per ſolam ideam legis vniuerſos elateres contrarios vincendi, nullo pacto poteſt enodari; ergo itidem non poteſt comprehendi, qui fiat, vt elateres ſenſualitatis rationem cum tanta auctoritate praecipientem vincere queant. Etenim, ſi omnes homines prae-

haud exoptata eſt, in proprio boni aduerſario errarent, quocum certamen inire crederent.

Non itaque mirandum eſt, apoſtolum hunc hoſtem *inuiſibilem*, ſolum effectionibus in nobis cognoſcibilem, decreta corrumpentem, vt extra nos, et quidem vt *ſpiritum* malum proponere: „nobis non eſt cum carne et „ſanguine (inclinationibus naturalibus), verum cum „principibus potentibusque cum malis ſpiritibus confligendum.“ Quae verba haud eo ſpectare videntur, vt cognitio noſtra iis vltra mundum ſenſibilem dilatetur, ſed modo vt conceptus rerum nobis incomprehenſarum, *in vſum practicum*, reddatur dilucidus, quaſique ſub adſpectum ſubiiciatur; nam caeteroquin in hunc vſum practicum nobis idem erit, vtrum ſeductorem ſolum in nobis ipſis, an quoquo extra nos ponamus, quoniam, in extra nos ponamus, reatus nos pariter attingit, quam ſi in nobis poſuerimus, quippe qui ab eo haud ſeduceremur, niſi occulta cum eo conſpiratione *) teneremur. — Totam hanc commentationem duabus ſectionibus deſcribemus.

ſcriptioni legis conuenienter agerent, diceres: omnia fieri ſecundum ordinem naturalem, et nemini in mentem veniret vt modo de cauſa anquireret.

*) Proprietas eſt doctrinae morum chriſtianae: vt bonum morale a malo morali non tamquam caelum a *terra*, ſed velut caelum ab *inferno* abhorrens repraeſentetur; quae repraeſentatio ſymbolica quidem eſt, et qua talis concitans, nihilominus autem, quoad ſenſum, philoſophice vera. — Facit ea enim, vt caueatur ne bonum malumque, regnum lucis et regnum tenebrarum, non vt inuicem ſibi finitima, et gradibus ſucceſſiuis (maioris minorisque claritatis) in ſe inuicem abſumta cogitentur, ſed per voraginem immenſam ab ſe inuicem ſeiuncta repraeſententur. Tota decretorum diſſimilitudo, quibuscum vni alteriue horum duorum regnorum eſſe ſubiectus poteris, ſimulque periculum, cum opinione propioris adfinitatis proprietatum, quae nos ad vnum alterumve aptos reddunt, coniunctum, poteſtatem nobis faciunt huiusce repraeſentandi modi, qui, praeter horribilia, quae in ſe continet, ſimul admodum ſublimis videtur.

SECTIO PRIOR.

DE PETITIONE PRINCIPII BONI DE IMPERIO IN HOMINEM.

a) *Idea principii boni perſonae forma induta.*

Id, quo ſolo mundus poteſt res fieri decreto diuino propoſita, finisque orationis, *humana natura* (ens mundanum rationale in genere), eſt *in vniuerſa ſua perfectione morali*, cuius vt conditionis ſupremae, felicitas proximum conſequens in voluntate ineſt entis ſummi. — Hic homo ſolum deo placens „cum eo eſt ab aeterno;" idea eius procedit ab eſſentia illius; is eatenus nulla res eſt creata, ſed filius eius vnigenitus; „*verbum* (fiat!) „quo caeterae ſunt res omnes, et ſine quo nihil quid„quam exſtat, quod factum eſt," nam eius cauſa, hoc eſt, propter naturam rationemque in mundo, vt pro deſtinatione eius morali cogitari poteſt, omnia facta ſunt.— „Is eſt ſplendor excellentiae illius."— „In eo mundum „amauit deus," et in eo ſolum et conſiliis eius adoptandis ſperare poſſumus, „nos eſſe dei liberos euaſuros;" et ſic porro.

Vt ad hoc ideale perfectionis moralis, hoc eſt, ad prototypon mentis moralis in vniuerſa puritate eius nosmet *euehamus*, vniuerſe hominibus in officio eſt, quo nobis haec ipſa idea quoque, quae ab ratione nobis ad imitandum proponitur, vires poteſt ſuppeditare. Sed ob eam ipſam cauſam, quoniam nos non ſumus illius auctores, ſed locum ea in homine occupauit, quamvis haud comprehendamus, quomodo natura humana eius recipiendae vim facultatemque habere potuerit, melius dici poteſt: illud prototypon de caelo ad nos *deſcendiſſe*, humanam illud naturam induiſſe (neque enim pariter fieri poteſt, vt cogitemus, quomodo *homo* natura *malus* ſponte malum deponat, ad ſanctitatisque ideale ſeſe *euehat*, quam humanam naturam (per ſe haud malam), ab hoc ideali (ad eam ſeſe *demittente*) recipiatur. Igitur haec nobiscum coniunctio vt ſtatus poteſt

exinanitionis filii diuini ſpectari, cum hominem illum diuina mente praeditum, nobis vt prototypon, ita cogitamus, vti, quamuis ipſe ſanctus, et qua talis nullis cruciatibus perpetiendis obnoxius, hos nihilominus mirum in modum ſuſcipiat, ad promouendam mundi ſalutem; contra homo, numquam ab reatu vacuus, etiamſi eamdem mentem adoptauerit, cruciatus, qui ſibi, in quacumque via fuerit, accidant, tamen poteſt tamquam ab ſe promeritos ſpectare, proinde mente ſua cum eiusmodi idea coniungenda, quamuis ea quidem illi pro prototypo ſit, indignum ſeſe debet iudicare.

Sed ideale naturae humanae deo bene placentis (proinde perfectionis moralis, vti ea eſſe poteſt in natura mundana ex neceſſitatibus inclinationibusque apta ac pendente,) nobis non poſſumus cogitatione informare, niſi ſub idea hominis, non ſolum ad omnia humana officia ipſi facienda, ſimul quoque per inſtitutionem atque exemplum bonum, quam fieri poſſit, latiſſime circum ſe diſpergendum, verum etiam, quamuis maximis illecebrarum ſtimulis vrgentibus, ad omnes tamen cruciatus ad mortem vsque crudeliſſimam propter ſalutem mundi, ipſosque aduerſarios ſuos, ſuſcipiendos parati. — Neque enim homo cogitationem de gradu et robore vis virtutisque, qualis vis eſt mentis moralis, animo concipere poteſt, niſi eam cum impedimentis confligantem maximisque, quae fieri poſſunt, vexationibus infeſtatam, tamen ſibi vincentem repraeſentet.

In *fide* igitur *practica in hoc filio dei* (quatenus repraeſentatur, humanam naturam in ſeſe recepiſſe) homini licet ſperare, fore, vt deo placiturus (et eo quoque beatus) euadat; nimirum is, qui eiusmodi mentis moralis ſibi conſcius eſt, ſeſe *credere* poſſe et certam in ſe fiduciam ponere in ſimilibus tentationibus et aduerſitatibus (vti eae pro obruſſa conſtituuntur illius ideae) prototypo naturae humanae conſtanter ſe adhaeſurum, exemploque illius diligenter imitando exprimendoque ſimilem manſurum, talis homo, isque ſolus duntaxat,

iure poteſt eum ſe reputare, qui haud indignus ſit complacentia diuina.

b) *Realitas obiectiua huiusce ideae.*

Haec idea realitatem reſpectu practico plenam in ſe ipſa habet. Ea enim in ratione noſtra moraliter legislatoria ineſt; cui nos conuenienter viuere *debemus*, proinde neceſſe eſt, nos iſtud etiam *poſſe*. Quodſi antea probandum foret, fieri poſſe, vt nos homines ſimus huic prototypo conſentanei, vti in conceptibus phyſicis abſolute neceſſarium eſt (ne inanibus conceptibus decipiamur), tum pariter nobis dubitandum foret, ne ipſi legi morali auctoritatem concederemus, rationis abſolutae atque idoneae arbitrii noſtri determinandi: nam qui fieri poſſit, vt ſola idea legalitatis in genere elater illius potentior ſit, quam vniuerſi, qui cogitari poterunt, a commodis deſumti, id neque per rationem perſpici atque intelligi poteſt, neque exemplis experientiae confirmari, quoniam, quantum prius attinet, etiamſi lex abſolute imperat, reſpectu poſterioris autem etiamſi numquam homo exſtitiſſet, qui huic legi abſolutam obedientiam praeſtitiſſet, neceſſitas obiectiua, vt tales ſimus, integra et per ſe ipſa patet. Ergo nullo opus eſt experientiae exemplo ad ideam hominis deo bene placentis nobis prototypum proponendam; ea, qua tale, iam ineſt in noſtra ratione. — Qui vero ad hominem pro tali exemplo cum illa idea congruente ad imitationem agnoſcendum, plus, quam quod videt, ſcilicet plus, quam prorſus irreprehenſum, quin, quantum deſiderari poſſit, vitam laudabilem et bene promeritam, qui forte praeterea miracula quoque, vel per illum vel propter eum facta, ad faciendam fidem poſtulat: is ea re ſimul de *incredulitate* morali ſua, nempe de inopia fidei in virtute confitetur, quam nulla poteſt fides in argumentis conſtituta ex miraculis (quae tantummodo hiſtorica eſt), ſupplere; ſiquidem ſolum fides valoris practici ideae illius, in noſtra ratione ſitae (quae etiam ſola poteſt fere miracula qua talia, quae a principio bo-

no profecta fuerint, probare, non vero ab his confirmationem suam potest depromere) pretium morale habet.

Ob eam ipsam caussam necesse est, vt esse experientia possit, per quam exemplum eiusmodi hominis proponatur (quantum ab experientia externa omnino possunt argumenta mentis moralis internae exspectari et postulari); etenim, secundum legem, merito quisque homo exemplo esse huiusce ideae per se deberet, cuius prototypon semper duntaxat in ratione remanet; propterea quod nullum exemplum in experientia externa illi apta est et adaequata, quippe quae interiora animi haud aperit, sed tantummodo patitur, vt, quamquam haud cum firmitate plena, ad ea concludatur; quid? quod ipsa experientia hominis per se ipsius interna profunditates animi haud ita praebet perspiciendas, vt de ratione normarum, quas profitetur, earumque puritate ac firmitate queat se ipsum obseruando cognitionem prorsus certam sibi comparare.

Quodsi igitur talis homo mente vere diuina praeditus certo quodam tempore quasi caelitus in terram venisset, qui per doctrinam vitamque et cruciatus *exemplum* hominis deo accepti in sese ostendisset, quantum quidem ab experientia externa possit desiderari (interea dum *prototypon* eiusmodi hominis non nisi in ratione nostra quaerendum est), his omnibus bonum morale immensum in mundo per conuersionem in genere humano produxisset; tamen non esset, cur aliud quidpiam in eo, quam hominem naturaliter genitum, sumeremus (quoniam hic quoque tamen sese obstrictum intelligit, vt ipse in se tale exemplum proponat), quamquam eo haud fere simpliciter negaretur, illum etiam fortasse posse hominem supranaturaliter genitum videri. Namque respectu practico sumtio huius posterioris nobis nullum potest commodum adferre; siquidem prototypon, quod huic phaenomeno subiicimus, tamen potest in nobis (quamquam hominibus naturalibus) ipsis quaerendum est, cuius exsistentia in anima humana iam per se ipsa satis est incomprehensa, ita, vt haud fere opus sit, praeter originem supranaturalem in eo et sin-

gularem quemdam hominem hypostasi indutum sumi. Potius eiusmodi sancti supra omnem humanae naturae fragilitatem eleuatio ideae eius ad imitationem nostram practice adhibendae, quantum quidem intelligere possumus, officeret. Namque etsi natura hominis illius deo accepti eatenus vt humana cogitaretur, vt cum iisdem necessitatibus, proinde quoque iisdem cruciatibus, cum iisdem inclinationibus naturalibus, ideoque iisdem tentationibus ad transgressionem, quibus nos, oneratus, sed tamen eatenus vt suprahumanus cogitaretur, ne haud forte per labore partam, sed innatam immutabilem voluntatis puritatem fieri ab eo vlla transgressio queat; haec distantia ab homine naturali eo rursus tam infinite magna euaderet, vt ille diuinus homo huic non amplius posset *exemplo* proponi. Hic posterior dicturus foret: concedas mihi voluntatem prorsus puram, et omnis ad malum sensatio sponte in me peribit; concedas mihi plenissimam persuasionem internam, fore, vt, post breuem in terris vitam (propter sanctitatem illam), vniuersa beatitate caeli aeterna continuo potiar; tum omnes cruciatus, vt maxime grauissimos, vsque ad necem crudelissimam non solum lubens, verum etiam laetus subibo, cum exitum praeclarum atque instantem ob oculos habeam. Sane quidem cogitatio, illum diuinum hominem in vera huius excellentiae beatitatisque possessione ab aeterno fuisse (neque eas antea per tales cruciatus promerendas fuisse), iis sese in gratiam indignorum, adeoque hostium suorum lubenter priuasse, vt eos a pernicie aeterna seruaret, animum nostrum ad admirationem, amoremque et gratam erga illum memoriam necessario componeret; itemque idea vitae eiusmodi ex regula moralitatis tam perfecta nobis sane quoque pro praecepto ad sequendum valente, is ipse autem *neutiquam pro exemplo* posset ad imitandum, nec proinde quoque vt argumentum boni moralis tam puri atque excellentis *nobis* possibilis et consequendi, nobis proponi. *)

*) Sane quidem in cancellis est rationis humanae, qui non possunt ab ea separari: vt nullum nobis pretium morale vi-

Idem ille doctor diuina mente praeditus, sed proprie humanus tamen nihilominus de se, quasi ideale bo-

lius momenti queamus in actionibus cuiusdam personae cogitatione informare, nisi simul ipsa eius effectio humano modo repraesentetur; quamquam eo haudquaquam contendimus, rem et per se quoque (κατ᾽ ἀλήθειαν) sic esse comparatam; nobis enim, ad qualitates suprasensibiles cogitandas, semper certa quaedam opus est analogia, cum naturis physicis. Sic poeta philosophicus homini, quatenus ei inclinatio ad malum intus vincenda est, vel propterea, si illam superare intelligit, altiorem ordinem in scala morali rerum attribuit, quam ipsis caelitibus, qui, per sanctitatem naturae, ab omni, quae esse potest, seductione exemti videntur. (Mundus cum vitiis suis melior est, quam regnum angelorum voluntate carentium; verba sunt *Halleri*). — Ad hunc repraesentandi modum sese quoque accommodat sacra scriptura, vt amorem dei erga genus humanum nobis secundum magnitudinem quasique gradum explanet, dum summam illum fecisse iacturam ostendit, quae fieri vmquam ab natura amante potest vt vel indigni felices reddantur („Ita deus amauit mundum etc."): quamquam nullam nobis possumus cogitationem per rationem informare, quomodo ex omnibus sufficiens aliquid eorum, quae ad beatitatem suam pertinent, vouere possit, et possessione sese priuare. Hic *schematismus* est *analogiae* (ad illustrandum), quo non possumus supersedere. Qui in *schematismum* conuersus *determinationis obiectiuae* (ad cognitionem nostram dilatandam) est *anthropomorphismus*, ex quo respectu morali (in religione) maxima incommoda consequuntur. — Hoc loco obiter tantum monebo: in adscendendo a sensibilibus ad insensibilia vsurpari quidem *schematismum* posse (conceptum ex analogia cum aliqua re sensibili reddi planum), nullo modo vero ex analogia, ab eo, quod superiori competit, illud quoque posteriori attribuendum esse, *concludi* (atque ita conceptum *dilatari*), idque per causam prorsus simplicem, quia eiusmodi conclusio omni analogiae *aduersaretur*, quae inde, quod schemate ad conceptum nobis explanandum necessario indigemus (ad eum exemplo confirmandum) elicere vellet, illud quoque necessario ipsi obiectae rei, vt praedicatum, competere oportere. Quippe haud possum dicere: quemadmodum causam cuiusdam plantae (aut cuiusque creatae rei organicae omninoque mundi finalis) mihi non queo *explanare*, nisi ad analogiam artificis respectu operis eius (horologii), eo nimirum, vt illi intelligentiam tribuam: ita quoque

ni in se reapse (in doctrina vitaque) exhiberetur, vere dicere posset. Tum enim tantummodo de mente consilioque loqueretur, quam sibi ipse pro regula actionum constituit, quam vero, cum vt exemplum aliis, non sibi ipsi possit sub adspectum subiicere, duntaxat per doctrinas suas actionesque extrinsecus ob oculos proponit: „ecquis vestrum me potest de peccato arguere?" Verum aequum est, vt exemplum doctoris incomprehensum eorum, quae docet, si hoc per se cuique in officio sit, nulli consilio alii illius quam purissimo imputetur, si desint argumenta contrarii. Eiusmodi animus cum vniversis, ob mundi salutem susceptis, cruciatibus, in ideali cogitatus humanae naturae, ad cunctos homines omnibus temporibus et in mundis omnibus, coram suprema iustitia valet plenissime: si homo animum suum, vti debet, ad illum conformat. Ea vero semper erit iustitia, quae haud nostra sit, quatenus haec in vita deberet consistere animo illi prorsus et fine vitio conueniente. Verum necesse est, vt esse queat prioris vindicatio propter posteriorem, si hic cum animo prototypi coniungatur, quamquam illius explanatio magnis adhuc difficultatibus laborat, quas nunc proponemus.

c) *Difficultates realitati huiusce ideae eiusque solutioni contrariae.*

Prima difficultas, quae adsequendam ideam illam, humanae naturae deo acceptae in nobis, respectu sanctitatis legislatoris in dubium vocat, haec est: lex praecipit: „estote sancti (in vita vestra) quemadmodum pa„ter vester in caelo sanctus est;" hoc enim ideale est filii dei, nobis pro prototypo propositum. Sed distan-

causa ipsa (plantae omninoque mundi) intelligentia *gaudeat*, necesse est; nimirum, vt ei intelligentiam tribuam, non solum conditio explanationis, verum etiam ipsius possibilitatis causae. Sed inter rationem schematis erga conceptus, et relationem eiusdem huius schematis conceptus ad rem ipsam nulla prorsus analogia est, sed ingens saltus (μετάβασις εἰς ἄλλο γένος), quo directe ducimur in anthropomorphismum, cuius argumenta alio loco proposui.

tia boni, in nobis efficiendi, a malo, vnde proficiscimur, infinita eſt, et quantum actionem, hoc eſt, conuenientiam vitae cum ſanctitate legislatoris attinet, in nullo poteſt tempore attingi. Nihilominus qualitas hominis moralis cum ea debet conuenire. Ergo ea ponenda erit in animo conſilioque, in norma vniuerſali et ſincera puraque conuenientiae vitae cum eo, vt ſurculo, vnde omne bonum euolui debet, qui a principio ſancto proficiscitur, ab homine in normam ſupremam recepto. Quae quidem animi mutatio fieri queat, neceſſe eſt, quoniam ea in officio videtur. — Iam difficultas in eo conſiſtit, quomodo animus poſſit pro facto, quod *ſemper* (haud omnino, verum in quouis temporis articulo) mancum eſt, valere. Verum ſolutio eius poſita in eo eſt, quod factum, vt progreſſus perpetuus a bono manco atque imperfecto ad melius in infinitum, pro obſeruantia noſtra, cum in conceptibus relationis inter cauſam atque effectum neceſſario ſimus ad temporis conditiones adſtricti, ſemper mancum manet et imperfectum; ita, vt bonum in phaenomeno, id eſt, ſecundum *factum*, in nobis *ſemper* vt imperfectum neque ad legem ſanctam idoneum nobis ſpectandum ſit; ſed progreſſum eius in infinitum ad conuenientiam cum hac lege, propter *animum*, vnde deriuatur, qui ſupraſenſibilis eſt, a ſcrutatore animorum in ſumma viſione intellectuali ſua pura, vt totum quiddam abſolutum, etiam quoad factum (vitam) diiudicatum poſſimus cogitare, *) atque ita homo quamuis perpetuo mancus ſit, tamen *omnino* queat ſe

*) Haud negligendum videtur, nos hic neutiquam velle dicere: animum eſſe debere pro *compenſanda* officioli inopia, proinde vero malo in hac ſerie infinita reſarciendo; (ſed potius ſupponitur, qualitatem hominis deo acceptam moralem in eo vere deprehendi), verum: animum, qui vicem ſuſtinet vniuerſitatis ſeriei huiusce adpropinquationis in infinitum continuatae defectum tantummodo ſupplere ab exiſtentia naturae in tempore omnino inſeparabilem, cum numquam plane id ſumus, quod euadere inſtituimus; etenim compenſatio quidem transgreſſionum in hoc progreſſu obviarum in difficultate expedienda *tertia* ſub rationem vocabitur.

deo acceptum esse exspectare, quocumque tempore exsistentia sua praescindatur.

Altera deinde, quae emergit, difficultas, cum hominem ad bonum adspirantem respectu huiusce boni moralis ipsius cum *beatitate* diuina comparati consideramus, *felicitatem* attingit *moralem*, quam hoc loco non intelligimus promissionem de possessione tranquillitatis sempiternae cum *statu physico* (liberationem a malis, fruitionemque voluptatum perpetuo augescentium), vt *felicitatem physicam*, verum de exsistentia *constantiaque* animi in bono semper progredientis (numquam eo excidentis) interpretamur; namque perpetuo „de regno dei „cogitare," si modo *de immutabilitate eiusmodi animi certo nobis persuasum esset*, idem foret, ac se iam in possessione huius regni videre, vbi tum homo hac mente praeditus iam sponte confideret, fore, vt „caetera sibi vniuersa" (quae ad felicitatem physicam spectant) „obtingant."

Iam quidem hominem ea de re sollicitum cum desiderio eius, eo posses ablegare: „eius (dei) spiritus no„stro testatur spiritui, etc." hoc est, is, cuius animus tam purus est, quam postulatur, sponte iam sentiet, se numquam posse tam profunde labi, vt mali denuo amore corripiatur, verum eiusmodi opinatorum sensuum originis suprasensibilis misera res est; nullibi facilius illudimur, quam in iis, quibus bona de se ipsis opinio fauet. Praeterea ne e re quidem esse videtur, ad eiusmodi fiduciam excitari, sed potius vtilius (moralitati) „vt beatitatem nostram *diligenter ac solliciti* curemus," (dura quidem oratio, quae perperam intellecta, ad rectissimum fatalismum potest incitare); sed, sine *omni* fiducia in mente nostra semel adoptata vix esse posset constantia, in ea continuandi. Quae vero reperitur, ex vita huc vsque acta cum consilio constituto comparata, ita vt non sit, quod fanatismo dulci nos vel anxio tradamus. — Homo enim, qui ab eo inde tempore, quo principia boni adoptasset, per vitam satis longam vim eorum in facto, hoc est, in vita ad meliora progrediente percepit, et inde ansam capit ad emendationem veram animi sui dun-

taxat per coniecturam concludendi, tamen quoque per rationem poteſt ſperare, cum eiusmodi progreſſibus, ſi modo bona ſint principia, *vis* ad ſequentes augeatur, in hac quoque vita terreſtri viam ſe haud amplius relictu-rum, ſed alacrius in ea progreſſurum fore, quin, ſi poſt hanc vitam, alia ſibi inſtet, aliis ſe conditionibus, ad idem tamen principium in ea perrecturum, atque ad metam perfectionis quamuis inacceſſam adpropinquatu-rum fore, ſiquidem pro eo, atque huc vsque in ſe percepit, animum ſuum funditus emendatum ducere poteſt. Contra is, qui in propoſito boni ſaepius inſtituto tamen numquam vidit, ſe conſtantem in eo manere, qui ſemper ad malum relapſus eſt, aut adeo in progreſſu vitae, perciperet, ex malo ſeſe in deterius quaſi in quodam praecipitio, profundius decidiſſe, prudenter non poteſt ſpem concipere, ſe, ſi diutius vita hic ſuppeteret, vel etiam alia futura ſibi vita inſtaret, meliorem ſe geſturum fore, quoniam in eiusmodi indiciis corruptio, vt in animo radicibus infixa, ipſi ſpectanda foret. Iam prius proſpectus eſt in futurum ſtatum *infinitum*, ſed exoptatum ad felicem, alterum e contrario *miſeria* itidem infinita, id eſt, vtrumque hominibus, pro eo, ac iudicare poſſunt, proſpectus in aeternitatem beatam vel miſeram; quarum quidem repraeſentationum vis ſatis magna eſt, vt altera pars iis tranquilletur in bonoque confirmetur, alteri eae parti ad excitandam faciant conſcientiam iudicantis, quo malo, quantum fieri poſſit, detrahatur, proinde pro elateribus ſint, neque tamen opus ſit, etiam obiectiue aeternitatem boni maliue ſorti hominis *dogmatice* vt theorema ſupponi, *) quibus notitiis adſertionibus-

*) Quaeſtionibus, ex quibus is, qui quaerit, etiamſi ad eas poſſet reſponderi, nihil quidquam in vſum ſuum conuertendum diſceret (et quae idcirco dici *quaeſtiones pueriles* poſſent) adnumeranda haec quoque eſt: poenae infernales finitae futurae ſint, an aeternae? Si finitas fore doceretur, verendum eſt, ne multi (velut omnes, qui ignem purgatorium credunt, aut remex iſte in itineribus *Moorii*) dicerent: „Sed tamen ſpero, eas me ſuſtenturum fore." Contra ſi aeternas fore adſererentur, in ſymboliſque fidei cen-

que putatitiis ratio carceres intellectus sui migrat. Mens bona ac sincera (quam possis spiritum bonum nos gu-

feretur, posset contra, ac propositum fuit, spes inde vniversa a poenis vacuitatis post vitam maxime impiam proficisci. Etenim, cum in momentis poenitentiae serae, in exitu vitae, clerico de consilio solatioque consulto crudele debeat et inhumanum videri, si illi reprobationem aeternam annunciet, inter hanc vero plenamque absolutionem nihil quidpiam medii statuat (sed aut poenam aeternam, aut omnino nullam) hic ei spem faceret nullius poenae oporteret; nimirum hominem celeriter in hominem acceptum sese conuersurum polliceri; vbi tum, cum ad vitam nouam instituendam haud amplius tempus suppetat, confessiones anxiae et poenitentes, formulaeque fidei, etiam fere vota novae vitae ingrediendae, sine eius longius prorogato, vicem sustinerent adiumentorum. — Quod quidem necessario consequitur, si aeternitas sortis futurae, vitae his in terris actae conuenientis vt *dogma* proponatur, nec potius homo instituatur, ex hoc praesenti suo statu morali conceptum sibi de futuro informare, ad eumque vt consequens illius naturale praeuidendum *sponte* concludere; tum enim *immensitas* seriei illorum sub imperio mali illi eamdem vim moralem habebit (eum impellendi, ad facta, quantum in se sit, aut reparando aut restituendo quoad effecta ante vitae finem infecta facienda), quae exspectari potest ab aeternitate illius annunciata; neque tamen incommoda dogmatis de aeternitate poenarum (cuius praeterea neque intellectus rationalis nec interpretatio scripturae potestatem faciunt), in sese cohibebit: cum homo malus in *vita* iam in antecessum spem concipiat veniae facile impetrandae aut in fine eius sibi tantum de iis agendum putet, quae iustitia caelestis postulat, quam meris verbis missam facit, nullo respectu habito iurium humanorum, neminique suum reddat (qui quidem euentus huiusce generis expiandi tam consuetus est, vt exemplum contrarii fere inauditum videatur). — Sin autem vereare, ne ratio hominem clementius per conscientiam diiudicatura sit, vehementer, vt equidem credo, erraueris. Nam ob eam ipsam caussam, quia libera est, et de eo ipso, homine, pronunciare debet, nullo modo potest corrumpi, et eum illi in eiusmodi statu modo dixeris: certe fieri posse, mox coram iudice eum compariturum fore, tum suae ipsius cogitationi eum relinquas, quae, maxime verisimile est, summa illum seueritate iudicabit. — His quasdam praeterea obseruationes adiungam. Tritum illud sermone prouerbium: *finis coro-*

bernantem adpellare), cuius tibi conscius est, ducit igitur quoque secum fiduciam constantiae et firmitatis,

nat opus, potest quidem ad causas *morales* transferri, sed non, nisi bonus finis dicatur is, cum homo reapse bonus euaserit. At ex quo sese vt talem agnoscet, cum istud tantummodo ex vita sequente constanter bona concludere possit, huic autem in vita extrema nullum amplius tempus suppetat? De *felicitate* potius dictum istud poterit concedi, sed itidem non nisi respectu stationis, vnde vitam suam contemplatur, nec vero ex initio, sed ex fine illius, dum inde ad illam respicit. Calamitates superatae nullam sui memoriam excruciantem relinquunt, cum iam sartos nos tectosque intelligimus, sed potius laetitiam quamdam, quae fruitionem felicitatis nunc accedentis eo iucundiorem reddit; quoniam voluptas vel dolor (quippe quae ad sensualitatem pertinent) in serie temporis insunt, cum eaque quoque euanescunt, neque cum fruitione, quae nunc exstat, vitae totum constituunt, verum per hanc, vt sequentem, expelluntur. Quodsi autem idem prouerbium adhibeas ad diiudicandum pretium morale vitae vsque eo actae, homo poterit iniuria sic eam iudicare, quamquam eam bene agendo finierit. Namque principium *mentis* morale subiectiuum, ex quo vita eius diiudicanda est (vt quidpiam suprasensibile), haud ita comparatum est, vt exsistentia eius in parte temporis diuidua, sed modo vt vnitas absoluta queat cogitari, et cum ad mentem non possimus nisi ex actionibus (vt phaenomenis illius) concludere, vita in gratiam huius obseruantiae duntaxat vt *vnitas temporis*, nimirum vt *totum* quiddam sub contemplationem cadet; vbi tum opprobria ex priori vitae parte (ante emendationem) itidem clare loqui, atque adsensus in *posteriori*, possent, orationemque triumphantem: finis coronat opus, admodum cohibere. — Tandem doctrinae illi de duratione poenarum in mundo futuro, et alia quoque finitima est, quamquam haud eadem, scilicet: „peccata omnia in „hac vita esse condonanda;" rationem cum vitae fine prorsus esse absolutam oportere, neminemque posse sperare, sese hic neglecta illic forte resarcire. Nec vero perinde potest ac prior, sese pro dogmate probare, verum tantummodo decretum est, quo ratio practica in vtendis conceptibus suis suprasensibilium regulam sibi praecipit, interea dum concedit, sese de obiectiua supra sensibilium natura nullam notionem habere. Tantum ea enim dicit: non nisi ex vita nostra acta possumus, deone accepti homines sumus an minus, concludere, quae cum finem habeat, etiam ratio nobis fi-

quamquam duntaxat cum interuentu, et consolator est (paracletus), cum peccata nostra nobis metum iniiciunt de constantia sua. Certitudo de ea homini nec possibilis est, nec, quantum intelligimus, moraliter vtilis. Etenim (quod bene notandum est) hanc fiduciam non possumus in conscientia proxima immutabilitatis consiliorum nostrorum fundare, quippe quae non possumus perspicere, sed fere modo ex consequentibus eorum in vita ad ea nobis concludendum est, quae quidem conclusio, quia duntaxat ex perceptionibus vt phaenomenis bonae malaeque mentis effecta est, praesertim vim ac *robur* eorum numquam certo cognoscendam proponit, potissimum, cum mentem sub finem vitae instantem praeuisum emendasse putaueris, vbi illa argumenta empirica veritatis illius ac probitatis prorsus desunt, siquidem nulla vita ad constituendum iudicium pretii moralis nostri amplius data est, statusque insolabilis (qui, natura hominis in obscuritate omnium prospectuum vltra huius vitae terminos sponte iam prouidet, ne in feram desperationem transeat), ex rationali status moralis diiudicatione necessario sequitur.

Tertia tum, ac specie quidem, maxima difficultas, quae vnumquemque hominem vel viam boni ingressum, tamen in iudicanda tota vita coram *iustitia* diuina reprobandum ostendit, haec est. — Vtcumque adoptatio boni consilii in eo facta sit adeoque, quam constanter in eo per vitam ei consentaneam continet, *tamen*

nitur, cuius summa sola efficitur, vtrum nos iustos absolutosque putare queamus, an minus. — Omnino, si pro principiis rerum suprasensibilium cognoscendarum *constitutiuis*, quarum esse nobis non potest perspicientia, iudicium nostrum ad *regulatiua*, in possibili vsu illorum practico adquiescentia adstringeremus, in multis partibus cum sapientia humana actum longe melius foret, neque ex scientia putatitia eorum, quae reapse prorsus ignoramus, argutatio vana atque inanis, quamquam aliquamdiu splendens in perniciem moralitatis tandem aliquando inde conspicua procrearetur.

a malo instituit, isque reatus in eo numquam potest exstingui. Quod, animo mutato, nullum sibi nouum nomen contrahit, non potest accipere, quasi vetus dissolutum fuerit. Neque in vita porro bene actâ nullum potest cumulum ad ea efficere, quae semper per se agere debet; semper enim in officio est, vt quoduis bonum efficiat, quod penes se est. — Hoc debitum originarium, vel omnino quodque bonum, quodcumque fecerit, antegressus, quod et idem est, quod, nec amplius quidquam, nos malum *radicale* diximus (vid. caput primum), potest quoque, quantum de iure rationali nostro intelligimus, non ab alio quodam tolli atque deleri; neque enim obligatio est, quae ad alium *transmitti* queat, velut pecunia debita (quam nihil ad creditorem interest, ipsene debitor, an alius pro eo soluat) in alium potest transferri, sed *omnium maxime in persona haerens*, quippe debitum peccatorum, quod tantummodo sons, non vero insons, vel maxime generosus atque liberalis, qui pro alio suscipere illud velit, ferre queat.— Cum igitur malum morale (transgressio legis moralis, vt *praecepti diuini*, quam *peccatum* vocamus) non tam propter *infinitatem* legislatoris summi, cuius auctoritas ea re violata est (qua de adfectione hominis ad ens summum transscendente nihil nos quidquam intelligimus), verum vt malum in *mente* consilioque omninoque normis (vti *decreta vniuersalia* comparate cum transgressionibus singularibus), *infinitatem* laesionum legis, proinde culpae, in se continet (quod coram iudicio humano longe secus est, quod duntaxat delictum singulare, proinde tantummodo factum ad illudque relatam mentem, non vero generalem, contemplatur), quique homini *poena infinita* foret relegatioque ex regno dei exspectanda.

Enodatio huiusce difficultatis posita in iis est, quae nunc sequuntur. Sententia iudicialis scrutatoris animorum vt ea cogitanda est, quae ex generali mente accusati, non vero ex phaenomenis eius, actionibus ab lege abhorrentibus, cum eaue concinentibus effecta sit.

Iam hic in homine mens bona ſupponitur principium, antea potens in eo, ſuperans, et nunc quaeritur: an conſequens morale principii mali, poena (ſiue effectum diſplicentiae diuinae ex ſubiecto), etiam poſſit ad ſtatum eius in mente emendata referri, in qua is iam res eſt obnoxia complacentiae diuinae. Cum hoc loco non quaeratur: an etiam ante mutationem animi poena illi decreta cum iuſtitia diuina conſpiraret (de quo quippe nemo dubitat), *debet* ea (in hac inueſtigatione) non vt ante emendationem ab eo ſumta cogitari. Neque ea vero *vt poſt illam* poteſt, cum homo iam nouam vitam degit, moraliterque homo alius eſt, huic nouae qualitati eius (hominis deo accepti) conſentanea ſumi, nihilominus tamen ſummae iuſtitiae, coram qua ſons non poteſt poena vacare, ſatis faciendum eſt. Cum ea ergo nec *ante* nec *poſt* mutatum animum ſapientiae diuinae conueniens ſit, et tamen neceſſaria: ea vt in ſtatu mutationis animi ipſo illi conueniens atque irrogata cogitanda erit. Igitur nobis anquirendum erit, an in hoc poſteriori iam per conceptum animi moraliter mutati ea mala vt complexa queant cogitari, quae homo nouus bona mente praeditus vt ante ſe (alio reſpectu) promerita poſſit, atque vt eiusmodi *poenas* conſiderare, *) qui-

*) Hypotheſis: omnia in mundo malo vniuerſe qua poenas pepetratarum transgreſſionum conſiderandi, non tam in gratiam theodiceae cuiusdam, vel vt inuentum in vſum cultus excogitata, ſumi poteſt; (ea enim vulgarior eſt, quam quae tam artificioſe poſſit excogitata eſſe), verum ſine dubio rationi humanae admodum vicina eſt, quae prona fertur ad curſum naturae legibus moralitatis aduertendum, quaeque inde perquam naturaliter cogitationem producit: nos ante meliores fieri homines ſtudere debere, quam poſtulare queamus, a malis vitae liberari, aut ea maiori ſalute compenſari. — Idcirco primus homo (in ſcriptura ſacra), vt ad laborem, ſi veſci vellet, damnatus, vxor ad liberos cum dolore pariendos, ambo ad moriendum, *propter transgreſſionem eorum*, proponebantur, quamquam non poteſt intelligi, quomodo, etiamſi haec commiſſa haud fuerit, res creatae animales talibus membris artibusque inſtructae aliam potuiſſent deſtinationem ſperare. Apud *Hinduos* homines

bus iuſtitiae diuinae fiat ſatis. — Nimirum mutatio animi conſiſtit in exgreſſu a malo, ingreſſuque in bonum, in deponendo vetere induendoque homine nouo, cum ſubiectum peccato (proinde quoque cunctis inclinationibus, quatenus ad illud mouent) vltimum quaſi vale dicit, vt iuſtitiae viuat. In ea vero, vt determinatione intellectuali non duo per interuallum temporis ſeparati actus morales inſunt, ſed ſolum vnus eſt, quoniam fieri non poteſt vt malum relinquatur, niſi per mentem bonam, qua introitus in bonum efficitur, et ſic vice verſa. Ergo principium bonum in relinquendo mala pariter, atque in adipiſcenda mente bona continetur, dolorque, qui alteram illam iure comitatur, totus ex hac altera exſiſtit. Exitus e mente corrupta in bonum, vt („mors in homine vetere, crucifixio car„nis") per ſe iam iactura eſt inſtitutioque catenae longae malorum vitae, quae homo nouus in mente conſilioque filii dei, nempe ſolum propter bonum, ſuſcipit; quae vero tamen propriae alii cuidam, nimirum veteri (hic enim moraliter alius eſt) vt *poena* competerent. — Igitur quamquam *phyſice* (quoad characterem empiricum, vt natura ſenſibilis, ſpectatus) idem homo poenae obnoxius ſit, et qua talis coram iudicio morali, proinde quoque ab ſe ipſo iudicandus eſt, tamen in mente noua ſua (vt natura intelligibilis) coram iudice diuino, coram quo haec de facto reſpondet, *moraliter* alius eſt, eaque in puritate ſua, velut, quam in ſe recepit, puritas filii dei, aut (ſi hanc ideam perſona induamus), *hic* ipſe pro eo, atque ita quoque pro omnibus, qui fide illum (practice) recipiunt, tamquam *vicarius* culpam ſuſtinet peccatorum, iuſtitiaeque diuinae cruciatibus et morte ſatis facit vt *redemtor*, et vt *cauſae patronus* efficit, vt ſperare poſſint, coram iudice ſuo ſeſe abſolutos compariturος

non ſunt, niſi ſpiritus corporibus animalibus in poenam priſtinorum criminum incluſi (qui *dewas* dicuntur), ipſeque philoſophus quidam (*Malebranchius*) brutis potius nullas animas nulloſque proinde ſenſus tribuere volebat, quam concedere, equos tantos oportere ſuſtinere cruciatus, „ne„que tamen de foeno vetito comediſſe."

fore, ita tamen, (vt in hoc repraesentandi modo) illum cruciatum, quem nouus homo, dum *veteri* moritur, in vita perpetuo suscipere debeat, *) in vicario generis humani mors semel pro omnibus excepta repraesentatur. — Hic igitur cumuli ad meritum operum accessio, supra desiderata, meritumque, quod solum *per gratiam* nobis imputatur. Etenim vt id, quod in nobis hac in terrestri vita (fortasse etiam vniuersis tempori-

*) Vel purissima mens moralis in homine vt natura mundana tamen non nisi fieri producit continuum subiecti deo accepti quoad factum (quod in mundo sensibili deprehenditur), producit. Secundum qualitatem (cum ea suprasensibiliter *fundata*, cogitanda est) debet ea quidem et potest sancta esse atque prototypo suo consentanea, sed quoad magnitudinem qualique gradum, — quomodo se in agendo manifestat, — semper manca et imperfecta manet, ab illaque priori infinite longe remota. Nihilominus haec mens, quoniam rationem continet progressus continui in hac imperfectione supplenda vt vnitas intellectualis totius, *locum* tenet *actionis* in ea absoluenda. Sed nunc quaeritur: potestne is, „in quo nullus locus condemnationi est," aut debet esse, se iu..m putare, et nihilominus cruciatus, in quo in via ad m.. s bonum offendit, etiamnum *vt poenas* sibi imputare, proinde eo sese obnoxium poenae, ideoque mentem deo displicentem confiteri? Ita, sed tantummodo in qualitate hominis, quem continuo exsuit ac deponit. Quod sibi in qualitate illa (veteris hominis) vt poena competeret (idque omnes cruciatus et mala sunt vitae in genere), id in qualitate hominis noui lubenter, solum propter bonum, suscipit; ergo ei eatenus et qua tali haud imputantur vt poenae; verum sententia vocabuli haec est: omnia, quae ei accidunt, mala cruciatusque, quae homo vetus sibi vt poenas imputare debuisset, et quae etiam, quatenus ei moritur, vere qua talem imputat, ea, quo homo nouus, pro tot occasionibus explorandae exercendaeque mentis suae ad bonum libenter accipit, cuius ipsa illa punctio in effectis est simulque causa, ideoque illius tranquillitatis *felicitatisque moralis*, quae in conscientia progressus sui in bono (qui idem actus est cum directione mali) consistit; contra eadem mala in mente vetere non solum vt poenae debuissent valere, verum quoque qua tales *sentiri*, quoniam vel vt mera mala spectata, illi tamen directo contraria sunt, quod homo in tali mente vt *felicitatem physicam* sibi solum proponit.

bus in omnibusque mundis) ſemper tantummodo in *fiendo* eſt (nempe homo deo acceptus) nobis ſtatim, ac ſi iam his in poſſeſſione illius plena eſſemus, imputetur, id ſane nullo iure poſtulare poſſumus (ſecundum noſtri ipſius cognitionem empiricam); quantum quidem nosmet ipſi cognoſcimus (mentem noſtram haud proxime, ſed modo ex actionibus noſtris metimur), ita vt accuſator in nobis potius ſententiam condemnatoriam ſuaderet. Igitur ea ſemper ſententia tantummodo per gratiam, quamquam (tamquam in ſatisfactione fundata, quae nobis tantummodo in idea ineſt mentis emendatae, quam vero deus ſolus nouit), iuſtitiae diuinae prorſus conueniens, cum propter bonum illud in fide, ab omni nos exculpatione liberamur.

Iam adhuc quaeri poteſt, an huius ideae *iuſtificationis* hominis culpa quidem onerati, ſed tamen ad mentem deo acceptam transgreſſi deducendae vllus quippiam vſus practicus ſit, et quinam ineſſe poſſit. Non poteſt intelligi, qualis eius vſus fieri *poſitiuus* religioni vitaeque poſſit; cum in inueſtigatione illa conditio fundamento ſit, vt is, ad quem ea pertinet, mentem bonam, quae poſtulatur, iam vere habeat, ad quam euoluendam promouendamque omnis vſus practicus conceptuum moralium proprie ſpectat; ſolatium quidem eiusmodi mens ei, qui eius ſibimet conſcius eſt (vt ſolatium ac ſpem, non vero vt certitudinem), iamiam adfert. Ergo ea eatenus modo reſponſio eſt ad quaeſtionem contemplatiuam, quae vero idcirco non poteſt ſilentio praeteriri, quoniam alioquin rationi poſſet obiici, eam nullo modo poſſe ſpem hominis reatu abſoluendi cum iuſtitia diuina conciliare; quod quidem opprobrium foret, quod illi reſpectu vario, potiſſimum morali, poſſet noxium eſſe. Verum vtilitas *negatiua*, quae inde religioni poteſt et moribus in vſum cuiusque hominis effici, latiſſime patet. Namque ex illa deductione patet: non niſi ſuppoſita animi mutatione tota poſſe hominis reatu grauati coram caeleſti iuſtitia abſolutionem cogitari, proinde vniuerſis expiatio-

nibus, siue luentibus, siue solemnibus, vniuersis inuocationibus et celebrationibus (ipsius idealis vicarii filii dei) defectum vniuersae animi mutationis non posse compensari, aut, si haec adsit) eius valorem coram iudicio vel minimum posse augeri; hoc ideale enim in mentem nostram, oportebit, receptum sit, vt vicem queat actionis sustinere. Alia quaestio est: quid homini de acta vita sua *in fine eius* sperandum sit vel metuendum. Hic primum characterem suum certe quodam modo noscat, necesse est; igitur, etiamsi putet, mentem suam meliorem factam esse, veterem (corruptam) mentem, vnde egressus est, quamque reliquit, simul consideret, et quid quantumque de corrupta mente deposuerit, *qualemque* (puram impuramue) pariter ac quam *magna* meus noua opinata sit, intelligere possit, vt veterem illam vincat, caueatque ne rursus in eam relabatur; ergo illi tota vita perscrutanda erit. Cum igitur verae mentis suae per conscientiam proximam nullum prorsus certum determinatumque possit conceptum nancisci, sed tantummodo ex vita ante acta sua intelligere; non poterit sententiae futuri iudicis (conscientiae in se ipso expergefactae, simulcum cognitione sui ipsius empirica arcessita) alium sibi statum ad sese conuincendum cogitare, quam fore, vt aliquando *tota vita sua* sibi ob oculos ponatur, non solum illius particula, vltima fortasse, solaque faustissima; cum eo vero sponte prospectum in vitam vlterius propagatam (nullis hic sibi terminis designatis), si diutius durasset, coniungeret. Hic autem non potest mens antea cognita facti vicem sustinere, sed vice versa, ex facto sibi repraesentato homini mens sua est intelligenda. Quid putas? num solum haec cogitatio, quae homini (qui haud fere pessimus sit, oportebit, multa in memoriam reuocat, quae alioquin ex leuitate animi dudum neglexerat, etiamsi illi non diceretur, nisi, esse, cur credat, se aliquando coram iudice, compariturum, de sorte futura illius ex vita huc vsque acta iudicabit? Si iudicem in homine, qui in eo ipso est, interroges; se ipse seuere iudicat, neque enim ratio potest corrumpi; sin au-

tem illi alium iudicem proponas, ſi de eo ex aliis viis edoctum te ei oſtendas, tum multa habet, quae contra ſeueritatem illius adferat, depromta ex fragilitate humana, omninoque cogitat illum mouere, vt ſiue ſe ipſum excruciando, per mentem poenitentem, non vere ſeſe emendandi cupidum poenae praeueniat, aut precibus eum et ſupplicationibus flectat, etiam formulis confeſſionibusque pro fidis venditatis emolliat; et cum eius rei ſpes illi oſtenditur (ex prouerbio: finis coronat opus); tum iam mature conſilium init, ne temere plus iacturae faciat in vita laeta, in propinquoque fine illius celeriter calculos in ſuam rem ſubducat. *)

SECTIO POSTERIOR.

DE IURE PRINCIPII MALI IN IMPERIUM IN HOMINE ET CERTAMINE AMBORUM INTER SE INVICEM PRINCIPIORUM.

Scriptura ſacra (partis chriſtianae) hanc adfectionem moralem intelligibilem forma indutam hiſtoriae proponit, cum duo, inſtar caeli et inferni, ſibi inuicem contraria in homine principia, vt perſonae extra eum, propoſita, non ſolum vim erga ſe inuicem tentare, ve-

*) Iis, qui in extrema vita clericum ad ſe iubent arceſſere, ſolet plerumque hoc propoſitum eſſe: vt *conſolatorem* habeant: non de cruciatibus *phyſicis*, per morbum poſtremum, vel modo per naturalem mortis metum allatis (de his enim mors ipſa, eos finiens, conſolari poteſt), verum de *moralibus*, nimirum de opprobriis conſcientiae. Quae quidem tunc *excitanda* potius *acuendaque* foret, ne, quod boni adhuc fieri poſſet ac deberet, maliue in effectis ſuis relictis reparari, vllo modo negligeretur, pro eo, ac monemur: „eſto aduerſario tuo paratus (ei, cui ius competit contra te), dum adhuc cum eo in via ſis (id eſt, donec viuas) vt ne te iudici (poſt mortem) tradat, et ſic porro." Contra ſi quaſi opium conſcientiae dederis, in eo ipſo aliisque illi ſuperſtitibus peccabis; id quod prorſus fit contra ſcopum, in quem eiusmodi conſcientiae curator in vitae exitu poteſt neceſſarius iudicari.

rum etiam (vna pars vt accusator, altera vt patronus hominis) petitiones suas quasi coram summo iudice *per ius* obtinere volunt.

Homo originarie omnium bonorum terrae fuit institutus (Genes. I, 28.) ita tamen, vt haec tantummodo instar dominii vtilis sub creatore suo ac domino, vt domino directo possideret. Simul natura mala (quomodo ea mala facta sit, vt a domino suo desciscceret, cum tamen originarie bona esset, ignotum est) proponitur, quae per defectionem omni, quod in caelo tenuerat, dominio priuata, aliud sibi in terris comparare conatur. Cum autem ei, vt naturae excellentioris generis vt spiritui — res terrenae et corporeae nullam queant fruitionem concedere, dominium eo quaerit *animorum*, vt primos omnium hominum parentes a domino suo ad defectionem sollicitet atque ad sese transferat; quo fit, vt sic dominum se omnium terrae bonorum supremum, nimirum huius mundi principem constituat. Iam mirum quidem videri posset, cur deus contra istum proditorem haud vteretur potentia sua, regnumque, cuius fundandi consilium moliretur, non potius in primordio euerteret; *) sed imperium gubernatioque sapientiae summae in naturas rationales cum iis agit ex principio libertatis, et quod boni iis maliue accidere debet, id sibi ipsis imputare debent. Hic igitur, in ignominiam fraudemque principii boni, regnum fuit mali fundatum, cui omnes, qui ab Adamo (per naturam) descendunt, homines subiecti sunt, et cum suo quidem ipsorum consensu, quoniam praestigiae bonorum huius mundi adspectum eorum a voragine perniciei remouerent, cui essent seruati. Prospexit sibi qui-

*) Pater *Charlevoix* narrat: catechumenum Irokesium, cui omnia mala dinumerasset, quae malus spiritus in creationem initio bonam intulerit, et quomodo etiamnunc optima instituta diuina conaretur euertere, indignabundum interrogasse: ac quidni deus diabolum interficit? Ad quam interrogationem, ingenue fatetur, se nullam potuisse subito responsionem inuenire.

dem principium bonum de iure fuo in imperio in hominem conftituta forma cuiusdam regiminis, folum ad nomen eius publice vniceque colendum inftituti (in theocratia *Iudaica*), cum autem animi fubditorum illius nullis paterent elateribus aliis, nifi bonis huius mundi, nec proinde aliter, quam praemiis poenisque vellent hac in vita gubernari, contra quoque nullarum aliarum legum effent capaces, quam quae partim caerimonias moleftas ritusque imponerent, partim morales quidem, fed eas modo, in quibus vis coactioque externa locum haberet, ideoque tantummodo ciuiles effent, in quibus inteftinorum mentis moralis nulla prorfus ratio haberetur; hoc inftitutum regno tenebrarum haud adeo quidpiam detraxit, fed fecit potius tantummodo, vt ius inexftinctum atque indelebile domini primi femper in memoria conferuaretur. — Iam in eodem populo tempore, quo hic omnia mala conftitutionis hierarchicae fupra modum experiretur, et qui cum eo, tum forte doctrinis libertatis moralibus philofophorum Graecorum animum feruilem concutientibus, quae paullatim vim fuam in iis exfererent, ad fefe reuocatus, proinde ad conuerfionem maturus, fubito perfona prodiit, cuius fapientia purior, fapientia philofophorum, qui huc vsque fuiffent, quafi caelitus defcendiffet, et quae fe ipfam quoque, refpectu doctrinarum atque exempli, verum quidem hominem fefe, fed tamen legatum eiusmodi originis profiteretur, qui in innocentia originaria pacto, quod reliquum genus humanum per vicarium fuum, primum hominem, cum principio malo inierat, haud contineretur, *) et „in quo principi mundi nulla „poteftas effet." Quo quidem huius imperium periculo expofitum fuit. Quodfi enim homo deo acceptus tentationi-

*) Perfonam ab innata ad malum propenfione liberam ita fibi vt poffibilem cogitatione informare, vt eam nafci ex matre virgine facias, idea eft rationis ad inftinctum quemdam moralem difficulter enodandum, fed tamen haud negandum fefe accommodandis; cum fcilicet generationem naturalem, quoniam fine voluptate fenfitiua vtriusque partis fieri non poteft, ea vero tamen quoque in propiori nos (quam par eft

bus eius refifteret, in communionem pacti veniendi, fi alii quoque homines eamdem mentem fide adoptarent, tum totidem fubditos amitteret, regnumque coadduceretur discriminis, vt prorfus euerteretur. Hic igitur pollicitus, eum fe focium regni totius declaraturum, fi modo fe vellet vt dominum illius agnofcere. Cum ifte conatus haud fucceffiffet, ifti alienigenae in folo fuo cuncta eripuit, quibus vita terreftris eius reddi iucunda poffet (vsque ad fummam egeftatem) etiam vexationes omnes erga illum excitauit, quibus mali homines poffunt exacerbari, aduerfitates, quas folum homo bene ab natura informatus profundius in fe perfentifcit, calumnias finceri doctrinarum eius finis (quo om-

hominis dignitati) cum generali genere animalium cognatione ponere videtur, pro eo accipiamus, cuius nos oporteat *pudere;* — quae quidem repraefentatio fine dubio vera caufa fuit putatitiae ordinis monachorum fanctitatis; — quod proinde nobis quidpiam moralitati contrarium, a perfectione hominis alienum, tamen naturae eius implantatum, ideoque ad pofteros vt malum initium haereditate veniens videtur. — Cui quidem obfcurae (partim folum fenfibili, partim vero tamen morali, proinde intellectuali) repraefentationi idea partus a communione fexus vacua (virginalis) paruuli nullo morali vitio infecti bene confentanea eft, verum haud libera a difficultatibus in theoria (cuius vero refpectu inutile eft quidpiam refpectu practico determinari). Etenim ex hypothefi epigenefos mater per generationem *naturalem* a parentibus oriunda vitio ifto morali inquinata effet, quod faltem ex parte dimidia etiam in generatione fupranaturali ad paruulum haereditate transferret; proinde, ne iftud fieret, fyftema *praeexfiftentiae* furculorum in parentibus, verum quoque haud euolutionis in parte *feminina* (quippe quo illud confequens haud euitaretur) fed in *virili* folum (non oculorum fyftema, fed animalculorum fpermaticorum) adfumendum foret; quae pars igitur in grauiditate fupranaturali ceffat, atque ita illi ideae theoreticae conuenienter poffet ifte repraefentandi modus defendi. Quem vero in finem vniuerfa theoria ifta, vel pro vel contra, fi ad rationem practicam vitaeque actionem fatis eft, ideam illam vt fymbolum naturae humanae fe ipfam fupra tentationem ad malum euehentis (huic fortiter obfiftentis), nobis exemplo proponi?

nes illi adseclas abalienaret), vexauitque eum ad mortem vsque crudelissimam, neque tamen quidquam hanc impugnatione constantiae eius libertatisque in docendo viuendo pro salute indignorum contra illum effecit. Et iam euentum huius certaminis, age, contemplemur. Euentus eius vel vt *iuridicus* potest, vel vt *physicus* spectari. Respectu euenti physici (quod sub sensus cadit), principium bonum inferius est; in hoc certamine vita illi, multas aerumnas cruciatusque perpesso, amittenda fuit, *) quoniam in alieno imperio (potente) seditionem excitaret. Cum autem regnum, in quo *principia* potestatem tenent (siue bona illa sint, siue mala), haud regnum naturae est, sed libertatis, hoc est, in

*) Non vt (quemadmodum *Bahrdtius* fabulose confinxit) mortem *quaereret*, ad consilium bonum, exemplo splendido, quod conspectum hominum in sese conuerteret, promouendum; id quod autochiria fuisset. Nam licet quidem mortis periculo quidquam auderi, vel etiam mortem ab alieni manu accipi, si ea non possit euitari, nisi officium deserueris haud remittendum, non vero de te vitaque tua vt adiumento, quemcumque in finem fiat, decernere atque ita *auctorem* mortis tuae videri. — Nec vero etiam eo consilio, vt (quomodo auctor fragmentorum Guelferbitensium suspicatur) vitam haud ex consilio morali, sed solum politico, verum illicito, fere ad euertendum regimen sacerdotum, eorumque in locum se ipsum sufficiendum, ausus sit; quippe quocum pugnat admonitio illius, missa iam spe illius conseruandi, ad discipulos facta in sacra coena, vt eam repeterent in eius memoriam; quae quidem admonitio, si recordatio esse illa frustrati finis mundani debuisset, monitum acerbum, inuidiam auctori excitans, proinde secum ipsum pugnans fuisset. Nihilominus tamen haec recordatio frustratum poterat finem bonum pure moralem magistri spectare, nimirum eo adhuc viuo ad conuersionem *publicam* (in religione) euertenda fide caerimoniali omnem mentem moralem expellente, tollendaque sacerdotum illius auctoritate, efficiendi (quo quidem consilium, discipulos in prouincia dissipatos in paschate congregandi, poterant pertinere): quam, fane etiamnunc dolendum est, prosperum successum non habuisse; quae vero tamen haud irrita facta est, sed post mortem eius in conuersionem religionis transit, occulte sese, sed in multis vexationibus dispergentem.

quo de rebus non poteſt quidpiam ſtatui, niſi quatenus imperium teneas animorum, in quo proinde nemo ſervus eſt (glebae addictus) quam is, qui velit et quo vsque velit: haec ipſa mors (ſummus cruciatuum gradus in homine) exhibitio principii boni, nempe humanae naturae, in perfectione morali ſua, exemplo ad imitandum cuique propoſita. Repraeſentatio illius et debuit et potuit ſuo quoque tempori, quin cuique tempori poteſt ſummam vim habere in animis humanis; propterea quod libertatem caeli liberorum ſeruitutemque ſolius filii terrae cum maxime ea diſtinguit. Principium bonum autem non ſolum certo quodam tempore, verum inde ab origine generis humani modo inuiſibili de caelo in humanam naturam deſcendit (vti cuique fatendum eſt, qui ad ſanctitatem illius, et ſimul incomprehenſibilitatem coniunctionis eius cum hominis natura in initiis moralibus animum aduertit), in eaque iure primum domicilium occupat. Cum illud igitur in homine vero vt exemplo omnibus propoſito ſeſe oſtenderet, „venit in „poſſeſſionem ſuam, nec ſui eum receperunt, qui eum „vero recepiſſent, iis copiam fecit nominis liberorum „dei, quatenus in nomine eius fiduciam ſuam colloca„rent;" id eſt, exemplo illius (in idea morali) portam aperit libertatis cuique, qui perinde, atque ipſe, vniverſis iis cupiant emori, quibus in perniciem honeſtatis (moralitatis) ad vitam terreſtrem vinculis adſtricti tenentur, in iisque ſibi colligit „populum qui diligen„ter laboret in bonis operibus, proprium" ſub ſuumque imperium, interea dum eos, qui ſeruitutem moralem praeferunt, eorum imperio relinquit.

Ergo exitus huiusce certaminis moralis ex parte herois huius hiſtoriae (vsque ad eius mortem) proprie non eſt *ſuperatio* principii mali; eius enim regnum etiamnum durat, et ſine dubio nouum tempus exſpectandum eſt, quo debeat illud euerti, — ſed modo deminutio eius potentiae, eos, qui tamdiu ei ſubiecti fuerint, haud inuitos retinendi, dum aliud illis imperium morale (vlli enim cuipiam homo ſubſit, neceſſe eſt) pro aſy-

lo aperitur, in quo tutelam possint moralitatis suae invenire, si vetus cupiunt relinquere. Caeterum principium malum etiamnunc princeps huius mundi vocatur, in quo, qui principium bonum sectantur, promti sint semper paratique ad cruciatos physicos, faciendas iacturas, amorisque sui offensiones subeundos, quae cuncta hic tamquam vexationes principii mali depinguntur, quoniam istud iis modo, quibus scopus in salute terrestri cernitur, praemia in regno suo pollicetur.

Facile intelligitur, hunc repraesentandi modum viuidum et pro tempore suo probabiliter vnum popularem, velamine mystico exsutum (mentem eius sensumque rationalem) ad vniuersum mundum, omnique tempore valuisse, et vim obligandi habuisse, quoniam cuique homini satis in propinquo est, vt de eo, quid in officio sit, cognoscat. Hic sensus in eo consistit, quod nulla omnino salus sit hominibus nisi intime vera genuinaque decreta moralia in mentem suam recipiant: quod huic receptioni haud fere saepenumero incusata illa sensualiter, sed certa quaedam peruersitas sponte contracta, aut, quomodo hanc vitiositatem vocaueris, deceptio (dolus Satanae, quo malum in mundum venit), contra agit, quae quidem corruptio in omnibus hominibus inest, nullaque re potest superari, nisi per ideam boni moralis in tota puritate sua, per conscientiam, eam reapse ad initia nostra originaria pertinere, et tantummodo operam nauandam esse, vt ab omni admixtione impura libera seruetur, eamque alte in mentem nostram infigamus, quod ex effectione eius in animo certi fiamus, vires metuendas mali nihil quidquam contra eam efficere (portas inferni haud superare) posse, et, ne defectum huius fiduciae *superstitiose* per expiationes, quae nullam animi supponunt mutationem, aut *fanatice* per illustrationes putatitias (solum passiuas) expleamus, atque ita a bono in actione spontanea fundato vsque teneamur remoti, nullam nos aliam subiicere notam debere, quam vitae praeclare actae. — Caeterum labor, cuiusmodi praesens est, in scriptura eum sensum eruen-

di, qui cum *fanctiffimo*, quod ratio docet, conuenit, fed potius in officio ducendus eft, in quo quidem ea in memoriam reuocari poffunt, quae *fapientiffimus* doctor ad difcipulos de homine quodam dixit, qui, peculiarem viam *) ingreffus, poftremo ad eamdem metam, neceffe erat, perueniret: „nolite eum impedire; qui enim „haud contra nos eft, pro nobis erit."

SCHOLION GENERALE.

In religione morali (quae non in traditionibus et ritibus poni debet, verum in confilio animi ad facienda officia humana, vt praeceptora diuinora fuscepto) conftituenda, omnibus, quae hiftoria cum eius introductione coniungit, miraculis, fides miraculorum ipfa omnino tandem, neceffe eft, fuperuacanea reddatur; nam nota permagnae incredulitatis moralis reprehendendae eft, fi praeceptis officii, vti originarie funt cordi hominis per rationem infculpta, haud velis auctoritatem idoneam concedere, nifi praeterea iis per miracula fides facta videatur: „nifi figna videritis et mira„cula, nullam fidem habetis." Iam vulgari hominum ingenio prorfus confentaneum eft, vt, fi, religione cultus rituumque abrogata, alia in fpiritu ac veritate (mente morali) fundata in locum eius collocari debeat, huius introductio, quamquam eius rei haud indigeat, in hiftoria infuper miraculis ftipetur quafique exornetur, vt finis illius, cuius nulla omnino fine miraculis auctoritas fuiffet, annuncietur: quin ita quoque, vt ad fectatores illius prioris conuerfioni nouae conciliandos, vt typus antiquior nunc completus eorum, quae in hac pofteriori pro fcopo effent prouidentiae, explicetur, et eiusmodi rerum ftatu inutile erit, narrationes illas vel interpretationes nunc impugnari, cum vera religio femel adeft, et nunc et inpofterum quoque fe ipfa poteft tueri, quae fuo quondam tempore eiusmodi adminicu-

*) Quam, concedi poteft, haud vnam effe.

lis introducenda fuit; nisi forte sumseris, fidem solam et repetitam professionem rerum incomprehensibilium (id quod quisque potest, neque tamen idcirco homo melior fit, vel vmquam ea re fiat) modum esse eumque solum deo placendi; quae quidem opinio summa vi erit impugnanda. Esto igitur, vt persona doctoris religionis vnius vniuersis mundis valentis mysterium sit, eius aduentus in terris, vti discessus ex iis, vita eius actiosa et cruciatus non nisi miracula sint, atque etiam vt historia, quae narrationi omnium miraculorum istorum fidem debeat facere, ipsa quoque miraculum (revelatio supranaturalis) videatur: cunctis poterimus pretium concedere, quin velamen quoque venerari, quod fecit, vt doctrina, cuius fides in documento nititur, in vnoquoque animo indelebiliter adseruato, nulliusque miraculi indiget, palam acciperetur; si modo, quoad vsum harum narrationum historicarum, haud partem religionis statuamus, scientiam, fidemque et confessionem esse quidpiam, quo reddere nos deo acceptos possimus.

Ac fidem quidem miraculorum in genere videmus ab hominibus prudentibus, etiamsi ab ea sese nolint abdicare, numquam velle practice emergere; quod idem est, ac: credunt quidem, quantum attinet ad *theoriam*, eiusmodi miracula esse, sed in *actionibus* nulla omnino statuunt. Idcirco rectores ciuitatum sapientes semper quidem concessere, atque etiam in publicis religionis doctrinis opinionem legaliter reposuerunt, *olim* miracula facta esse, sed *noua* miracula haud concessere. *) Etenim miracula vetera paullatim tam ita

*) Ipsi religionis doctores, articulos fidei cum auctoritate regiminis coniungentes (orthodoxi) ea in re eamdem normam sequuntur. Quamobrem *Pfennigerus*, cum familiarem suum, celeberrimum *Lauaterum*, propter adsertam ab eo fidem miraculosam etiamnum possibilem, defenderet, iure optimo eorum inconstantiam reprehendit, quod (nam ab iis, qui ea in re rationem sequuntur *naturalistarum*, discessit), cum tamen patratores miraculorum, qui septemdecim abhinc se-

determinata erant, et per magiſtratum circumſcripta, vt nulla poſſet confuſio ea re in republica deſignari, de nouis vero miraculorum patratoribus ſane propter effecta vigilandum erit, quae in tranquillitatem publicam, ordinemque inſtitutum poſſent inde redundare. Si autem quaeras: quae vis vocabulo *miraculi* ſubiicienda ſit, poſſunt (cum noſtra proprie ſolum interſit, vt ſciamus, quidnam ea *nobis* ſint, id eſt, vſui rationi practico noſtro), ea definiri per euenta in mundo, quorum cauſae *leges efficientiae* omnino nos lateant, et latere debeant. Tum vel poteris vel *theiſtica* miracula, vel *daemonica* cogitatione informare, et daemonica rurſus in *angelica* (agathodaemonica) et *diabolica* (cacodaemonica) deſcribere, ex quibus vero proprie tantummodo diabolica citantur, quoniam *angeli boni* (neſcio qua de cauſa) parum vel nihil de ſe ſermonis oſtendunt.

Iam quod miracula *theiſtica* attinet; ſane quidem de legibus efficiendi cauſae illorum (vt entis omnipo-

culis in coetu chriſtiana exſtitiſſeat, adſererent, nollent noſtro tempore vllos amplius ſtatueret, neque tamen poſſent ex ſacra ſcriptura docere, aliquando eos et quando prorſus debere ceſſare (nam argutatio, eos nunc amplius neceſſe eſſe, arrogantia eſt maioris intellectus, quam quem homo ſibi debeat tribuere), eamque probationem nondum dedere. Igitur duntaxat norma fuit rationis, ea haud concedendi, nec ex intellectu obiectiuo venit opinio, ea nulla eſſe. Nonne autem eadem norma, quae ſemper rationem habet perturbationis in republica metuendae, etiam ad ſimilem perturbationem valeat in republica philoſophante omninoque rationi conuenienter cogitante? — Ii, qui *magna* quidem (multitudinem percellentia) miracula haud concedunt, ſed *parua* modo ſub titulo *directionis* cuiusdam *extraordinariae* liberaliter concedunt (quoniam haec, vt ſolae directiones, paucis cauſae ſupranaturalis viribus indigent), haud cogitant, ea in re haud de effecto agi eiusque magnitudine, verum de forma curſus mundani, ſcilicet de *modo, quo illa fiant*, vtrum naturali, an ſupranaturali, nullumque coram deo diſcrimen facilium poſſe ac difficilium cogitari. Quod autem *myſterioſum* ſecretumque ſpectat contagionum ſupranaturalium: eiusmodi ſtudioſa occultatio grauitati eventi eiusmodi multo minus conſentane

tentis etc. et praeterea moralis), cogitationem concipere possumus, sed modo *vniuersalem*, quatenus illud vt creatorem mundi ac moderatorem secundum ordinem tum naturalem cogitamus, quoniam legum huiusce proxime possumus ac per se notitiam haurire, qua tum vti ratio potest. Sin vero sumamus, deum subinde concedere, vt natura ab hisce legibus suis deflectat; ne minimam quidem cogitationem habebimus, neque eam nos vmquam accepturos esse sperare legis, ex qua deus tunc in eiusmodi euento praeparando agat, (praeter *vniuersalem moralem*, vniuersa, quae faciat, bona fore; qua vero respectu huius euenti singularis nec quidquam determinatur). Hic igitur ratio quasi contrahitur, propterea quod in negotio suo ex legibus notis impeditur, nulla vero noua edocetur, neque vllo vmquam tempore edoctum iri potest sperare. In his autem miracula daemonica omnium minime sunt cum vsu rationis nostrae concilianda. Nam *theisticorum* quidem tamen saltim notam vsui suo negatiuam habere posset, nimirum quod, si quidpiam vt ab deo in phaenomeno proximo illius praeceptum repraesentetur, tamen id directe moralitati aduersatur, vt maxime species sit miraculi diuini, tamen non posse tale esse (si, vt hoc vtar, pater iuberetur, vt filium, quantum sciat, prorsus innocentem, occidat); sumto raro miraculo daemoniaco ea nota cessat, et si e contrario in gratiam eorum notam positiuam contrariam adhibueris: nimirum, quod, si eo inuitatio fiat ad actionem bonam, quam per se iam pro officio agnoscimus, ea non sit a spiritu malo profecta, tam tum prorsus errare posses; hic enim dicitur saepenumero angelum lucis simulare.

In actionibus igitur fieri non potest vt miraculorum rationem habeas, aut in vsu rationali (quippe qui per omnem vitam necessarius est) adhibeas. Iudex (vt maxima sit miraculosa fide in templo praeditus) praetextum hominum maleficum de tentationibus diabolicis, quas passum se perhibet, negligit, quasi nihil omnino dictum foret; quamuis, cum hanc causam vt pos-

fibilem fpectaret, tamen dignum foret, quod quodam modo fpectetur, hominem fimplicem ex plebe in laqueos incidiffe mali verfutae calliditatis; verum hunc non citare poteft, vtrumque comparare, vno verbo, nihil quidquam, quod rationi conueniat, inde efficere. Idcirco clericus prudens fane fibi prouidebit, ne mentem eorum, qui curae fuae demandati funt, hiftoriis oneret ex *Proteo infernali* depromtis, eorumque phantafia efferatur. Sed miracula quidem boni generis ab hominibus in negotiis folum vt phrafes vfurpantur. Sic medicus, aegroto, ait, nifi forte miraculum fiat, nulla medela eft, id eft, profecto morietur. — In negotiis eft et fcrutatoris naturae, caufas euentorum in eorum legibus phyficis conquirentis; in legibus phyficis dico iftorum euentorum, quae proinde per experientiam poteft probare, etiamfi nullam fe concedit notitiam habere eorum, quae ex legibus iftis agunt, per fe, aut quid refpectu alius cuiusdam, qui nobis effe poffit, fenfus fuerint. Pariter moralis hominis mutatio negotium eft illi incumbens, et licet etiamnum vires caeleftes cooperentur, aut ad explicandam poffibilitatem illius neceffariae reputentur; nefcit eas nec ab naturalibus discernere, nec quafi fic caelum ad fe deuocare; cum igitur iis vti haud proxime queat, *ftatuit* eatenus nulla miracula, verum fi praecepto rationis obediat, perinde agit, ac fi omnis mutatio animi emendatioque folum a fua ipfius diligentia adhibita pendeat.*) At per donum *firmiter* miracula theoretice credendi, ea fere quoque ipfe efficiendi atque ita caelum impugnare poffis, nimium vltra carceres rationis euagatur, quam vt diu poffimus in abfona abfurdaque cogitatione immorari. **)

*) Idem eft atque, fidem miraculofam haud recipit in normas fuas (neque theoreticae rationis, neque practicae), neque tamen poffibilitatem eorum, vel exfiftentiam impugnat.

**) Exitus eft, quem folent ii quaerere, qui credulis artes *magicas* praeftigiantur, aut eos certe generatim volunt credere, quod ad confeffionem prouocant phyficorum de *igno-*

CAPUT TERTIUM.

VICTORIA PRINCIPII BONI DE MALO

CONSTITUTIOQUE REGNI DEI IN TERRIS.

Certamen, quod cuique moraliter bene animato duce principio bono aduersus impugnationes mali, hac

rantia sua. Non nouimus causam grauitatis, virtutis magneticae, id genus aliorum. — Sed leges tamen eorum nouimus satis plene, determinatis circumscriptionibus ad conditionem adstrictis, quibus solis certa quaedam effecta eueniunt; idque satis est, cum ad certum vsum virium earum rationalem, tum quoque ad enodanda earum phaenomena, secundum quid, *deorsum* in vsum earum legum, ad experientias illi subordinandas, etsi haud simpliciter ac *sursum*, ad causas ipsas virium secundum eas leges efficientium perspiciendas. — Quo quidem internum quoque phaenomenon intelligentiae humanae comprehendi potest: quare scilicet miracula sic dicta naturae, hoc est, phaenomena satis fide digna, quamquam mira, vel qualitates rerum, quae emergunt, inexspectatae a legibusque naturalibus huc vsque notis abhorrentes cupide adprehendantur, animumque *excitent*, dum tamen naturales putantur, qui e contrario annunciato miraculo *deiicitur*. Illis enim prioribus prospectus aperitur noui rationi parienti alimenti; ea quippe *spem* faciunt, nouarum legum naturalium aperiendarum. Cum autem ratio legibus empiricis priuatur, tum in eiusmodi mundo fascinato ad nullam omnino rem amplius vtilis est, ne ad vsum quidem moralem in ea, ad officium faciendum; haud enim nouimus, anne in ipsis elateribus moralibus, nobis insciis, per miracula mutationes fiant, in quibus nemo discernere possit, vtrum eas nobis ipsis, an alii cuidam causae haud peruestigabili attribuere debeamus. — Ii, qui ea sunt facultate iudicandi, vt sine miraculis haud se posse expedire opinentur,offendiculum,quod ratio in eo capit,eo putant minui, quod sumunt, ea duntaxat *raro* fieri. In quo quidem si ea mens eorum sit, istud iam in conceptu miraculi inesse (quia, si eiusmodi res frequenter fieri soleret, ea non pro miraculo declaratum iri videretur): hoc iis sophisma (quaestione obiectiua de eo, quid res sit, in subiectiuam, quid vocabulum, quo eam denotamus, significet, conuersa) fere possumus largiri, vicissimque quaerere, quam *raro?* centumne annis sorte semel, an olim quidem, nunc vero omnino haud amplius. Hic nihil habemus, quod ex cognitione rei obie-

in vita ſuſtinendum eſt, ei, vtcumque allaboret, nullam tamen maiorem poteſt vtilitatem adferre, quam liberationem ab *imperio* poteſtateque principii mali. Quod *libertati adſeritur*, quod „ſeruitute legis peccatorum li„beratur, vt iuſtitiae viuat," id lucrum ſummum eſt, quod queat eluctari. Nihilominus etiamnum manet adgreſſibus principii mali obnoxius; et ad libertatem ſuam, quae perpetuo ſollicitatur, obtinendam, porro ſemper, neceſſe eſt, maneat ad certamen armatus.

In hoc ſtatu diſcriminis pleno nihilominus per culpam propriam homo verſatur; proinde tenetur *obſtrictus*, vt, quantum in ſe ſit, ſaltim vires contendat, ad

ctae queat determinari (ſiquidem hoc ipſi fatemur nobis transſcendens eſſe, et vim omnem noſtram notionemque fugere ac ſuperare), ſed modo ex normis neceſſariis rationis noſtrae vtendae: vt ea vel *quotidie* (quamquam ſub ſpecie euentorum naturalium occultata), vel *numquam* concedamus, caſuque hoc poſteriori nec enodationibus rationalibus noſtris neque regulis actionum noſtrarum ea fundamenta ſubſternamus; cumque ſuperius nullo modo conueniat cum ratione, nihil relinquitur, niſi vt normam poſteriorem ſequamur; hoc enim decretum ſemper manet duntaxat norma iudicandi, non vero adſertio theoretica. Nemo opinionem de intellectu ſuo tantopere poteſt exaggerare, vt deciſiue velit pronunciare: exempli gratia, conſeruationem maxime admirandam ſpeciei in regno et vegetabili et animali, cum quaeque noua generatio exemplar ſuum cum omni interna mechaniſmi perfectione, et (vt in regno vegetabili, ipſa omni tam tenerae colorum pulcritudine, vnoquoque vere imminutam exhibeat, ita vt vires alioquin tam euertentes naturae in organicae mala auctumnali hiemalique tempeſtate ſemini illorum quidquam queant nocere, hoc, inquam, ſolum conſequens eſſe ex legibus naturalibus, et anne in vnoquoque vis quaedam creatoris proxima deſideretur. — Verum iſta ſunt experientiae; *nobis* ea ergo nihil quidquam aliud ſunt, quam effecta naturalia, neque vmquam aliter iudicari *debent*: id enim vult rationis modeſtia in petendo; vltra hos vero terminos progredi, temerarium in petendo eſt atque immodeſtum; quamquam plerumque in adferendis defendendisque miraculis animi ingenium demittens ſe ipſumque ab negans praetexitur monſtrari.

sese ex eo liberandum. At quomodo? id scilicet quaeritur. — Si causas temporaque circumspicit, quae periculum istud illi contrahunt eumque in eo retinent, facile sibi poterit ad veritatem persuadere, ea sibi non tam ab natura propria rudi sua, quatenus solitarius adsit, sed ab hominibus nasci, quibuscum adfectione vel coniunctione tenetur. *Perpessiones animi* proprie sic dicendae, a quibus tantae vastationes initiorum suorum originarie bonorum proficiscuntur, haud stimulis atque illecebris naturae suae rudis excitantur. Necessitates eius exiguae sunt, statusque animi in iis procurandis moderatus est et tranquillus. Pauper est (aut pauperem sese existimat), quatenus veretur, ne alii homines pro eo sese reputent et propterea despiciant. Inuidia, imperandi cupido, auaritia, cum iisque coniunctae inclinationes inimicae continuo naturam eius per se frugalem oppugnant, *dum in hominibus versatur*, et ne quidem necesse est, vt hi tamquam in malo iam demersi, atque vt exempla irritantia supponantur; satis est, eos adesse, eos illum cingere, homineșque esse, vt mutuo se inuicem in initiis moralibus suis corrumpant, malosque reddant. Si igitur nulla adiumenta possent inueniri, stabiliendae coniunctionis cuiusdam proprie hoc malum euitandum bonumque promouendum in homine spectantis, vt constantis, semperque se dilatantis, solum ad conseruandam moralitatem institutae societatis, quae coniunctis viribus malo obsisteret, tamen ea re, quantum cumque singularis homo effecerit, ad sese imperio illius subtrahendum, perpetuo is in periculo relapsus sub illud retineretur. — Igitur imperium principii boni, quatenus homines ad id quidpiam possunt efficere, quantum intelligimus, attingi non potest, nisi instituenda dilatandaque societate ex legibus virtutis, in earumque gratiam; cuius modo quidem societas vniverso generi humano in ambitu suo includendo per rationem proposita est, officioque iniuncta. — Sic enim solum nulla potest boni principii de malo victoria sperari. Ab ratione moraliter legislatoria praeter leges vni cuique singulari praeceptas, et vexillum virtutis vt

locus coniunctionis propositum vniuersis est, qui bonum amant, vt sub eo colligantur, atque ita demum victoria de malo, quo sollicitantur adsiduo, potiantur.

Coniuncta hominum sub solis virtutis legibus ex praecepto huius ideae societas dici *ethica* potest, et quatenus hae leges publicae sunt, *ethico-ciuilis* (contraria ei, quae *iuridico-ciuilis* vocetur), siue *respublica ethica.* Haec in media potest republica politica, atque etiam ex omnibus illius membris constare; (vti quoque ea, nisi hoc posteriori fundamento posita, nullo modo posset ab hominibus perfici). Verum illius singulare quoddam propriumque coniunctionis principium est (virtus), et proinde quoque forma constitutioque ab hac posterioris huiusce essentialiter diuersa. Nihilominus tamen certa quaedam vtriusque analogia est, vt duarum rerum publicarum generatim spectatarum, cuius respectu superior illa etiam *ciuitas ethica*, hoc est, regnum virtutis (principii boni) adpellari potest, cuius ideae realitas obiectiua est in ratione humana optime fundata (vt officium ad eiusmodi ciuitatem sese coniungendi), etsi haud posset de bona hominum voluntate vmquam sperari, fore, vt in hunc finem coniunctis viribus agendi consilium capiant.

SECTIO PRIOR.

DESCRIPTIO PHILOSOPHICA VICTORIAE PRINCIPII BONI IN REGNO DEI IN TERRIS FUNDANDO.

I.

De statu naturae ethico.

Status ciuilis iuridicus (politicus) cernitur in hominum ad se inuicem adfectione, quatenus communiter subsunt *legibus iuris publicis* (quae cunctae sunt leges cogentes). Sed *status ethico-ciuilis* est is, quo sub le-

gibus eiusmodi a coactione liberis, id est, solis *legibus virtutis* coniuncti sunt.

Vti autem priori illi status *iuridicus naturae* (sed idcirco haud semper legitimus) opponitur, ita quoque ab hoc posteriori *status naturae ethicus* distinguitur. In vtroque sibi quisque ipse legem fert, neque vlla est externa, cui sese, cum cunctis aliis, subiectum agnosceret. In vtroque suus quisque ipse iudex est, neque vlla auctoritas adest potestatem *publicam* tenens, quae, ex legibus, quid in causis obuiis cuique in officio sit, iuridice determinet, illasque generatim exerceat.

In republica politica iam consistente omnes ciues politici insunt, qua tales tamen in *statu naturae ethico*, et iure gaudent, in ea quoque manendi; nam illa ciues cogi, vt in rempublicam ethicam transeant, repugnat (ex adiecto); siquidem haec posterior iam in conceptu suo libertatem continet coactionis. Sane quidem vnaquaeque respublica politica optare potest, vt in se quoque imperium in animos ex legibus virtutis deprehendatur; vbi enim illius adiumenta cogendi suppetunt, quoniam iudex humanus interiora aliorum hominum perspicere non potest, ibi consilia honesta (virtutis), quod desideratur, efficerent. At vae legislatori qui constitutionem fines ethicos spectantem efficere vellet coactione! Eo enim non solum ipsum contrarium ethicae efficeret, verum etiam politicam suam subuerteret incertamque redderet. — Igitur ciuis reipublicae politicae, respectu iuris legislatorii huiusce, prorsus liber manet: quamuis cum aliis ciuibus, praeterea quoque possit in coniunctionem ethicam transire, aut malit in statu naturae huiusce generis manere. Tantummodo quatenus respublica ethica tamen in legibus *publicis* posita esse, constitutionemque debet iis nitentem continere, ii, qui sponte sese coniungunt ad hunc statum ingrediendum, haud sibi quidem a potestate politica, quomodo hunc debeant interne instituere, aut non instituere, imperari patientur, sed sane limitationes praescribi, nempe ad

conditionem, ne quidpiam in eo inſit, quod officio repugnet membrorum illius vt *ciuium reipublicae;* quamquam, ſi prior coniunctio genuina ſit, poſterius per ſe haud metuendum videtur.

Caeterum, quoniam officia virtutis vniuerſum genus humanum attingunt, conceptus reipublicae ethicae ſemper refertur ad ideale totius cuiuspiam hominum vniuerſorum, in eoque ea diſtinguitur a republica politica. Idcirco multitudo hominum in illum finem coniunctorum nondum ipſa poteſt respublica ethica, ſed modo ſocietas ſingularis vocari, ad conſpirationem cum omnibus hominibus (adeoque vniuerſis naturis ratione praeditis finitis) nitens, ad totum quoddam ethicum abſolutum conſtituendum, cuius vnaquaeque ſocietas partialis duntaxat repraeſentatio eſt vel ſchema, quoniam quaeque ipſa viciſſim in adfectione ad alias huius generis poteſt vt in ſtatu naturae ethico, cum cunctis imperfectionibus eius, verſans repraeſentari: (quemadmodum cum variis ſtatibus politicis, nullo vinculo ex iure gentium publico coniunctis, itidem comparatum eſt).

II.

Homo ſtatum naturae ethicum relinquere debet, vt membrum fiat reipublicae ethicae.

Quemadmodum ſtatus naturae iuridicus ſtatus belli eſt cuiusque contra quemque, ſic quoque ſtatus naturae ethicus ſtatus eſt impugnationis adſiduae per malum, quod in eo ſimulque in vnoquoque alio deprehenditur, qui (vti ſupra monuimus) ſibi inuicem mutuo initia moralia corrumpunt, et in ipſa voluntate bona cuiusque ſinguli, ex inopia principii coniungentis eos, quaſi *inſtrumenta mali* forent, per diſſenſiones a fine boni communi remouent, et ſe inuicem in discrimen adducunt, rurſum in imperium illius veniendi. Vti vero porro ſtatus libertatis externae legibus vacuae (bru-

tae) atque ab legibus cogentibus independentiae ſtatus eſt iniuſtitiae bellique ab vnoquoque contra quemque, quem homo debet relinquere, vt in ſtatum transeat politico-ciuilem: *) ſic ſtatus naturae ethicus mutua eſt impugnatio *publica* principiorum virtutis ſtatusque inhoneſtatis internae, cui, ſimulatque fieri poſſit, relinquendo homo naturalis operam dare debet.

En hic officium generis cuiusdam peculiaris non hominum erga homines, ſed generis humani erga ſe ipſum. Nimirum quodque genus naturarum ratione praeditarum obiectiue, in idea rationis, ad finem quemdam communem, nempe ad bonum ſummum, vt commune bonum, promouendum, determinatum eſt. Quoniam autem ſummum bonum morale ſola perſona ſingulari ad perfectionem moralem propriam nitente haud efficitur, ſed coniunctione illius opus eſt in toto quodam ad eumdem finem, ad ſyſtema hominum bene animatorum, in quo per cuiusque vnitatem tantum poteſt effici, idea vero eiusmodi totius, vt reipublicae vniuerſalis ſecundum leges virtutis, idea eſt ab vniuerſis legibus moralibus (quae id attingunt, quod ſcimus in no-

*) *Hobbeſii* ſententia: ſtatus hominum naturalis eſt *bellum* omnium in omnes, nullo amplius alio vitio laborat, quam quod dici deberet: *eſt ſtatus belli etc.* Etſi enim haud conceſſeris, inter homines, legibus externis ac publicis haud obnoxios, ſemper veras *offenſas* dominari: tamen *ſtatus* eorum (ſtatus iuridicus) hoc eſt, relatio, in qua et per quam iurium (acquirendorum tuendorumue) capaces ſunt, eiusmodi ſtatus eſt, in quo quisque ipſe vult iudex eſſe de eo, quod ſibi erga alios iuſtum ſit, verum de eo quoque ab aliis haud cautum eſt, aut iis cauet, quam ſua cuiusque propria poteſtas; qui ſtatus eſt bellicus, propterea quod quisque contra quemque perpetuo ſit, oportebit, armatus. Altera eius ſententia: exeundum eſſe e ſtatu naturali, conſequentia eſt ſuperioris: hic enim ſtatus laeſio continua eſt iurium aliorum omnium per arrogantiam in cauſa propria ſententiam pronunciandi, aliisque hominibus nullam de ſuis ſecuritatem concedendi, niſi tantummodo proprium ſuum arbitrium.

ſtra poteſtate eſſe), prorſus diuerſa, nempe totum aliquod agendo ſpectare, quod noſſe haud poſſumus, an qua tale quoque penes nos ſit: officium, quoad et genus et principium, a cunctis aliis diuerſum videtur. — Iam in anteceſſum ſuſpicabere, hoc officium ſuppoſitione indigere alius cuiuspiam ideae, quippe ideae excellentioris naturae moralis, cuius cura vires ſingulorum per ſe haud idoneae ad effectum commune coniungantur. Verum primo nobis filum neceſſitatis illius moralis in genere perſequendum eſt, videndumque, quo iſto nos ducamur.

III.

Conceptus reipublicae ethicae eſt conceptus de p o p u l o *dei ſub legibus ethicis.*

Quodſi respublica ethica fieri debeat, omnes ſinguli legislationi publicae ſubiiciendi ſunt, omnesque leges, quibus illi coniunguntur, vt praecepta legislatoris cuiusdam communis ſpectandas eſſe poſſe oportebit. Si igitur haec respublica conſtituenda eſſe *iuridica* debeat; multitudo in toto ſeſe quodam coniungens ipſa, oportebit, legislator foret(legum conſtitutionis) quoniam legislatio a principio proficiſcitur: *vt libertas cuiusque ad conditiones adſtringatur, quibus fiat, vt cum cuiusque libertate poſſit ea ex lege vniuerſali conſiſtere,* *) et vbi proinde voluntate vniuerſali coactio legalis externa conſtituitur. Sin autem respublica eſſe *ethica* debeat, populus qua talis non ipſe poteſt pro legislatorio haberi. In eiusmodi enim republica vniuerſis legibus propoſitum eſt, vt honeſtas ſiue moralitas actionum (quae quidpiam eſt *internum*), proinde haud poteſt legibus humanis publicis ſubeſſe, promoueatur, cum e contrario legibus humanis publicis, quibus respublica iuridica efficeretur, tantummodo actionum *legalitas*, quae in oculos incurrit, propoſita ſit, neque (interna) honeſtas atque mo-

*) Idque principium eſt vniuerſi iuris externi.

ralitas, qua de hoc loco sola sermo est. Ergo alius sit, quam populus, necesse est, qui pro republica ethica possit vt publice legislatoria declarari. Nec verò leges ethicae possunt, vt solum a voluntate huius superioris *originarie* proficiscentes (tamquam statuta, quae forte, nullo eius praeuio edicto, haud obligarent) cogitari, siquidem tum nullae leges ethicae, iisque consentaneum officium haud virtus libera, sed coactioni obnoxium (officium iuris), forent. Ergo duntaxat talis potest vt legislator supremus reipublicae ethicae cogitari, cuius respectu omnia *officia vera*, proinde quoque ethica *) *simul* vt eius praecepta repraesentanda sunt; qui idcirco quoque, necesse est, scrutator animorum sit, vt internum etiam consiliorum cuiusque perspiciat, et, vti in quavis republica esse debet, cuique, quod promeruerit, retribuat. Hoc vero conceptu continetur de deo vt gubernatore mundi morali. Ergo fieri tantummodo potest, vt respublica ethica qua populus cogitetur sub praeceptis diuinis, id est, qua *populus dei* et quidem *ex legibus virtutis*.

Possis tibi quidem populum dei *ex legibus statutariis* cogitatione informare, ex iis scilicet, in quibus ser-

*) Simulatque aliquid pro officio agnoscitur, etsi officium foret per solum arbitrium legislatoris humani iniunctum, tamen illud simul praeceptum est diuinum, vt ei pareatur. Leges ciuiles statutariae non quidem possunt praecepta diuina dici, sed si legitimae sint, earum *obseruatio* simul est in praeceptis diuinis. Sententia: „deo potius est, quam hominibus, obediendum," hanc modo vim habet, vt, si homines quidpiam iubeant, quod per se malum (legi morali proxime contrarium) sit, iis obtemperari nec liceat, nec debeat. Sed rursus retro, cum legi ciuili politicae, per se haud moralitati aduersae, lex opponitur, pro statutaria diuina reputata, tum ratio adest, cur hanc posteriorem pro supposititia accipias, propterea quod ea cum officio euidente pugnat, ipsi autem, reapse quoque eam in praeceptis diuinis esse, nullis vmquam notis empiricis satis poteris fidem facere, vt officium alioquin certum illi conuenienter liceat migrari.

vandis non moralitas ſpectetur, ſed ſola actionum legalitas, quae reſpublica iuridica foret, cuius quidem legislator deus (proinde *conſtitutio* eius theoretica) eſſet, homines autem, vt ſacerdotes, *regimine* ariſtocratico fungerentur. Talis vero conſtitutio, cuius exſiſtentia et forma tota in rationibus poſita hiſtorica eſt, non ea eſt, qua quaeſtio rationis purae moraliter legislatoriae efficitur, cuius hoc loco ſola nobis enodatio eſt propoſita; eam in ſectione hiſtorica vt inſtitutum ex legibus politice ciuilibus, quarum legislator, quamquam deus eſt, tamen extrinſecus eſt, conſiderabimus, cum e contrario tantummodo in tali occupati ſimus, quarum legislatio ſolum interna eſt, in republica ſub legibus virtutis, id eſt, in populo dei, „qui operam nauaret actio„nibus bonis."

Eiusmodi *populo* dei opponi poteſt idea *gregis* principii mali, vt coniunctionis eorum, qui eius partes ſequuntur, ad dilatandum malum, cuius intereſt, ne illa coniunctio fiat; quamque hic quoque principium conſilia honeſta virtutisque impugnans itidem in nobis ipſis ineſt, et tantummodo allegorice vt poteſtas externa repraeſentatur.

IV.

Idea populi dei (ſub inſtitutione humana) non niſi in forma eccleſiae eſt exſequenda.

Alta ac ſublimis idea, ad quam numquam poſſumus totam adſpirare, reipublicae ethicae admodum minuitur in manibus hominum, ea quippe ad inſtitutum reuocatur, quod ad ſummum formam illius pure repraeſentare poteſt, ſed reſpectu adiumentorum eiusmodi totius conſtituendi ad conditiones naturae hominum moralis admodum adſtrictum tenetur. Quomodo vero exſpectari poterit, vt ex ligno tam prauo quidpiam prorſus rectum fabricetur?

Quamobrem fundatio populi dei moralis opus eſt, cuius effectio non poteſt ab hominibus, ſed ſolum ab ipſo deo exſpectari. Verum tamen idcirco homini non licet, reſpectu huius negotii inertem eſſe et otioſum, prouidentiaeque curandum permittere, quaſi quisque modo rem ſuam moralem priuatam curare poſſit, totum vero rei humani generis (ſecundum deſtinationem moralem) altiori ſapientiae commendare. Ita illi potius agendum eſt, quaſi cuncta ex ſe penderent, et hac ſola cum adiunctione illi ſperare licet, fore, vt ſapientia altior labori ſuo bono conſilio inſtituto abſolutionem conceſſura videatur.

Igitur deſiderium omnium bene animatorum hoc eſt: „vt regnum dei adueniat, et voluntas eius fiat in „terra;" ecquid autem nunc iis curandum eſt, vt hoc cum iis eueniat?

Reſpublica ethica ſub legislatione morali diuina eſt coetus ſacer ſiue *eccleſia*, quae, quatenus haud eſt obnoxia experientiae poſſibilis, *eccleſia inuiſibili* vocatur (quae mera idea eſt coniunctionis omnium proborum ſub regimine mundi diuino proximo ſed morali, vti ea cuique ab hominibus fundatae pro prototypo eſt). Eccleſia *viſibilis* cernitur in vera hominum in vno toto coniunctione, cum ideali illo congruente. Quatenus vnaquaeque ſocietas ſub legibus publicis ſubordinationem membrorum ſuorum (in relatione eorum, qui legibus eius obtemperant, ad eos, qui obſeruationem earum cuſtodiunt), in ſeſe cohibet, multitudo in illo toto (eccleſia) coniuncta *coetus* eſt, qui ſub ſuperioribus ſuis (doctoribus dictis et animorum paſtoribus) tantummodo negotiis funguntur capitis inuiſibilis, et hoc reſpectu cuncti *miniſtri* eccleſiae adpellantur, quemadmodum in republica politica caput viſibile ſe ipſum nonnumquam miniſtrum ciuitatis ſupremum nominat, quamuis ne vllum quidem hominem (plerumque ne populum quidem vniuerſum) ſeſe agnoſcat ſuperiorem. Eccleſia vera (viſibilis) conſiſtit in ea, quae regnum dei morale in terris, quantum per homines fieri poſſit,

exhibet. Requisita, proinde etiam notae ecclesiae verae haec sunt:

1) *Vniuersalitas*, proinde *vnitas* numerica illius; cuius initia in se cohibere debet: scilicet, etsi in sententias descripta fortuitas atque dissentiens, tamen respectu finis essentialis in eiusmodi decretis fundata sit, quibus necessario ad vniuersalem in vna solaque ecclesia coniunctionem ducatur (proinde nulla sectarum dissidia).

2) *Qualitas* eius, hoc est *puritas*, coniunctio sub nullis aliis elateribus nisi *moralibus*. (Depurata ab hebetudine superstitionis atque errore fanatismi.)

3) *Relatio* sub principio *libertatis*, cum relatio membrorum ad se inuicem interna, cum vero etiam externa ecclesiae, ad potestatem politicam, vtraque in *ciuitate libera* (ergo nec *hierarchia*, nec *illuminatismus*, qui quaedam species est *democratiae*, per inspirationes peculiares, quae pro eo, atque cuiusque ingenium fert, ab aliorum possunt inspirationibus discrepare).

4) *Modalitas* illius, *immutabilitas* respectu *constitutionis*, seruatis tamen exceptisque institutis fortuitis, pro temporum ratione et locorum mutandis, solam illius *administrationem* spectantibus, quorum tamen quoque decreta firma certaque iam in ipsa (in idea finis) debet ex anticipatione continere. (Ergo sub legibus originariis, semel, quasi per codicem legum, palam, pro praeceptione statutis; non symbolis arbitrariis, quae, quoniam iis deest authentia, fortuita sunt, contradictioni exposita mutationique obnoxia.)

Itaque reipublicae ethicae, vt ecclesiae, id est, vt, quae solum statum dei *repraesentet*, spectatae, proprie nulla constitutio quoad decreta sua politicae est similis. Haec in ea nec *monarchica* (sub summo pontifice aut patriarcho) est, nec *aristocratica* (sub episcopis ac praelatis), nec *democratica* (vt illuminatorum sectariorum),

Ea poſſet optime cum conſtitutione familiae, ſub patre communi, quamquam inuiſibili, moralique comparari, quatenus filius eius ſanctus, qui nouit voluntatem illius, et ſimul cum omnibus membris conſanguinitate coniunctus eſt, locum eius in eo tenet, quod his voluntatem eius vberius patefacit, qui proinde in eo patrem honorant atque ita inuicem in coniunctionem coeunt animorum voluntariam, vniuerſalem, et perdurantem.

V.

Quaeque cuiusque eccleſiae conſtitutio ſemper ab vlla quapiam fide hiſtorica (reuelationis); quae fides eccleſiaſtica dici poteſt, proficiſcitur, eaque optime conſtituitur in ſcriptura ſacra.

Fides religionis pura ea quidem eſt, quae ſola poteſt eccleſiam vniuerſalem fundare; quoniam fides eſt mera rationalis, quae cum vnoquoque poteſt communicari; cum e contrario fidei hiſtoricae in factis conſtitutae contagio non poteſt vlterius dilatari, quam quo narrationes poſſunt, reſpectu facultatis probabilitatem earum diiudicandi, pro temporum locorumque ratione pertinere. Sed peculiaris quaedam naturae humanae infirmitas in culpa eſt, quod fidei purae illius numquam tanto poteſt ratio haberi, quanto ea meretur, vt ſcilicet eccleſia in ea ſola fundetur.

Homines, imbecillitatis ſuae in cognoſcendis rebus ſupraſenſibilibus ſibi conſcii, quamquam iuſtum fidei illius (quippe quae vniuerſe iis parere firmitatem debet) pretium ſtatuunt, tamen haud facile ſunt ad adſenſum adducendi: ſtudio conſtante vitae moraliter bonae cuncta contineri, quae deus ab hominibus poſtulat, vt regni eius ſubditi reddantur deo accepti. Obligatos ſeſe haud commode poſſunt niſi ad *cultum* vllum quemdam cogitare, deo praeſtandum; in quo non tam pretium internum actionum morale ſpectatur, quam id potius, vt deo praeſtentur, quo, vt maxime per ſe ip-

ſae fuerint moraliter mediae atque indifferentes, ſaltem per obedientiam paſſiuam, deo placeant. Se, ſi officia erga homines (ſe ipſos aliosque) faciant, eo ipſo quoque praecepta diuina ſeruent, proinde faciendis mittendisque iis, quae honeſtatem ſpectant, *ſemper in cultu dei* verſari, nulloque prorſus modo fieri poſſe, vt deus alia ratione quadam colatur (quoniam iis non poteſt niſi cum naturis mundanis, non vero cum deo contagio eſſe), nullo pacto ſibi patiuntur perſuaderi. Quoniam ſua cuiusque principis mundani peculiaris quaedam neceſſitas eſt, vt a ſubditis *honoretur* iudiciisque ſubiectionis *celebretur*, ſiquidem alias non poteſt tantum obedientiae erga edicta ſua, quantum neceſſe eſt ad eos coercendos, ab iis exſpectare; praeterea homo quoque, vt maxime ratione polleat, tamen ſemper declarationibus honoris proxime oblectatur, officium, quatenus ſimul praeceptum diuinum eſt, vt *negotium* dei, non hominis, tractatur, atque ita conceptus oritur religionis *cultus*, pro conceptu religionis moralis purae.

Cum omnis religio in eo conſiſtat: vt deum conſideremus tamquam legislatorem omnium officiorum noſtrorum vniuerſe colendum, in determinanda religione reſpectu vitae noſtrae illi conuenientis id agitur potiſſimum, vt ſciamus: *quomodo* coli *deus* (ſibique obtemperari) *cupiat*. — Sed voluntas diuina legislatoria per leges praecipit aut per ſe *ſolum ſtatutarias*, aut per *morales puras*. Atque ex hisce quidem poſterioribus quisque ex ſe ipſe poteſt per rationem voluntatem dei, religioni fundamento ſubſtratam, cognoſcere; namque proprie conceptus dei tantummodo ex conſcientia harum legum et neceſſitate rationis oritur, poteſtatis ſumendae, quae effectum iſtud vniuerſum, quod fieri in mundo queat, cum ſcopo morali conſpirans poſſit ſuppeditare. Conceptu voluntatis diuinae ex ſolis legibus moralibus puris determinatae, fit, vt, vti *vnum* modo deum poſſimus, ſic *vnam* ſolum religionem, quae moralis pura ſit, cogitare. Sed ſumtis legibus ſtatutariis, poſitaque religione in iis a nobis obſeruandis, fieri cog-

nitio illius non per solam rationem propriam nostram, sed modo per reuelationem potest, quae, siue cuique singulo occulte siue palam fiat, per traditionem scripturamue in hominibus propaganda, *fides* foret *historica*, non *rationalis pura*. — Quamuis autem leges diuinae statutariae (quae non per se vt obligantes possunt, sed modo vt voluntas diuina reuelata qua tales agnosci), sumantur; tamen legislatio *moralis* pura, qua voluntas dei originarie cordi nostro inscripta est, non solum conditio necessaria est vniuersae religionis verae in genere, verum ea quoque id est, quo haec ipsa proprie efficitur, in cuiusque gratiam statutaria non potest nisi instrumentum eius promouendae dilatandaeque contineri.

Si igitur ad quaestionem: quomodo coli sese deus velit, cuique homini, *solum qua homini spectato* vniuersaliter debeat responderi; nullum dubium est, quin legislatio voluntatis eius solum *moralis* videatur; nam statutaria (qua reuelatio supponitur), tantummodo vt fortuita potest talisque, quae haud ad quemque hominem peruenerit aut peruenire queat, proinde haud vt homines generatim obligans spectari. Ergo: „non ii, „qui clamant: domine, domine! sed qui ex voluntate „agunt dei," proinde non eo (legatoue eius, vt natura diuinae originis) celebrando ex conceptibus reuelatis, qui non possunt in quouis homine inesse, sed per vitam bonam, cuius respectu quis eius voluntatem nouit, ei se probatos reddere student, in iis erunt, qui verum, quem postulat, cultum praestant.

Cum autem nos non solum vt homines, verum etiam vt *ciues* reipublicae in terris diuinae gerimus, in, officioque nostro ducimus, vt coniunctionem eiusmodi, quam ecclesiam dicimus, promoueamus, tum ad quaestionem: quomodo deus in *ecclesia* (vt coetu dei) coli se velit, non posset per solam rationem responderi, verum ea legislationis indigeret statutariae nobis tantummodo per reuelationem innotescentis, proinde fidei historicae, quae cum fide religionis pura comparata, fides

poteſt eccleſiaſtica adpellari. Namque in fide religionis pura ſolum id ſpectatur, quo materia cultus dei efficitur, nempe obſeruatio officiorum omnium, vt praeceptorum illius ex mente morali facta; ſed eccleſia vt coniunctio multorum hominem ſub eiusmodi conſiliis in republica morali, opus habet obligatione *publica*, forma certa quadam eccleſiaſtica in conditionibus experientiae poſita, quae per ſe fortuita eſt ac varia, proinde ſine legibus diuinis ſtatutariis non poteſt vt officium agnoſci. Sed eam formam determinandi idcirco non debet continuo vt negotium ſpectari legiſlatoris diuini, potius iure ſumi poteſt, voluntatem diuinam eſſe: vt ideam rationalem eiusmodi reipublicae ipſam exſequamur, hominesque, quamuis multas eccleſiae formas infeliciter tentauerint, tamen non debeant ceſſare, ſi res poſtulet, nouis conatibus, quibus vitia ſuperiorum quantum fieri poſſit, vitentur, hunc finem perſequi; ſiquidem negotium iſtud, quod iis ſimul in officio eſt, totum ſibi commiſſum videtur. Igitur non eſt, quod ad fundationem formamque illius cuiuspiam eccleſiae leges directo pro diuinis *ſtatutariis* habeantur, potiusque temerarium eſt, eas pro talibus declarare, quo labore ſuperſedeamus, vlterius formam harum emendandi, aut adeo vſurpatio auctoritatis altioris, vt traditionibus eccleſiaſticis auctoritate diuina praetexta multitudini onus imponatur; in quo vero tamen etiam arroganter fieret, ſi ſimpliciter negares, modo, quo quaedam inſtituta eccleſiā ſit, non forte quoque inſtitutionem eſſe diuinam poſſe, ſi, quantum intelligimus, cum religione morali maxime conſpiret, praeterea accedit, quod non poſſit facile intelligi, quomodo progreſſibus populi in conceptibus religionis haud rite praeparatis ſubito ea potuerit prodire. In hac igitur quaeſtione dubia, deus an homines ipſi debeant eccleſiam fundare, hominum ſeſe propenſio ad *cultum* exſerit, et, quoniam hic praeceptis nititur arbitrariis, ad fidem legum diuinarum ſtatutariarum, ſumto, quod praeter vitam optimam (quam homo ex praecepto religionis moralis purae inſtituerit) tamen et legiſlatio diuina de-

beat, per rationem haud cognofcenda, fed reuelationis indigens accedere; in qua proxime cultus entis fummi (non interuentu obferuationis eius praeceptorum nobis iam per rationem praefcriptae) fpectetur. Quo quidem efficitur, vt homines coniunctionem ad ecclefiam confpirationemque refpectu formae illi impertiendae, itemque inftitutio *publica* ad moralia in religione promouenda numquam fint pro neceffariis per fe habituri; verum duntaxat, vt per caerimonias, confeffionesque legum reuelatarum, et praefcriptiones ad formam ecclefiae (quae ipfa tamen tantummodo in adiumentis eft) pertinentes, vti aiunt, deo fuo feruiant; quamuis omnes ifti ritus proprie in actionibus mediis verfentur, fed propter id ipfum, quia folum eius gratia fierent, eo illi acceptiores reputentur. Igitur fides ecclefiaftica in hominibus ad rempublicam ethicam formandis naturaliter *) fidem religionis puram antecedit, templaque (ad publicum dei cultum deftinata) priora fuerunt *ecclefiis* (locis congregationum ad docendas animandasque mentes morales), *facerdotes* item (confecrati adminiftratores rituum facrorum) priores *clericis* (doctoribus religionis moralis purae), et plerumque quoque etiamnum funt ordine pretioque, quem iis multitudo tribuit.

Quodfi autem non mutari poffit, ne *fides ecclefiaftica* ftatutaria fidei religionis purae, quafi vehiculum adiumentumque coniunctionis hominum publicae ad promouendam fidem religiofam puram adiungatur, fatendum eft, adferuationem eius immutatam, propagationemque vniformem vniuerfalem, et ipfam reuerentiam erga reuelationem in ea receptam difficulter per *traditionem* poffe, fed folum per *fcripturam*, quae ipfa itidem qua reuelatio et aequalibus et pofteris pro re fit, neceffe eft, obferuantiae fubiecta, fatis curari; id enim neceffitas hominum exigit, vt certi effe poffint de officio cultus fuo. Sacer codex apud eos (ipfosque hos plurimum), qui illum

*) Moraliter ratio effe conuerfa deberet.

haud legunt, certe ſibi non poſſunt ex eo conceptum continuum informare et cohaerentem religionis ſummam obſeruatiam ſibi ipſe comparat; omnisque argutationis vis perit contra ſententiam dictatoriam omnia dubia proſternentem: *hic ſcriptum eſt.* Idcirco et loci illius, qui articulum fidei dicuntur exhibere, ſimpliciter *dicta* adpellantur. Certi determinatique eiusmodi ſcripturae interpretes propter hoc ipſum officium ſuum perſonae ſunt ſacrae, teſtaturque hiſtoria, nullam fidem in ſcriptura fundatam vel vaſtantiſſimis ſtatuum conuerſionibus potuiſſe exſtirpari; cum e contrario, quae in traditione eſſet ritibusque antiquis publicis conſtituta, ſimul cum ſtatu labefactato interiret. Praeclare actum! *) ſi eiusmodi codex, qui manibus hominum teritur, praeter ſtatuta vt leges fidei, ſimul puriſſimam doctrinam religionis moralem plene continet, cui cum illis (tamquam vehiculis introductionis) poteſt optima conuenientia conciliari, vbi tum, tam propter finem ea re obtinendum, quam ob difficultatem originis eiusmodi per illum factae illuſtrationis generis humani ex legibus naturalibus enodandae, inſtar reuelationis, poteſt auctoritatem obtinere.

* * *

His liceat nonnulla adiicere, quae huic conceptui fidei relationis adhaerent.

Vna tantummodo (vera) *religio* eſt; ſed varia poſſunt *fidei* genera eſſe. — Addi poteſt, in variis eccleſiis, per diuerſitatem fidei formarum, ſeſe ab ſe inuicem ſeparantium vnam tamen eamdemque religionem veram poſſe inueniri.

*) Quod verbum ad vniuerſa, quae optantur, optatuue digna ſunt, quae tamen a nobis nec praeuideri poſſunt, nec conatu noſtro ex legibus experientiae arceſſi, quorum proinde, ſi rationem iudicare velimus, nullam aliam poſſumus, quam prouidentiam benignam laudare.

Igitur conuenientius eſt (vti etiam reapſe magis conſuetum videtur), dicere: hic homo huius illiusue (iudaicae, muhammedanae, chriſtianae, catholicae, lutheranae) *fidei* eſt, quam huius eſt illiusue religionis. Haec poſterior oratio merito ne in adloquendo populo magno quidem (in catechiſmis ſacrisque orationibus) deberet vſurpari; his enim ea nimis docta atque obſcura videtur; quemadmodum et linguae recentiores nullum verbum ſuppeditant illi ſynonymum. Homo de plebe ea ſemper intelligit fidem eccleſiaſticam, quae ei in ſenſus incurrit, cum e contrario religio interne lateat, atque ex conſiliis moralibus pendeat. Plerisque nimium tribuitur, ſi dicas, eos hanc illamue religionem profiteri; neque enim vllam norunt neque deſiderant; fides eccleſiaſtica ſtatutaria ſola eſt, quam hoc verbo denotant. Iam concertationes ſic dictae religioſae, quibus mundus tam crebro concuſſus fuit et ſanguine conſperſus, non niſi concertationes fuerunt de fide eccleſiaſtica, neque oppreſſus proprie conqueſtus eſt, quod impediretur, quo minus religioni ſuae adhaereret (id enim nulla vis externa poteſt prohibere), verum quod arceretur ab fide eccleſiaſtica palam ſectanda.

Cum igitur eccleſia quaedam, vti vſu venit, ſe pro vna ſolaque vniuerſali declarat (quamquam ea in ſingulari quadam reuelationis fide fundata eſt, quae vt hiſtorica, numquam poteſt ab vnoquoque poſtulari), tum is, qui fidem eccleſiaſticam (ſingularem) illius neuquam agnoſcit, ab ea *profanus* dicitur, atque ex animo odio habetur: is vero, qui duntaxat ex parte (in rebus aduentitiis) deflectit, *erroneus* vocatur, et ſaltim vt inficiens vitatur. Si denique eamdem quidem eccleſiam confitetur, ſed tamen in eſſentialibus fidei eius (quae ſic ſcilicet conſtituuntur) recedit, praecipue ſi errorem ſuum diſſipet, *haereticus* *) adpellatur, atque, quemad-

*) Mongoli *Tibetum* (ſecundum Gregorii Alphab. Tibet. pag. 11.) *Tangus chadzar* adpellant, id eſt, terram domos inhabitantium, vt hos ab ſe vt in deſertis ſub tentoriis degentibus Nomadibus diſtinguant, vnde nomen Chadzarorum ve-

modum fax et tuba feditionis, poena dignior habetur, hofte externo, et ab ecclefia exfecratione (cuiusmodi Romani pronunciarunt de eo, qui contra fenatus auctoritatem flumen tranfiret Rubiconem) expellitur, omnibusque diis inferis deuouetur. Vna folaque doctorum confpiratio arrogata capitumue ecclefiae in fide ecclefiaftica dicitur *orthodoxia*, quae cum in *defpoticam* poffet, tum *liberalem* difpefci. -- Quodfi ecclefia, fidem ecclefiafticam fuam pro vniuerfe obligante declarans, *catholica*, ea vero, quae fefe contra petitiones iftas aliorum munit (quamuis has ipfas faepius exercere velit, fi poffet), *proteftans* dici debeat; attentus obferuator multa exempla laudabilia catholicorum praeftantium, et contra plura, quibus offendatur, exempla proteftantium catholiciffimorum deprehendet; illa in viris mentis fefe *dilatantis* (quamquam ea non eft illorum ecclefiae), cum quibus hi comparati mente *circumfcripta* admodum, fed minime in commodum fuum, diftinguuntur.

VI.

Fidei ecclefiafticae fummus interpres et fides religionis pura.

Monuimus, quamuis ecclefia grauiffima veritatis nota, nimirum vniuerfalitate iure petenda careat, fi fide nitatur reuelationis, quae qua hiftorica (quamquam per fcripturam longe diffufa, feraeque pofteritati cauta) fides, tamen haud eft communicationis vniuerfalis ad veritatem perfuadentis capax: tamen propter neceffitatem omnium hominum naturalem, ad fummos rationis conceptus caufasque femper quidpiam *fenfibiliter conueniens*, illam quampiam experientiae confirma-

nit, et theodifcum *Ketzer;* quoniam illi fidem Tibetanam (Lamarum), quae conuenit cum Manichaeifmo, et fortaffe quoque inde primordia capit, fequerentur, eamque irrumpentes in Europam difpergerent; ex quo factum eft, vt per longum tempus nomina *haeretici* et *Manichaei* vt idem declarantia in vfu viderentur.

tionem, et id genus alia desiderandi (cuius in consilio fidei vniuerse *introducendae* reapse ratio quoque habenda est), vllam quampiam fidem ecclesiasticam historicam, quam plerumque iam ante nos deprehendimus, vsurpandam esse.

Vt autem cum eiusmodi fide empirica, quam nobis casus quidam fortuitus videtur attulisse, fundamentum fidei moralis coniungatur (siue ea finis sit, siue duntaxat adiumentum), interpretatio postulatur reuelationis ad nos perlatae, nimirum, eius perpetua ad sensum interpretatio, cum regulis religionis rationalis purae practicis conuenientem. Pars enim theoretica fidei ecclesiasticae nos non potest moraliter inuitare, nisi ad vniuersa humana officia facienda, vt praecepta diuina, conducat. Haec interpretatio, etsi nobis ipsis respectu textus (reuelationis) saepenumero violenta videatur, crebroque etiam reuera sit, tamen, si modo fieri possit, vt hic eam recipiat, eiusmodi literali praeferenda est, quae vel simpliciter nihil quidquam moralitatis in gratiam contineat, vel huius adeo elateribus contra agat. *) — Inuenies quoque eumdem morem

*) Vt hoc exemplo doceam, sumas Psalmum LIX, v. 11—16. quo *preces* continentur *de vltione*, horrendum in modum excedente. *Michaelis* (doctr. mor. P. II. p. 202.) probat has preces et addit: „*Psalmi inspirati* sunt; quibus in Psalmis si „poena precibus efflagitatur, non potest id improbe fieri, „*nec nobis sanctior concedi morum doctrina debet quam scriptura* „*sacra*.“ Quo loco teneo orationem postremam quaeroque, vtrum doctrina morum secundum scripturam sacram debeat, an potius sacra scriptura secundum doctrinam morum explicari?— Sed ne locum quidem N. T. tentabimus: „ad veteres dictum est, et sic porro. At ego vobis adfirmo: amate imicos, *benedicite iis, qui maledicunt vobis, etc.*“ quaeramusque, quomodo hic locus, itidem inspiratus, possit cum illo consistere, experiar, eum aut ad decreta mea moralia per sese consistentia aptare (hoc loco fortasse haud inimicos corporeos, verum hoc eorum symbolo, inimicos multo perniciosiores inuisibiles, nempe inclinationes prauas, intelligi, quos nobis optandum est prorsus nobis subiici), aut, hoc si fieri non possit, potius sumamus: hunc locum nullo

in omnibus et veteribus et recentioribus partim facris libris configpatis fidei formis femper effe feruatum, doctoresque populi prudentes beneque animatos tam diu eas interpretatos fuiffe, dum eas quoad materiam effentialem cum fententiis fidei moralibus vniuerfalibus conciliarent. Philofophi morales in *Graecis* et poftea in *Romanis* in doctrina deorum fabulofa idem fecerunt. Craffiffimum polytheifmum tamen poftremo vt folam repraefentationem fymbolicam proprietatum vnius divinae naturae interpretabantur, variis actionibus turpibus, vel etiam feris fed tamen pulcris poetarum fomniis fenfum quemdam myfticum fubiicebant, qui fidem popularem (quam exftirpare ne quidem e re fuiffet, quoniam inde fortaffe atheifmus quidam reipublicae poffet longe periculofior exfiftere), ad doctrinam moralem omnibus hominibus perfpicuam folamque falutarem propius adducebant. *Iudaifmus* ferior ipfeque chriftianifmus eiusmodi interpretationibus conftat partim admodum contortis, vterque vero ad fines fine dubio bonos vniuerfisque hominibus neceffarios. *Muhammedani* (tefte *Relando*) defcriptioni paradifi vniuerfae fenfualitati dicati fenfum quemdam fpiritualem fubiiciunt, idemque faciunt *Indi* in explicando *Beda* fuo, certe parti populi cultiori. — Quod vero iftud fieri poffit, fenfu literali fidei popularis haud fere femper laefo, in caufa eft; quod diu ante hanc pofteriorem initia religionis moralis in ratione humana latuit occulta, quorum prima exercitia rudia folum cultum fpectabant,

modo fenfu morali, fed de ratione, in qua fefe erga deum, vt gubernatorem fuum politicum, Iudaei confiderabant, intelligendum effe, quemadmodum et alius locus fcripturae, vbi dicitur: „vltio mea eft; egomet retribuam, dominus pronunciat!“ quam plerumque folent pro monito morali accipere de vitanda vltione propria, quamuis verifimile eft legem in vnaquaque ciuitate valentem indicari, vt fatisfactio de illatis iniuriis in foro principis quaeratur; vbi vlcifcendi infania ex parte petitoris nullo modo pro probata fpectanda eft, fi iudex illi concefferit, poenas, quantum velit, vehementiffimis expetere.

in eumque vſum ipſis illis putatitiis reuelationibus ortum dederunt, ſed eo quoque quidpiam de charactere ipſius originis ſupraſenſibilis hisce figmentis, quamuis haud de induſtria, indiderunt. — Nec vero eiusmodi interpretationes poſſunt improbitatis incuſari, poſito, non nos velle contendere, ſenſum, quem ſymbolis fidei popularibus vel libris ſacris tribuimus, ab iis quoque ſic ſpectatum fuiſſe, ſed illud in medio relinqui, ſolamque *poſſibilitatem* ſumi, auctores eorum ita intelligendi. Nam ipſius lectionis horum librorum ſacrorum, percontationisque eorum, quae iis continentur, finis vltimus eſt, vt homines meliores reddantur, quae ad id nihil conferunt, per ſe ſunt prorſus in mediis et indifferentibus, de quibus, quod velis, ſtatuere poſſis. — Fides hiſtorica „per ſe mortua eſt," hoc eſt, in ſeſe, vt confeſſio ſpectata, nihil ea quidquam continet, ad nihilumque ducit, cuius nobis aliquod pretium morale ſit.

Quamuis igitur ſcriptura quaedam pro reuelatione diuina fuerit accepta, tamen criterium illius, qua talis ſupremum erit: „omnis ſcriptura, a deo inſpirata, vtilis „eſt ad docendum, ad arguendum, ad emendandum et „alia de genere eodem," cumque poſtremum, emendatio moralis hominum finem proprium conſtituat vniverſae religionis rationalis, haec quoque principium ſummum vniuerſae interpretationis ſcripturae continebit. Haec religio „ſpiritus eſt, in omnem nos verita„tem ducens." Hic vero is eſt, qui, nos *docendo*, ſimul quoque principiis actionum *animat*, omniaque, quae ſcriptura in vſum fidei hiſtoricae continere poteſt, penitus ad regulas atque elateres fidei moralis purae refert, qua ſola in vnaquaque fide eccleſiaſtica id efficitur, quod in ea propria religio eſt. Omnis ſcrutatio interpretatioque ſcripturae proficiſci debet a principio hunc ſpiritum in ea quaerendi, et „poteſt vita aeterna „in ea duntaxat inueniri, quatenus ea de hoc principio „teſtatur."

Huic fcripturae interpreti alius adiunctus eft, fed fubordinatus, nempe *doctus fcripturarius*. Auctoritas fcripturae, vt digniffimi, et nunc in colluftratiffima mundi parte vnius inftrumenti hominum in ecclefia coniungendorum, fidem conftituit ecclefiafticam, quae vt fides popularis non poteft negligi, quoniam populo nulla doctrina ad normam immutabilem idonea videtur, quae in fola ratione fundata eft, diuinamque reuelationem, ideoque fidem auctoritati eius deducenda illius origine faciendam poftulat. Iam cum ars et fapientia humana non queat vsque ad caelum adfcendere, vt fidem ipfam primi doctoris miffi exploret, verum in notis atque criteriis, quae, praeter materiam, etiam a modo poffunt, quo eiusmodi fides introducta fuerit, depromi, id eft, in teftimoniis humanis debeat adquiefcere, quae in vetuftiffimis temporibus, linguisque nunc emortuis conquirenda funt, quae ex probabilitate hiftorica aeftimentur; *doctrina fcripturaria* opus erit, ad ecclefiam in fcriptura facra fundatam, non vero religionem (quippe quae, vt vniuerfalis fit, femper in fola fit ratione fundata, oportebit), in auctoritate fua retinendam; quamquam hac nihil quidquam efficitur, nifi vt origo illius nihil in fe contineat, quo impediatur, quo minus fieri queat, vt pro proxima reuelatione diuina accipiatur; id quod fatis foret, ad eos, qui in hac idea confirmationem fidei moralis fuae fe inuenire opinantur, eamque proinde lubenter accipiunt, ab ea haud prohibendos. — Verum non folum *auctoritatis confirmatio*, fed etiam *interpretatio* fcripturae facrae ob eamdem caufam indiget doctrinae. Quomodo enim indoctus, qui eam duntaxat poteft in verfionibus legere, de fenfu eius effe certus poterit? Idcirco interpres, qui linguam fundamentalem callet, tamen quoque ampla debet cognitione hiftorica criticeque inftructus effe, vt ex ftatu, moribusque atque opinionibus (fide populari) illorum temporum adiumenta depromat, quo reipublicae ecclefiafticae queat intellectus aperiri.

Ergo religio rationalis doctrinaque fcripturaria propriae funt defignatae interpretes ac depofitariae docu-

menti facri. Perfpicuum eft: hoc in vfu publico fuarum cognitionum inuentorumque in hoc campo non poffe vllo modo a poteftate mundana impediri ad certaque fidei pronunciata adftringi; quoniam alioquin a *laicis* poffent *clerici* cogi, vt fententiam fuam fequerentur, quam illi tamen non nifi ex horum inftitutione haufcrunt. Si modo ciuitas curet, ne viri docti defint et quoad moralitatem bene audientes, qui toto rei ecclefiafticae fungantur, quorum religioni eam curam credat, cuncta fecit, quae ex officio ac poteftate proficifcuntur. Vt autem hi ipfi in fcholam ducantur, eorumque fefe vt concertationibus immifceant (quibus, fi modo non de facris fuggeftibus audiantur, populus ecclefiafticus nullo modo turbatur), populus ab legislatore non poteft nifi per immodeftiam efflagitare, quoniam excellentiae eius dignitatique eo derogatur.

Iam vero tertius quidem prodit, qui munus interpretis ambiat, nec rationis indigens, nec doctrinae, fed tantummodo *tactus* cuiusdam interni, ad verum fcripturae fenfum fimulque diuinam illius originem agnofcendum. Iam fane quidem non poteft negari, „eum, qui eius doctrinae obtemperet, idque agat, quod ea praecipit, „profecto intellecturum fore, eam abs deo effe profectam" ipfoque impulfu ad actiones bonas vitaeque probitatem, quem homo eam legens, aut eius orationem audiens, cogitur perfentifcere, hominem de diuina illius origine certum fieri debere; fiquidem is non nifi effectum eft legis moralis hominem intima reuerentia implentis, quae idcirco quoque tamquam praeceptum diuinum fpectanda eft. Sed vti ex vllo tactu quopiam non poteft cognitio legum, easque morales effe, exfiftere, fic aeque minus, quin multo minus, per tactum poteft certa nota criteriumque contagionis diuinae proxime colligi atque inueniri; quoniam eiusdem effecti plures poffunt caufae effe, hic autem fola legis (doctrinaeque) moralitas, per rationem cognita, caufa illius eft, et vel ipfo folius poffibilitatis huiusce originis refpectu, in officio eft, vt fenfus illi pofterior impertiatur, nifi vni-

verſo fanaticiſmo velis feneſtras aperiri, ipſumque tactum moralem haud ambiguum, per cognationem cum quouis alio fictitio excellentia ac dignitate ſua priuari.— Tactus, ſi lex, ex qua, vel etiam ad quam is ſequitur, ante nota ſit, in vnoquoque ſolum per ſe ineſt, ab aliisque non poteſt poſtulari, nec proinde quoque vt obruſſa veritatis reuelationis commendari, ſiquidem is nullo modo quidpiam docet, ſed duntaxat modum continet, quo ſubiectum ratione voluptatis taediiue adficitur, in quo nulla prorſus poteſt cognitio fundari.

Ergo nulla fidei eccleſiaſticae norma eſt, praeter ſcripturam, nullusque alius illius interpres, quam *religio rationalis* pura *doctrinaque ſcripturaria* (quae partem eius hiſtoricam attingit), quarum prior ſola eſt *authentica*, ad vniuerſumque mundum valens, altera vero tantummodo *doctrinalis*, vt fides eccleſiaſtica certi cuiusdam populi certo quodam tempore in ſyſtema quoddam determinatum ſe ipſum perpetuo conſeruans convertatur. Quod vero hanc ſpectat, non poteſt mutari, ne fides hiſtorica tandem ſola fides in doctos ſcripturarios eorumque intellectum euadat: quod ſane naturae humanae haud ita laudi cedit, ſed tamen per libertatem cogitandi publicam rurſum compenſatur, cuius haec eo magis poteſtatem habet, quoniam duntaxat eo, quod docti interpretationes ſuas cuiusque examini ſubiiciunt, ipſi vero quoque melioribus notitiis aperti manent earumque capaces, confidere poſſunt de fiducia reipublicae in excuſationibus ſuis.

VII.

Tranſitio ſucceſſiua fidei eccleſiaſticae ad monarchiam fidei religionis purae cernitur in regno dei adpropinquando.

Nota criteriumque verae eccleſiae verſatur in eius *vniuerſalitate;* cuius vero viciſſim nota neceſſitate illius ac determinabilitate continetur non niſi vno modo poſ-

ſibili. Atqui fidei hiſtoricae, (in reuelatione, qua experientia fundatae) valor duntaxat particularis eſt, ad eos quippe, ad quos hiſtoria peruenit, in qua poſita eſt, continetque, vti omnis cognitio empirica, haud conſcientiam, rem creditam ſic nec aliter eſſe comparatam *oportere*, ſed modo, eam ſic eſſe; proinde ſimul conſcientiam continet rationis fortuitae. Ergo ea quidem ſuppetere poteſt ad fidem eccleſiaſticam (quarum eſſe plures queunt), ſed ſola fides religionis pura, quae prorſus ratione nititur, vt neceſſaria poteſt, proinde pro vna ſolaque agnoſci, qua *vera* eccleſia diſtinguitur. — Etſi igitur (neceſſariae rationis humanae limitationi conuenienter) fides hiſtorica vt adiumentum ducendi religionem puram adficiat, cum hac tamen conſcientia, eam ſolum eiusmodi eſſe, et haec, vt fides eccleſiaſtica principium in ſe cohibeat, fidei religionis purae perpetuo ſeſe adpropinquandi, vt inſtrumenti ductoris illo tandem queat ſuperſederi, eiusmodi eccleſia *vera* dici poteſt; cum autem de dogmatibus fidei hiſtoricis numquam poſſit concertatio euitari, eccleſia poterit duntaxat *militans* adpellari; hac tamen cum ſpe, fore, vt tandem *triumphans* euadat immutabilis et omnia coniungens. Fides cuiusque hominis ſinguli, quae receptiuitatem moralem (dignitatem) in ſe cohibet, felicitatis aeternae potiundae, fides *ſaluifica* vocatur. Haec igitur etiam non eſſe niſi vna poteſt, et in maxima fidei eccleſiaſticae diuerſitate tamen in vnoquoque deprehendi, in qua, metam, fidem religionis puram, ſpectans, practica eſt. Contra fides religionis cultus fides mercenaria eſt et *ſeruilis*, nec pro ſaluifica poteſt reputari, quoniam non eſt moralis. Haec enim eſſe fides debet libera atque ingenua. Fides ſeruilis per actiones (cultus), quarum, (quamuis operoſarum) nullum tamen per ſe pretium morale eſt, quae proinde non niſi actiones ſunt metu vel ſpe extortae, quas etiam malus homo patrare poteſt, deo putant ſeſe acceptos fieri, cum contra fide ſaluifica mens moraliter bona vt neceſſaria ſupponatur.

Fides faluifica duas continet conditiones beatitatis fperandae; vnam refpectu eorum, quae haud ipfa poteft efficere, nimirum vt actiones factae iuridice (coram iudice diuino) fiant infectae, alteram ratione eorum, quae ipfa et poteft efficere et debet, nempe vt vita degatur noua officio confentanea. Prior eft fides fatisfactionis (folutionis loco debiti, redemtionis, cum deo reconciliationis), altera eft fides in vita porro honefte degenda deo fefe acceptum reddendi. Vtraque conditione vna folum fides efficitur, neceffarioque coniuncta eft. Sed neceffitas coniunctionis non poteft perfpici, nifi fumferis, vnam poffe ab altera deriuari, ita, vt vel fides abfolutionis a reatu vitam bonam atque honeftam, vel vt vera et actuofa mens vitae femper honefte degendae fidem abfolutionis illius, ex lege caufarum moraliter efficientium, producat.

Quo quidem loco antinomia emergit grauiffima rationis humanae cum fe ipfius, cuius enodatione, aut, fi haec fieri nequeat, certe compofitione fola poteft decerni, vtrum fides hiftorica (ecclefiaftica) femper vt pars effentialis faluificae, praeter fidem religionis puram debeat accedere, an vt folum inftrumentum ductorium tandem, quam remotiffimum hoc tempus futurum fit, in fidem poffit religionis purum tranfire.

1) Supponamus: pro peccatis hominum factam effe fatisfactionem, facile quidem comprehendi poteft, qui fiat, vt quisque peccator eam lubenter velit ad fefe referre, et fi de fola *fide* agatur (quod idem eft, ac declaratio, fe velle, vt ea quoque pro fe facta videatur), ea de re ne momentum quidem dubitaturus foret. Sed nullo modo poteft perfpici, qui homo ratione praeditus, qui poenae fe obnoxium nouit, ferio credere poffit, fibi non effe curandúm nifi vt nuncium de fatisfactione pro fe praeftita credat, eamque (vt Iureconfulti aiunt) vtiliter accipiat, quo nomen fuum reatusque poffit pro deleto accipi, atque ita quidem (radicitus adeo), vt in pofterum quoque vita bona, de qua huc vsque ne minimum quidem laborauit, ex hac fide beneficiique oblati

acceptatione necessario consequatur. Hanc fidem nullus homo sanus, quamuis philautia saepenumero solum desiderium boni, ad quod nihil quidquam conferas, vel conferre possis, in spem conuertat, fore, vt res sibi subiecta desiderio solo allecta, sponte veniat, in se potest efficere. Quod fieri posse non potest cogitatione informare, nisi vt homo hanc fidem sibi ipsi vt caelitus inspiratam, atque ita vt quidpiam consideret, cuius nullam amplius rationem reddere rationi suae teneatur. Quod cum non potest, aut sincerior est, quum vt eiusmodi fiduciam tamquam solum adiumentum se insinuandi in se arte efficiat, tamen, vt maximi faciat eiusmodi satisfactionem transscendentem, vt flagrantissime optet, talem quoque sibi patere, non poterit non eam pro hypothetica spectare, nimirum vitam suam, quantum in se sit, emendatam antecedere oportere, quo vel minimum sperare queat, fore, vt eiusmodi meritum altius possit sibi prodesse. — Quodsi igitur cognitio historica huius meriti ad fidem ecclesiasticam, sed vita emendata ad fidem moralem puram pertinet, *haec illam oportebit, antecedat.*

2) Sin autem homo natura corruptus sit, qui credere potest, sese, vt maxime conetur, hominem nouum ex se, deo acceptum, effecturum; cum, peccatorum adhuc commissorum sibi conscius, adhuc sub potestate est principii mali, neque in se facultatem deprehendit idoneam, in posterum se melius parandi? nisi iustitiam, quam contra se excitauerat, satisfactione aliena vt reconciliatam, se ipsum autem, hac fide quasi vt recens natum spectare, atque ita demum ingredi possit, quae tum effectum foret principii boni secum coniuncti, in quo tandem spem suam fundabit, se hominem fore deo acceptum euasurum? — Ergo necesse est, vt fides meriti, quod haud suum est, et quo deo reconciliatur, omnem conatum ad actiones bonas antecedat. Quae pugna non potest per perspectam libertatem naturae humanae causaliter determinatam, id est, per causas, quibus efficitur, vt homo bonus malusue eua-

dat, proinde haud theoretice componi: haec enim quaeſtio ſuperat vniuerſam contemplandi facultatem rationis noſtrae. Sed in vſum practicum, vbi ſcilicet non quaeritur, quid phyſice, verum quid moraliter vtendo libero arbitrio noſtro primum ſit, vnde quippe capere initium debeamus, a fide eorum, quae deus noſtri cauſa fecit, an ab iis, quae nos facere debemus, vt iis digni ſequamur, ſane poterit ea pugna dirimi.

Namque acceptatio prioris ad nos beatos reddendos requiſitum, nimirum fidei de ſatisfactione vicaria, fere ſolum in gratiam conceptus theoretici neceſſaria eſt; neque enim liberationem a peccatis aliter nobis poſſumus *enodare*. Contra neceſſitas principii poſterioris practica eſt et quidem moralis pura: profecto aliter non poſſumus ſperare, ipſius meriti ſatisfacientis alieni in nos transferendi participes nos fore, quam cum nosmet per conatum noſtrum in vnoquoque officio humano faciendo paramus, quod effectum erit proprii laboris noſtri, nec viciſſim aliena eſſe contagio debet, in qua nosmet gerimus patientes. Cum enim praeceptum poſterius abſolutum ſit, etiam neceſſe eſt; vt homo illud fidei ſuae pro norma ſubſternat, vt ſcilicet ab emendatione vita incipiat, quae conditio ſuprema eſt, qua ſola poteſt fidei ſaluificae locus eſſe.

Fides eccleſiaſtica, vt hiſtorica, iure incipit a ſuperiori; cum autem tantummodo vehiculum contineat fidei religionis purae (in qua proprius finis ineſt), id, quod in hac vt practica conditio eſt, nimirum norma *agendi*, neceſſe eſt, initium capiat, normaque *ſciendi*, vel fidei theoreticae, tantummodo confirmationem abſolutionemque illius ſuperioris efficiat.

In quo etiam notari poteſt: ex principio priori fidem (nimirum de ſatisfactione vicaria) homini pro officio, contra fidem vitae bene actae, vt ex contagione altiori effectae, gratiae imputatum iri. — Verum ex altero principio fit contrarium. Siquidem ex hoc *vita bona*

vt suprema gratiae conditio, *officium* abſolutum eſt, contra ſatisfactio altior mera *res gratiae.* — Illi ſuperiori (ſaepenumero haud ſine iniuria) *ſuperſtitio* cultus obiicitur, quae vitam turpem poteſt nihilominus cum religione coniungere; alterum de *incredulitate naturaliſtica* reprehenditur, quae cum vita fere exemplari indifferentiam copulat, vel adeo reſiſtentiam contra vniuerſam reuelationem. — Sed iſtud eſſet nodum (per normam practicam) diſcindere, cum debeat (theoretice diſſolui, quod et ſane quidem in quaeſtionibus religioſis licet. — Quocirca haec erunt adhuc monenda. Fides viua de prototypo naturae humanae deo acceptae (filio dei) *per ſe ipſa* ad ideam rationalem moralem relata eſt, quatenus haec nobis non ſolum pro regula eſt, verum etiam pro elatere, atque ita nihil quidquam intereſt, ab eane, vt fide *rationali* inſtituam, an a principio vitae bonae. Contra fides de eodem prototypo *in phaenomeno* (in homine diuino;), vt fides *empirica,* (hiſtorica) haud idem eſt cum principio vitae bonae (quae prorſus rationalis eſſe debet), longeque aliud foret, a tali *) inſtitui velle, et inde bonam vitam deriuari. Eatenus igitur pugna foret in ſuperioribus duobus pronunciatis. Verum in phaenomeno theanthropi non id, quod ſub ſenſus cadit, aut per experientiam cognoſci poteſt, ſed prototypon in ratione noſtra ſitum, quod huic poſteriori ſubſternimus, (quoniam, quantum ex eius exemplo percipi poteſt, hic illi conſentaneus deprehenditur) proprie res eſt fidei ſalvificae obnoxia, talisque fides idem eſt cum principio vitae deo acceptae. — Ergo hic non ſunt duo principia in ſe diuerſa, quorum vt ab vno alteroue inſtituatur, duae forent viae contrariae ineundae, ſed vna modo atque eadem idea practica, ex qua proficiſcitur, partim, quatenus ea prototypon, vt in deo praeſens, atque ab eo proficiſcens, partim vero, quatenus ea illud, vt praeſens in nobis, ſed vtraque vice quatenus vt re-

*) Quae exſiſtentiam eiusmodi perſonae fundare in argumentis hiſtoricis cogitur.

reconciliandi. Ac profecto quidem, cum fons inexhaustus dissoluendorum nominum et factorum et faciendorum iam adest, ad quem modo accedere possis, (et per vniuersas voces, quas conscientia tollit, sine dubio quoque statim accedes), vt a nominibus te liberes, interea dum propositum bonae vitae, dum de illis nihil amplius metuendum sit, potest suspendi; tum haud facile alia possunt eiusmodi fidei effecta cogitari. — Si vero adeo haec fides ipsa sic describeretur, quasi vis eius peculiaris sit atque eiusmodi contagio mystica (vel magigica) vt, quamuis ea, quantum scimus, solum pro historica haberetur, tamen, si eam cum eaque coniunctos tactus secteris, vniuersum hominem queat funditus emendare (eum nouum hominem reddere): haec ipsa fides, vt proxime caelitus (cum et in fide historica) impertita inspirataque spectanda foret, vbi tum cuncta vel cum ipsa qualitate hominis morali ad absolutum dei decretum denique redeunt, „cuiuscumque miseretur „pro lubitu, et, quem vult, *obdurat*" *), id quod, ad literam sumtum, saltus foret mortalis rationis humanae.

Igitur ex initiis physicis et moralibus in nobis, quae posteriora fundamentum sunt atque interpres vni-

*) Quod sic potest, opinor, accipi: nullus homo certo potest statuere, quare hic bonus, ille bonus homo (vterque comparate) euadat, cum saepenumero initia huius discriminis iam in nato videantur deprehendi, nonnumquam etiam res fortuitae in vita obuiae, quarum in nemine culpa haeret, aliquid in eo momenti habeant; pariter nemo potest definire, quid possit euadere. Qua de re iudicium cuncta videnti relinquendum est, quod hoc loco sic effertur, quasi, antequam nascerentur, decretum de iis pronunciatum, cuique partes descripserit, quas aliquando sustenturi viderentur. *Praeuidere* in ordine phaenomenorum auctori mundi, si in eo ipso anthropopathice cogitetur, simul est *ante decernere*. In ordine rerum suprasensibili vero ex legibus libertatis, vbi nulla temporis ratio est, et *scientia omnia perlustrans*, ita tamen, vt, cur alter homo sic, alter ex decretis contrariis agat, enodari possit, et tamen quoque simul cum libertate voluntatis coniungi.

versae religionis, necessario consequitur, vt haec tandem ab omnibus rationibus determinandi empiricis, a cunctis statutis in historia positis, quibus per fidem ecclesiasticam homines prouidenter ad promouendum bonum coniunguntur, paullatim liberetur, atque ita religio rationalis pura tandem in vniuersis dominetur, „vt deus omnia sit in omnibus". — Velamina, quibus primum se embryo hominem formasset, deponenda sunt, simulatque in lucem prodire debet. Vehiculum traditionis sacrae, cum adpendicibus suis, statutis ac ritibus, quod suo quondam tempore profuerat, paullatim redditur superuacaneum, adeoque vinculum, accedente aetate iuuenili. Dum (genus humanum) „paruulus esset, sapuit instar paruuli", potuitque cum traditionibus, otioso sibi impositis, fere quoque eruditionem, atque etiam philosophiam ecclesiae famulam coniungere; „nunc autem, cum vir euadit, puerilia mittit". Discrimen *laicos* inter et *clericos* dehonestans definit, aequalitasque oritur ex libertate vera, sed tamen sine anarchia, siquidem quisque legi (haud statutariae) quidem obtemperat, quam sibi ipse praescribit, quae ei vero simul pro voluntate moderatoris mundi per rationem reuelata accipienda est, omnes sub vno regimine communi inuisibiliter in ciuitate coniungente, quae per ecclesiam visibilem ante fuit tenuiter descripta ac praeparata. — Quae vniuersa non sunt a conuersione rerum externa exspectanda, quae vim suam impetuose violenterque exserit ex temporibus pendentem, in qua, quae in constituendo nouo statu peccata sunt, per secula cum dolore retinentur, certe non possunt nisi per nouam (semper periculosam) rerum conuersionem immutari. — In principio religionis rationalis purae, vt reuelationis diuinae omnibus hominibus perpetuo factae (quamquam haud empiricae) fundamentum insit illius ad nouum rerum ordinem transitionis, oportebit, quae semel deliberato consilio proposita, per instaurationem paullatim progredientem perficitur, quatenus ea opus esse humanum debet; nam rerum conuersiones quidem, quibus iste progressus possit breuior reddi,

prouidentiae relinquendae ſunt, neque ad certum formam poſſunt, ſalua libertate, inſtitui. —

Sed iure dici poteſt: „regnum dei ad nos veniſſe", etiamſi modo principium transitionis ſucceſſiuae fidei eccleſiaſticae ad vniuerſalem religionem rationalem, atque ita ad ciuitatem ethicam (diuinam) in terris, vniverſe, atque alicubi quoque palam *publiceque* radices egerit: quamuis vera illius conſtitutio per infinitam a nobis diſtantiam remota videatur. Nam, quoniam hoc principio fundamentum continetur adpropinquationis ad hanc perfectionem continuae, in eo, tamquam in ſurculo quodam ſeſe euoluente, poſteaque viciſſim fecundante totum (inuiſibiliter) ineſt, quo mundus olim colluſtrari debet ac gubernari. Verum autem bonumque, cuius in initiis cuiusque hominis naturalibus fundamentum ineſt cum intellectus, tum communionis animi, cum ſemel palam factum eſt, per adfinitatem naturalem, qua cum initiis moralibus naturarum rationalium generatim tenetur perpetuo ſeſe communicat. Impedimenta per cauſas politicas ciuiles, quibus de tempore in tempus dilatatio eius retinetur, potius faciunt, ad coniunctionem animorum ad bonum (quod, ſemel adſpectu comprehenſum, cogitationes illorum numquam relinquit) eo arctiorem reddendam *).

* * *

*) Fidei eccleſiaſticae, quamuis neque ab ea te abdicaueris, neque eam impugnaris, vis poterit contagioque vt cuiusdam vehiculi ſeruari, eique nihilominus vt opinioni atque errori de officio cultus omnis contagio cum conceptu religionis propriae (nempe morali) demi, atque ita, in diuerſitate formarum fidei ſtatutariarum, concordia ſectatorum, illarum inter ſe inuicem per principia vnius religionis rationalis, quo doctores omnes traditiones iſtas ritusque interpretari debent, fundari; donec tempore, per colluſtrationem veram inualeſcentem (legalitatem ex libertate morali profectam) vnoquoque conſentiente forma inſtrumenti cogendi dehoneſtantis cum forma eccleſiaſtica poſſit, dignitati religionis moralis conſentanea, nimirum fidei liberae commutari. — Vnitatem eccleſiaſticam cum libertate in

Hic igitur conatus eſt principii boni, humanis oculis haud perceptus, ſed perpetuo progrediens, in genere humano, vt republica ex legibus virtutis poteſtatem ſibi regnumque fundandi, quod victoriam obtineat de malo, ſub ſuoque imperio pacem mundo aeternam polliceatur.

SECTIO POSTERIOR.

DESRIPTIO HISTORICA IMPERII A BONO PRINCIPIO IN TERRIS PAULLATIM CONSTITUENDI.

Religionis in terris (ſenſu verbi anguſtiſſimo) nulla poteſt *hiſtoria catholica* generis humani deſiderari;

rebus fidei coniungere, in problemate eſt, ad quod enodandum idea vnitatis obiectiuae religionis rationalis per inuitamentum morale, quod ex ea capimus, continuo impellit, cuius vero, ſi ea de re humanam naturam conſulimus, in eccleſia viſibili perficiendi, parum ſpei adeſt. Eſt idea rationis, cuius exhibitio in viſione ei conſentanea fieri a nobis non poteſt, cuius tamen vero vt principii practici regulatiui, realitas obiectiua eſt, ad hunc finem, vnitatis religionis rationalis purae, efficiendum. Huius eadem ratio eſt, quae ideae politicae iuris publici, quatenus hoc ſimul ad ius gentium vniuerſale et *poteſtatem tenens* debet referri. Experientia omnem illius ſpem nobis demit. Inclinatio in genus humanum videtur (fortaſſe conſulta) indita eſſe, vt quae ciuitas ſingularis, ſi ſibi ex voto ſucceſſerit, ad quamque ſibi aliam ſubiiciendam, monarchiamque vniuerſalem conſtituendam conetur; ſed ad certam quamdam multitudinem prouecta, tamen ſponte in ciuitates minores, diuellatur. Sic quaeque eccleſia ſuperbam fouet arrogantiam euaſuram ſe fore vniuerſalem; ſimulatque autem dilatata imperium obtinet, ſtatim principium conſpicitur reſolutionis invariasque ſectas ſeparationis.

Maturior eoque (quod prius fit, quam facti ſunt moraliter meliores) noxia conflatio ſtatuum — ſi in ea re liceat finis prouidentiae ſumi — in primis duabus cauſis fortiter efficientibus, nimirum et linguarum et religionum diuerſitate; impeditur.

quippe quae, vt in fide morali pura fundata, in nullo verſatur ſtatu publico, ſed quisque progreſſuum, quos in eo fecerit, tantummodo per ſe poteſt ſibi conſcius eſſe. Igitur fides eccleſiaſtica ſola eſt, a qua exhibitio hiſtorica vniuerſalis poſſit exſpectari; propterea quod eam, pro varia et mutabili forma, cum fide religionis vna ſolaque pura immutabili comparamus. Inde ab eo, vbi illa prior dependentiam ſuam a conditionibus adſtringentibus huiusce poſterioris, atque a neceſſitate concentus cum palam agnoſcit, incipit *eccleſia catholica*, ſeſe ad ciuitatem dei ethicam formare, ex principioque firmo, omnibus et hominibus et temporibus eodem, ad eius abſolutionem progredi. — Poteſt praevideri hanc hiſtoriam non niſi narrationem de certamine continuo inter fidem religionis cultus et religionis moralis fore, ad quarum priorem homo ſemper pronus fertur praeferendam, cum e contrario iure de principatu, qui ſibi vt fidei ſoli animos emendanti competit, numquam ſeſe abdicarit, quem tandem certo quoque obtinebit.

Huius autem hiſtoriae vnitas eſſe non poteſt, niſi ſolum ad eam humani generis partem adſtringatur, in qua iam initia vnitatis eccleſiae catholicae propius ad euolutionem adducta ſunt, idcirco quia per eam certe quaeſtio de diſcrimine fidei rationalis et hiſtoricae iam palam propoſita, eiusque deciſio curae morali maximae ſubiecta eſt; hiſtoria enim variorum populorum, quorum fides nulla inter ſe inuicem coniunctione tenetur, nullam alias eccleſiae vnitatem pollicetur. Ad hanc autem vnitatem referri non poteſt: quod in vno eodemque populo certa quaedam noua fides aliquando orta eſt, ab antea dominante nominatim ſeſe diſtinguens; quamquam haec *cauſas* nouae generandae *occaſionales* in ſeſe cohibebat. Etenim vnitas ſit principii, oportebit, ſi ſucceſſio diuerſarum fidei formarum ad mutationes debeat vnius eiusdemque eo referri, atque in harum poſteriorum hiſtoria nosmet in praeſens ſumus occupati.

Quamobrem hoc quidem respectu historiam illius tantummodo ecclesiae, quae inde a primis initiis surculum atque principia vnitatis obiectiuae fidei religionis verae atque catholicae in sese cohiberet, cui ea paullatim propius admouetur, possumus pertractare.— Vbi tum patet: fidem *Iudaicam* cum hac fide ecclesiastica, cuius historiam contemplaturi sumus, nulla omnino coniunctione essentiali teneri, nimirum in nulla vnitate ex conceptibus versari, quamuis illa proxime praecesserit, huiusce fundandae ansam physicam ecclesiae (christianae) dederit.

Fides *Iudaica*, secundum constitutionem originariam, cernitur in complexu legum mere statutariarum, in quo constitutio reipublicae fundata erat; nam quae additamenta moralia vel tum iam, vel etiam sequenti tempore *adnexa* sunt, ea nulla modo ad Iudaismum, qua talem, pertinent. Iudaismus proprie in nulla omnino religione versatur, sed solum in coniunctione multitudinis hominum, qui, cum ad stirpem singularem quamdam pertinerent, ad quamdam sese rempublicam sub legibus mere politicis, proinde haud ad ecclesiam, formarunt; potius *debebat* ciuitas mundana esse, ita, vt, hac aduersitatibus dissoluta, sibi etiam fides (essentialiter ad eam pertinens) politica relinqueretur, fore, vt ea (adueniente Messia) aliquando instauratum iri videatur. Quod huic constitutioni ciuili theocratia fundamento fuit (manifesto aristocratia sacerdotum, aut ducum, sese proxime de instructione a deo accepta gloriantium) proinde nomen dei, qui tamen hic solum vt gubernator mundanus, cui nec de conscientia, nec in illam, vllum omnino ius est, colitur, ea re non redditur constitutio religiosa. Facili potest id negotio probari. *Primo* quippe omnia praecepta eius generis sunt, vt constitutio quoque politica ea custodire queat, atque vt leges cogentes imponere, quoniam solum actiones attingunt externas, et quamquam etiam decalogus, etiamsi haud palam propositus fuerit, iam vt ethicus coram ratione valet, tamen is in legislatione illa nullo

modo eſt cum praeceptione *mentis moralis* in eo ſeruando (in quo poſtea chriſtianiſmus caput poſuit) propoſitus, ſed ſimpliciter duntaxat ad obſeruationem externam conſtitutus; id quod inde quoque planum eſt, quod, *ſecundo*, vniuerſa, quae ex hisce praeceptis vel ſeruatis vel omiſſis ſequuntur, omnia praemia vel poenae omnes tantummodo ad ea adſtringuntur, quae cuique hoc in mundo poſſunt impertiri, et vel haec ipſa ne quidem ex conceptibus ethicis; propterea quod vtraque venire ad poſteros debebant, qui in nullam prorſus communionem practicam actionum vel facinorum venerunt, id quod in conſtitutione politica ſane quidem eſſe adiumentum prudentiae poteſt, obedientiae ſibi comparandae, in ethica vero omni omnino aequitati repugnaret. Cum igitur ſine fiducia vitae futurae nulla omnino poſſit religio cogitari, Iudaiſmus qua talis ſecundum puritatem ſuam ſpectatus, nullam prorſus fidem religionis continet. Id quod ſequente obſeruatione eo magis confirmatur. Scilicet vix dubitari poteſt, Iudaeos perinde atque alios populos, vel rudiſſimos atque incultiſſimos, fidem futurae vitae, proinde caelum infernumque habuiſſe; haec enim fides, per initia moralia in humana natura vniuerſalia, cuique ſponte ſe obtrudit. Igitur profecto factum eſt *ex conſilio*, vt legislator huius populi, quamquam vt deus ipſe deſcribitur, tamen ne minimam quidem vitae futurae rationem habere *voluerit*, id quod indicio eſt, eam rempublicam modo politicam, non ethicam, fundare ſe voluiſſe; ſed in politica de praemiis poenisque dicere, quae hac in vita nullo modo poſſunt conſpici, ſumto illo, prorſus abſonum foret ac discrepans. Verum etiamſi nullum dubium ſit, quin Iudei ſequenti tempore, pro ſe quisque, certam quamdam religionis fidem conſtituerint, quae articulis fidei ſtatutariae eſſet admixta, tamen illa numquam pars effecta eſt ad legislationem Iudaiſmi neceſſaria. *Tertio* tantum abeſt, vt Iudaiſmus epocham ad ſtatum *eccleſiae catholicae* pertinentem, aut hanc ipſam eccleſiam catholicam ſuo tempore abſoluerit, vt is potius vniuerſum genus humanum

a communione ſuo arceret, vt populus peculiaris a Iehoua per ſe delectus, qui omnes populos infeſtaret, et propterea ab vnoquoque infeſtaretur. In quo etiam haud ita tanti videtur, quod hic populus deum vnum ſibi nulla, quae quidem ſub adſpectum cadat, imagine depingendum pro moderatore mundi vniuerſali conſtitueret. Namque plerorumque populorum doctrinam fidei idem ſpectaſſe videmus, et duntaxat per *cultum* certorum quorumdam illis ſubiectorum deorum inferorum potentium polytheiſmi ſeſe ſuſpectos reddidiſſe. Namque deus, qui eiusmodi ſolum ſeruari praecepta vult, quae nullam prorſus poſtulant mentem moralem, non proprie ea natura moralis eſt, cuius conceptu ad religionem indigemus. Haec magis in fide de multis eiusmodi naturis potentibus, quae non ſub adſpectum cadunt, locum haberet, ſi populus forte eas ſic cogitaret, vt, quamuis diuerſae eorum curae ſint, omnes tamen in eo conuenirent, quod eum modo complacentia ſua dignum iudicarent, qui toto animo virtutem conſectaretur, quam cum fides duntaxat vni naturae ſacrata eſt, quae vero caput in cultu mechanico quodam ponat.

Quocirca hiſtoriam eccleſiaſticam catholicam, quatenus ea debet ſyſtema abſolui, non poſſumus niſi ab origine chriſtianiſmi inſtituere, qui, vt tota Iudaiſmi, in quo ortus eſt, dereliſtio, in principio prorſus nouo fundatus, totam rerum conuerſionem in rebus fidei effecit. Opera, quam doctores chriſtianiſmi nauant, vel ſtatim initio nauarunt, vt ex vtroque filum ductorium continuum necterent, dum fidem nouam duntaxat pro continuatione veteris, quae omnia eius euenta typis complexa fuerit, reputari cupiunt, planum facit, in eo illos tantummodo de adiumentis conuenientiſſimis ſollicitos fuiſſe, religionis moralis purae pro cultu vetere, ad quem populus admodum erat adſuefactus, *introducendae*, ſed praeiudicatis eius opinionibus directo haud offenſis. Iam ex ſigno corporeo, quo populus ille ab aliis totus diſtingueretur, ſublato, iudicari poteſt, fidem nouam, ad

nulla veteris ſtatuta, quid? quod ad nulla omnino ſtatuta, adſtrictam religionem continere debuiſſe, ad mundum, non vero ad populum ſingularem, valentem.

Itaque ex Iudaiſmo, — ſed ex Iudaiſmo non amplius vetuſto et immixto, ſolum in propria quadam conſtitutione politica ſtatuto (quae itidem erat admodum concuſſa), verum ex Iudaiſmo iam per paullatim in eo palam factas doctrinas morales cum fide religioſa commixto, in ſtatu quodam, quo ad hunc populum quondam rudem atque ignarum multa iam ſapientia aliena (Graeca) peruenerat, quae ſine dubio quoque ad eum conceptibus virtutis colluſtrandum contulit, in moleſtoque onere fidei traditionariae ad rerum conuerſionem praeparandum, occaſione data diminutae ſacerdotum poteſtatis, ſubiectione ſub ſummam poteſtatem populi, ad omnem fidem popularem alienam medii, — ex tali igitur Iudaiſmo ſubito emerſit, quamquam haud ſine praeparatione, chriſtianiſmus. Doctor euangelii vt miſſum ſe caelitus annunciabat, dum ſimul vt eiusmodi miſſione dignus, fidem ſeruilem (de diebus cultus, confeſſionesque et ritus) per ſe pro irrita, contra moralem, qua ſola homines ſancti redduntur, „quemadmodum eo„rum pater in caelo ſanctus eſt," et per vitam bonam honeſtamque veritatem ſuam teſtatur, pro ſola ſalvifica declarauit, poſteaquam vero per doctrinam et cruciatus vsque ad mortem inculpatam ſimulque meritoriam *) in perſona ſua exemplum proto-

*) Cum qua hiſtoria eius publica (quae idcirco quoque vniverſe poterat exemplo eſſe imitationis) finitur. Hiſtoria ſecretior additamento adiecta, ſolum in conſpectu familiarium eius facta et *reſurrectionis* et *adſcenſionis* in caelum (quae, duntaxat pro idea rationali accepta, initium vitae alterius introitusque in ſedem beatitatis, id eſt, in communionem bonorum omnium, denotarent), ſaluo pretio eius hiſtorico, ad religionem poteſt intra terminos ſolius rationis non vſurpari. Haud fere propterea, quoniam in narratione hiſtorica verſatur (cuiusmodi quippe et antecedens eſt), ſed quoniam, ad literam accepta, conceptum ſumit, ſenſitiuo hominum repraeſentandi modo conſentaneum, ra-

typo humanae naturae potius deo acceptae conuertiens propofuerat, vt ad caelum, vnde venerat, reuertens defcribitur, dum voluntatem vltimam (quafi in teftamento quodam) verbo reliquit, et quod vim recordationis de merito fuo, doctrinaque atque exemplo fpectat, tamen dicere poterat, „fe (ideale humanae naturae „deo acceptae) nihilominus manere in difcipulis vsque „ad finem mundi." — Huic doctrinae, quae, fi forte de *fide hiftorica* propter originem ordinisque perfonae fortaffe fupraterreftris ageretur, fane confirmationis per miracula indigebat, quae vero vt folum ad fidem moralem animos emendantem pertinens, vniuerfis poteft argumentis veritatis fuae facile carere, in libro

tioni vero in fide de futuro admodum moleftum, nempe conceptum cum *materialifmi perfonalitatis* in homine (pfychologicum) quae non nifi cum adiunctione *corporis* eiusdem locum habere poffit, tum *praefentiae* in mundo quodam generatim (cofmologicum) quae ex hocce principio non poteft nifi *in fpatio* effe; cum contra hypothefis fpiritualifmi naturarum mundanarum rationalium, qua corpus in terra manere mortuum, et tamen eadem perfona adeffe viua poteft, itemque homo quoad fpiritum (in qualitate fua haud fenfibili) ad fedem beatorum peruenire poteft, ita vt haud in vllum locum quemdam fpatii infiniti, terram cingentis (et quod etiam caelum vocamus), translocetur, magis rationi fauet, non folum idcirco, quoniam fieri non poteft, vt materia cogitans mente et cogitatione depingatur, fed potiffimum propter rationem fortuitam, cui exfiftentia noftra poft mortem exponitur, quod folum nifi cohaefione molis cuiusdam materiae in certa forma debet, cum e contrario queat conftantiam fubftantiae fimplicis vt in natura eius fundatam, cogitare. — Verum fuppofito fpiritualifmo rationi neque inuitamentum accedere ex eo poteft, quod corpus, quod, vt maxime depuratum fuerit, tamen (fi perfonalitas identitate illius nitatur), vsque ex eadem materia, qua bafis efficitur organifationis eius, conftet, neceffe eft, et quam ipfum in vita haud ita adamaffet, aeternum fecum ducat, neque enodari poteft, quid haec terra calce commixta, qua confiftit, in caelo, hoc eft, in alia mundi regione fieri debeat, vbi fine dubio aliis materiis exfiftentiae conuerfationisque naturarum viuentium conditio abfolvetur.

facro praeterea miracula ac myfteria adiunguntur, quorum patefactio ipfa viciffim in miraculis eft, et fidem hiftoricam poftulat, quae non nifi per eruditionem poteft cum confirmari, tum quoad vim fenfumque fervari.

Omnis autem fides, quae, vt fides hiftorica, libris nititur, ad fibi cauendum indiget *populo erudito*, in quo per fcriptores vt aequales, a fufpicione confpirationis cum primis diuulgatoribus eius liberos, quorum contextus cum noftris huius aetatis fcriptoribus haud interrupte fefe conferuarit, quafi poffit comparari. Contra fides rationalis pura nullius indiget eiusmodi confirmationis, fed fe ipfam probat. Iam temporibus illius rerum conuerfionis in populo, qui Iudaeos poteftate tenebat, eorumque in ipfa fede difperfus erat (in populo Romano), fuit iam populus eruditus, de quo nobis quoque illorum temporum hiftoria, refpectu euentorum in conftitutione politica, per feriem fcriptorum haud interruptam tradita eft; qui populus quoque, etfi fidem religiofam fubditorum haud Romanorum parum curarent, tamen refpectu miraculorum, quae palam in iis facta putabantur, minime fuit incredulus; verum vt aequales nullam mentionem fecerunt, neque horum, nec rerum conuerfionis nihilominus palam factae, quam in populo fibi fubiecto (refpectu religionis) produxerant. Sero duntaxat, plus vna exacta aetate de natura huius fidei conuerfionis fibi huc vsque ignota (quae haud fine motu publico euenerat) inquifiuerunt, non vero de hiftoria primi illius initii, vt eam in propriis annalibus conquirerent. Ab eo inde tempore vsque ad tempus, quo chriftianifmus per fe ipfe populum eruditum conftituit, proinde hiftoria eius obfcura eft, ideoque nobis ignotum manet, quale effectum doctrinae illius in moralitatem fuerit fociorum religionis eorum, vtrum chriftiani primi reapfe fuerint homines moraliter emendati, an homines confuetae vitae ac fidei. Ex quo vero chriftianifmus ipfe populus eruditus euafiffet, vel tamen in vniuerfalem acceffiffet, hiftoria eius, quantum effectum attinet benignum, quod iure

poteſt ab religione morali exſpectari, nullo modo illi laudi cedit. — Quomodo myſticis fanaticorum ſomniis in vita eremitica et monachica, celebrandaque ſanctitate caelibatus, magna hominum multitudo mundo inutilis redderetur; quomodo cum ea re coniuncta miracula putatitia populum ſub ſuperſtitione caeca grauiſſimis vinculis premerent; quomodo cum hierarchia hominibus liberis ſeſe obtrudente terribilis vox *orthodoxiae* ex ore interpretum ſcripturae arrogantium ſublata audiretur, mundumque chriſtianum de opinionibus fidei (credendis) (cuius nullo modo poteſt concentus vniuerſalis fieri, niſi ratione pura interprete conſtituta) in partes furioſas diſpeſceret: quomodo in oriente, vbi ciuitas ridicule ipſa in fidei ſtatutis ſacerdotum occuparetur, cum contra eos intra anguſtos ordinis meri doctorum (ex quo ſemper ſunt propenſi transire ad ordinem gubernantem), tenere debuiſſent, quomodo, inquam, haec ciuitas tandem hoſtibus externis, qui tandem eius fidei dominanti finem impoſuere, neceſſario praedae eſſet; quomodo in occidente, vbi fides proprium ſuum ſolium, a poteſtate mundana liberum fundaret, a vicario dei arrogante ordo ciuilis vna cum literis (quibus ille conſeruatur), concuteretur atque infirma redderetur, quomodo vtraque pars chriſtiana, inſtar plantarum et animalium, quae per morbum interitui vicina, vaſtantes inſectas adliciunt, ad eum perficiendum, a barbaris opprimeretur; quomodo in hac poſteriori illud caput clericum reges, velut liberos, per virgulam magicam anathematis propoſiti regeret et caſtigaret, ad bella eos illam alteram mundi partem hominibus priuantia externa (ductus cruciatus), ad ſe inuicem infeſtandos, ad ſeditionem ſubditorum aduerſus magiſtratus, ad ſanguinolentum odium erga ſocios vnius eiusdemque chriſtianiſmi aliter ſentientes excitaret; quomodo huiusce diſſidii, quod etiamnum duntaxat per rationem politicam a violentis ingeniis detinetur, radix in decreta fidei eccleſiaſticae deſpotice iubentis latet, illarumque ſcenarum ſimiles metuendas etiamnum facit: — haec chriſtianiſmi hiſtoria (quae, quatenus hic in fide

hiſtoria fundari debebat, etiam non aliter euenire poterat) ſi eam quaſi tabulam ſub adſpectum ſubiicias, ſane poſſet illud confirmare: tantum religio potuit ſuadere malorum! niſi ex fundatione illius etiamnunc perſpicue eluceret, verum illius conſilium primum nullum aliud fuiſſe, quam vt fides religionis pura, de qua nullae eſſe partes concertantes poſſunt, introduceretur, vniuerſum autem motum iſtum, quo genus humanum concuteretur, et etiamnunc diſſidio disiungitur, ſolum inde oriri, quod per propenſionem prauam naturae humanae, quod initio ad introducendam poſteriorem facere debebat, nimirum vt natio veteri fidei hiſtoricae adſueta per ſuas ipſius opiniones praeiudicatas in gratiam nouae occupetur, ſequenti tempore fundamentum religionis mundanae vniuerſalis conſtitueretur.

Si igitur quaeras: quodnam tempus vniuerſae huc vsque notae hiſtoriae eccleſiaſticae optimum ſit, nullus dubito profiteri: *praeſens eſt*, et ita quidem vt ſurculus verae fidei religioſae, ſicut nunc in republica chriſtiana tantummodo ab nonnullis quidem, ſed palam tamen plantatus eſt, libere magis magisque euoluetur, vt inde adpropinquatio continua ad eam eccleſiam, omnes homines ſempiterne coniungentem, exſpectetur, qua imago viſibilis (ſchema) regni dei inuiſibilis in terris efficitur. — Ratio in rebus vniuerſis, quae morales eſſe debent et ad animos emendandos facere, ab onere fidei interpretum arbitrio perpetuo expoſitae ſeſe liberans in omnibus prouinciis noſtrae mundi partis inter veros religionis cultores vniuerſe (quamuis haud vbique palam) *primo* decretum *modeſtiae* aequae in ſentiendo de vniuerſis, quae reuelatio dicuntur, ſequitur: cum nemo ſcripturae, quae quoad materiam practicam nil niſi diuina in ſe cohibet, queat *poſſibilitatem* impugnare, quod ea (ſcilicet reſpectu eorum, quae hiſtorica in ea inſunt), poſſit quoque reapſe pro reuelatione diuina accipi, coniunctio item hominum ad religionem haud facile ſine libro ſacro fideque in eo fundata eccleſiaſtica confici poſſit et perpetua reddi; cum praeterea, pro eo,

ac praesens intellectus humani status, difficulter quispiam queat reuelationem nouam, nouis miraculis introductam, exspectare, — rationi aequitatique conuenientissimum esse, vt libro, qui semel adest, porro quoque pro fundamento institutionis ecclesiasticae vtamur, eiusque dignitatem ac pretium haud inutilibus ac petulantibus adgressibus infirmemus, praeterea quoque nemini fidem de eo vt ad beatitatem necessariam obtrudamus. *Alterum* deinde hoc decretum est: vt, cum historia sacra, tantummodo in gratiam fidei ecclesiasticae constituta, per se sola nullam omnino cum normis moralibus accipiendis contagionem habere possit et debeat, sed huic modo ad rem sibi subiectam veram (virtutem ad sanctitatem adspirantem) viuide exhibendam data sit, ea semper ad mores spectantem doceri debeat et explicari, praeterea quoque diligenter, et (quoniam maxime homini vulgari propensio constans inest ad fidem passiuam *) transgrediendi) repetita vice inculcetur; religionem veram haud in scientia et confessione eorum versari, quae deus ad nos beatos reddendos faciat aut fecerit, verum in iis, quae nobis facienda sint, vt beatitate digni euadamus, quae numquam esse aliud possunt, quam cuius per se ipsius indubitatum pretium *absolutum* sit, proinde nos solum reddere deo acceptos possit, de cuiusque necessitate simul quisque homo sine omni eruditione scripturaria prorsus certus fieri queat.— Ne igitur ista principia, quo minus publica fiant, impediantur, in officio est rectoris reipublicae; contra per-

*) Ex caussis huius propensionis vna sita est in principio securitatis: mendas religionis, in qua natus sum, et educatus, cuius institutio non ex mea optione dependeret, atque in qua propria argutatione nihil quidquam immutarim, haud ad meam, sed educatorum meorum, magistrorumque publice constitutorum rationem referri: id quod simul in causa est, cur mutationem religionis publicam hominis haud facile comprobemus, quo quidem sane et alia ratio (profundius abdita) accedit quod scilicet, in ambiguitate, quam in se quisque sentit, quaenam fides (historicarum) recta et vera sit, interea dum fides moralis vbique eadem est, valde nosmet inutile iudicamus, populum commouere.

multum in eo discriminis est culpaeque, si iter prouidentiae diuinae turbes, et propter certos quosdam doctores ecclesiasticos historicos, quibus tamen ad summum tantummodo probabilitas fauit per doctos decernenda, subditorum religionem offerendis negandisue certis quibusdam commodis ciuilibus, alioquin cuique concessis, tentes, *) quo quidem, nullo respectu habito

*) Cum regimen aliquod non vult pro vi illata conscientiae habendum esse, quod modo vetet, ne *palam* sententiam de religione tuam *profiteare*, dum tamen interim neminem impediret, quo minus occulte, quae sibi recta videntur, *cogitet*, plerumque de eo iocantes dicimus: istud nullam esse libertatem ab eo concessam; quoniam ea per se impediri nequeat. Sed, quod suprema potestas mundana efficere non potest, id tamen potest clerica; scilicet ipsam vetare cogitationem, et reapse quoque impedire; adeo, vt eiusmodi coactionem, quippe vetitum, ne aliter, atque ea praescribit, vel modo cogitetur, ipsis potentibus superioribus imponere queat. — Etenim propter hominum propensionem ad fidem cultus seruilem, cui non solum prae morali (vt faciendis officiis generatim deo seruiamus) ad maximum, verum etiam vnum, omnem defectum reliquum resarciens, momentum tribuendum sponte feruntur proni, orthodoxiae custodibus vt pastoribus animorum semper facile est, gregi suo terrorem pium de minima a certis quibusdam fidei sententiis in historia positis aberratione, ipsaque vniuersa inuestigatione adeo incutere, vt haud audeant, vel mente modo et cogitatione de sententiis sibi obtrusis dubitare: quoniam hoc idem sit, ac malo genio aurem praebere. Verum est, vt ab ista coactione libereris, satis esse, te tantum *velle* (quod in illo per potestatem mundanam vetito, respectu confessionum publicarum, fieri haud licet;) sed hoc velle illud ipsum est, cui intus obex obiicitur. Verumtamen propria haec religiosa coactio satis quidem mala est (quippe quae ad simulationem internam seducit), sed nondum tam mala, quam externa credendi libertas prohibita, quoniam illa per progressum intellectus moralis conscientiamque libertatis, ex qua vera officii obseruantia solum oriri potest, paullatim sponte cesset, necesse est, contra hac coactione externa omnes progressus voluntarii, in communione credentium ethica, qua essentia verae ecclesiae efficitur, impediuntur, formaque illius constitutionibus prorsus politicis subiicitur.

detrimenti, quod ea ex re ſancta libertas capit, difficulter poſſunt ciuitati boni ciues comparari. Ecquis tandem eorum qui eiusmodi liberam initiorum diuinorum in ſalutem mundi euolutionem impediendam in ſe recipiunt, vel eam commendant, ſi, conſcientia conſulta, de eo meditetur, cauere de cunctis malis velit, quae ex eiusmodi violentis iniuriis poſſunt enaſci, quibus progreſſus in bono ab moderamine mundi ſpectatus forte in longum tempus prohiberi poſſet, atque etiam retractari; quamquam per nullam poteſtatem humanam inſtitutumque vnquam poteſt prorſus tolli?

Tandem regnum caeli quoque, quoad prouidentiae directionem, in hac hiſtoria non ſolum vt in adpropinquatione certis temporibus retardata quidem, ſed numquam prorſus interrupta, verum etiam in ingreſſu ſuo depingitur. Accipi vt repraeſentatio ſymbolica poteſt, duntaxat ad animandam ſpem maiorem fortitudinemque atque conatum ad illud ſpectans, cum huic narrationi hiſtoricae etiam vaticinium (quaſi in libris Sibyllinis) de magna hac mundi mutatione abſoluenda in tabula regni dei in terris viſibilis (ſub regimine vicarii eius locumque tenentis iterum caelitus regreſſi) felicitatisque, ſub eo ſeiunctis expulſisque rebellibus, denuo reſiſtentiam tentantibus, hac in terra percipiendae, cum tota eorum deletione auctorisque (in apocalypſi) adiungitur, atque ita *finis mundi* hiſtoriam abſolvit. Doctor euangelii regnum dei in terris, duntaxat a parte ſplendida, animosque eleuante ac morali, nimirum ex dignitate ciuium ciuitatis diuinae diſcipulis depinxerat, eos inſtituerat, quid iis faciendum eſſet, non ſolum, vt ipſi eo peruenirent, verum etiam, vt cum aliis ſimiliter ſentientibus, ac, ſi fieri poſſet, cum vniuerſo genere humano eum in finem ſeſe coniungerent. Felicitatem autem, alteram neceſſariorum hominis deſideriorum partem, iis praedixit, hac in vita terreſtri haud debere certo exſpectari. Potius eos praeparauit, vt parati eſſent ad ſummas miſerias atque iacturas; ſed tamen (quoniam tota a felicitate phyſica

non poteſt hac in terra abdicatio ab homine poſtulari, addidit: „eſtote laeti et bono animo, in caelo vobis om„nia bene compenſabuntur." Quod excitauimus, ad hiſtoriam eccleſiae additamento, ſortem eius futuram ſpectante atque extremam, haec tandem vt *triumphans*, nimirum cunctis impedimentis ſuperatis felicitate etiamnum his in terris cumulata depingitur. — Separatio bonorum a malis, quae progreſſibus eccleſiae ad perfectionem durantibus, huic fini haud conueniens fuiſſet (propterea quod permixtio vtrorumque ad hoc ipſum neceſſaria fuit, partim vt bonis eſſet pro cote virtutis, partim vt alii eorum exemplo a malo auocarentur) conſtitutione ciuitatis diuinae abſoluta, vt conſequens poſtremum depingitur; vbi vltimum firmitatis eius, vt poteſtatis conſideratae argumentum, victoria de cunctis hoſtibus externis, itidem quoque vt in ciuitate quadam (ciuitate infernali) ſpectatis, adiicitur, quocum vniuerſae vitae finis eſt, ſiquidem „hoſtis vlti„mus (bonorum hominum) mors tollitur," atque in vtraque parte, vna in ſalutem, altera in perniciem, immortalitas incipit, ipſa eccleſiae forma diſſoluitur, locum tenens in terris cum hominibus, vt caeli ciuibus, cum ſe euectis in vnam claſſem coit, atque ita deus omnia in omnibus eſt. *)

Haec deſcriptio narrationis hiſtoricae poſteritatis, quae ipſa nulla hiſtoria eſt, pulcrum ideale videtur epochae mundi moralis introducenda religione vera vni-

*) Quod verbum (myſterioſo, omnes, quae eſſe poteſt, experientiae terminos ſuperante, tantummodo ad ſacram humani generis *hiſtoriam* pertinente, ad nos proinde *practice* nihil attinente, in medio relicto) ita poteſt intelligi, vt fides hiſtorica, quae, qua fides eccleſiaſtica, codicis ſacri indiget ad homines ducendos, ſed eo ipſo vnitatem eccleſiae atque vniuerſalitatem impedit, ipſa ceſſatura ſit, in puramque fidem religioſam vniuerſo mundo aeque perſpicuam tranſitura; quo nunc, religione rationali pura perpetuo euoluenda ex velamine illo in praeſens adhuc haud abiiciendo, diligenter adlaborare debemus.

verſali effecta, in fide *praeuiſa*, vsque ab abſolutionem, quam non vt abſolutionem empiricam *ſpectamus*, verum ad quam tantummodo continuo progrediendo adpropinquandoque ad ſummum bonum in terris poſſibile (in quo nihil myſticum ineſt, ſed cuncta morali modo naturaliter eueniunt), *proſpicere*, id eſt, nosmet componere poſſumus. Aduentus antichriſti, chiliaſmique, et annunciatio propinqui finis mundi coram ratione poſſunt bonam ſignificationem ſymbolicam induere, atque haec poſterior, vt (quemadmodum finis vitae, propior an remotior) haud ante praeuidendum euentum depicta, optime neceſſitatem exprimit, vt ſemper parati ſimus, reapſe autem ſi huic ſymbolo ſenſum intellectualem ſubieceris) nosmet omni tempore vere vt ciues vocatos ciuitatis diuinae (ethicae) conſideremus. „Quando tandem igitur regnum dei veniet? Regnum „dei non venit forma conſpicua. Neque etiam dice„tur: en hic, vel illic eſt! Nam teneatis regnum dei „eſſe intus in vobis!" (Lucae XVII, 21 ſeq.) *)

*) Hoc loco regnum dei depingitur, non ex pacto ſingulari quodam (nullum Meſſianum), ſed *morale* (per ſolam rationem cognoſcibile). Regnum diuinum pactitium oportebat probationem ex hiſtoria depromere, et tum in regnum *Meſſianum* ex *vetere* et *nouo* pacto deſcribitur. Iam dignum notatu eſt: admiratores regni diuini pactitii (Iudaeos) etiamnum ſeſe, qua tales, quamquam per omnem terrarum orbem diſperſos, conſeruaſſe, interea dum fides aliorum religionis ſociorum cum fide populi, quo diſperſi ſunt, ſolebat confundi. Quod phaenomenon multis adeo mirabile videtur, vt per naturam rerum fieri id haud facile poſſe autument, ſed extraordinarium inſtitutum iudicent ad peculiarem quemdam finem diuinum. — Verum populus, cui ſcripta religio (codices ſacri) eſt, cum eo, qui (velut imperium Romanum — tum totus terrarum orbis moratus) nullam eiusmodi religionem habet, ſed ſolum ritus, numquam in vnam fidem conflatur; potiusue citius tardiusue proſelytas colligit. Hinc quoque Iudaei ante captiuitatem Babylonicam, poſtquam, vti videtur, ſacri eorum codices demum palam lecti ſunt, non amplius de propenſione ad alienos deos ſectandos, incuſantur; cum praeterea cultura Alexandrina, quae vim ſuam in iis quoque, neceſſe fuit, exſereret, iis

SCHOLION GENERALE.

In omnibus fidei formis, religionem ſpectantibus perſcrutatio ſub natura interna neceſſario impingit in

poſſet prodeſſe, ad formam illis ſyſtematicam impertiendam. Sic *Parſi*, qui religionem ſectantur Zoroaſtri, fidem ſnam huc vsque tuiti ſunt, quamuis fuerint diſperſi; quoniam penes *Deſtures* eorum Zendaueſta erat. Cum e contrario *Hindi*, qui, ſub nomine Ziganorum, longe lateque diſperſi ſunt, quoniam e fecibus plebis (*Pariis*) erant, (quibus adeo vetitum eſt, ne libros ſacros legant), non effugerunt commixtioni cum fide aliena. Quod vero Iudaei, per ſe ſoli, tamen haud forent effecturi, id fecit religio chriſtiana, et ſerius quoque Muhammedana, praeſertim chriſtiana; ſi quidem vtraque fidem Iudaicam ad eamque ſpectantes codices ſacros ſupponunt (quamquam Muhammedana eos perhibet eſſe corruptos). Namque Iudaei apud chriſtianos ab ſe egreſſos ſemper poterant vetuſta documenta ſua rurſum inuenire, ſi modo in migrationibus ſuis, vbi habilitas eos legendi, ideoque deſiderium eos poſſidendi, ſaepenumero extincta fuerit, recordatio iis relinqueretur, eiusmodi ſe quondam habuiſſe. Idcirco extra dictas prouincias nulli quoque Iudaei reperiuntur; ſi a paucis illis in ora Malabarica et forte a coetu quodam in Sina diſceſſeris (e quibus illi ſuperiores cum ſociis fidei ſuis in Arabia in perpetuo negotiorum commercio eſſe poterant), quamuis nullum dubium, quin in illis quoque regionibus opulentis ſeſe diſperſerint, verum per inopiam vniuerſae cognationis fidei cum illorum populorum formis fidei, ſuae prorſus fuerint obliti. Verum res ardua eſt in hac populi Iudaici conſeruatione, vna cum religione ſua, remporibus illis tam aduerſis, meditationes pias fundare, quoniam vtraque pars rationem ſuam putat in eo ſequi. Alter in conſeruatione populi, ad quem pertinet, fideique veteris manentis purae, quamuis in populis variis diſperſus ſit, argumentum aperit prouidentiae in eo ad futurum terreſtre regnum ſeruando in primis benignam: alter non niſi ruinas conſpicit minantes ciuitatis euerſae, aduenienti caelorum regno obſiſtentis, quas prouidentia ſingularis etiamnunc conſeruat, partim ad memoriam vaticinii veteris de Meſſia ab hoc populo profecturo tuendam, partim ad exemplum iuſtitiae punitiuae in eo proponendum, quoniam obſtinate vellet conceptum eius politicum, non vero moralem informare.

myſterium, id eſt, in quidpiam *ſanctum*, quod ab vno quoque quidem ſingulo *noſci* poteſt, neque tamen palam *notum* fieri, id eſt, vniuerſe communicari. — Vt quidpiam *ſanctum*, neceſſe eſt, iſtud res ſit moralis, proinde rationi ſubiecta, interneque ad vſum practicum idonee poſſit cognoſci, nec vero, vt quidpiam *ſecretum*, ad vſum theoreticum; quoniam tum quoque cum vno quoque communicandum foret, proinde quoque externe ac palam poſſet innoteſcere.

Iam fidei de eo, quod ſimul nobis vt myſterium ſanctum conſiderandum eſt, vel pro *fide diuinitus inſpirata* poteſt, vel pro fide *rationali pura* reputari. Non niſi ſumma neceſſitate ad amplexandam fidem inſpiratam coacti, normam nobis ſtatuamus, vt fidem rationalem ſequamur. — Tactus non ſunt cognitiones, nec proinde myſterium deſignant, cumque hoc ad rationem adfectum ſit, nec tamen vniuerſe queat communicari; cuique illud (ſi vmquam tale ſit), in ratione ſua conquirendum erit.

Fieri non poteſt, vt ex anticipatione et obiectiue, eiusmodi myſteria ſint, nec ne, decernatur. Igitur in inteſtino, in ratione ſubiectiua initiorum moralium noſtrorum, proxime nobis anquirendum erit; vt, an eiusmodi in nobis inſint, intelligamus. Verumtamen haud *rationes* imperſcrutabiles moralium, quae quidem palam poſſunt communicari, quorum vero cauſa non data eſt, ſed ea ſolum, quae nobis ſunt cognoſcenda propoſita, non vero palam queunt communicari, licebit vt ad ſacra myſteria adnumeremus. Sic libertas, quae in proprietate verſatur, homini ex determinabilitate arbitrii per legem moralem abſolutam innoteſcente, nullum myſterium eſt, quoniam illius cognitio cum quouis homine poteſt *communicari;* ratio autem imperſcrutabilis huiusce proprietatis myſterium eſt, eo quod ea *non* eſt ad cognoſcendum *data*. Verum haec eadem libertas ſola quoque id eſt, quae, ad rem vltimam rationi purae ſubiectam, ad ideam ſcopi moralitatis ad ve-

ritatem transferendam, adhibita, nos necessario ad sacra mysteria ducit. *) —

Quoniam homo ideam summi boni cum mente morali arctissime coniunctam (non solum ex parte felicitatis eo pertinentis, verum etiam coniunctionis hominum ad finem totum necessariae), haud ipse potest ad veritatem (realitatem) transferre, nihilominus autem intus in se ad eo vsque adnitendum sese sentit obligatum, obstrictum sese ad fidem intelligit de cooperatione vel constitutione gubernatoris mundi moralis, quo solo efficitur, vt esse hic finis possit, et nunc panditur illi vorago mysterii eorum, quae deus in eo agat, an illi

*) Sic *causa* grauitatis vniuersalis omnium in mundo materiarum nobis notarum, ita, vt praeterea perspici queat, eam posse numquam a nobis cognosci; quoniam iam illius conceptu vix motrix prima absoluteque in ea insita supponitur. Ea vero nullum mysterium est, sed cuique potest patefieri, quoniam *lex* eius satis cognita est. Si Newtonus eam quasi vt omnipraesentiam diuinam phaenomenon descripsit; istud non est periculum eius explicandae, (nam exsistentia dei in spatio repugnantiam continet) sed tamen analogia sublimis, in qua solum coniunctio naturarum corporearum ad totum mundanum spectatur, dum illi causa incorporea subiicitur; atque eadem sors foret periculi, principium substantiale coniunctionis naturarum mundanarum rationalium in ciuitate ethica perspiciendi, et hanc inde enodandi. Tantummodo officium cognoscimus, quo ad id obstringimur; possibilitas effecti spectati, etiamsi illi officio pareamus, sita est vltra terminos vniuersae nostrae cognitionis. — Sunt mysteria, arcana naturae, possunt esse mysteria (secreta) politices, quae haud *debeant* palam innotescere; sed vtraque tamen nobis *possunt* innotescere, quatenus causis empiricis nituntur. Respectu eorum, quae vt cognoscantur vniuerse est in hominum officio (quippe morali), nullum potest mysterium esse, verum ratione eorum, quae duntaxat deus facere potest, quo vt quidpiam ipsi conferamus, facultatem nostram, proinde officium quoque superat, tantummodo proprium, nimirum sanctum religionis mysterium esse potest, quod forte modo esse vt sciamus et intelligamus, haud fere perspiciamus, nobis vtile fuerit.

omnino *quidquam*, et *quid* ei (deo) ſingulatim tribuendum ſit, interea dum homo in vnoquoque officio nihil aliud cognoſcit, quam quid ſibi ipſi faciendum ſit, vt ſupplemento illo ſibi ignoto, certe incomprehenſibili dignus videatur.

Haec idea gubernatoris moralis mundi quaeſtio eſt rationi practicae noſtrae propoſita. Non tam noſtra intereſt, vt ſciamus, quid deus per ſe ipſe ſit, ſed quid is nobis ſit, qua naturis moralibus; quamquam in gratiam huius relationis qualitas naturae diuinae ita cogitanda nobis et accipienda eſt, vti ad hanc relationem in vniuerſa perfectione ad exſequendam eius voluntatem neceſſaria opus eſt, (veluti vt naturae immutabilis, omniſciae, omnipotentis, et ſic porro) neque ſine hac relatione quidquam in eo cognoſcere poſſumus.

Huic neceſſitati rationis practicae conuenienter fides religionis vera vniuerſalis cernitur in fide de deo 1) vt creatore caeli terraeque omnipotente, id eſt, moraliter vt legislatore *ſancto*, 2) de eo, humani generis conſeruatore, vt moderatore *benigno* et curatore illius morali, 3) de eo, adminiſtratore ſuarum ipſius legum, hoc eſt, vt iudice *iuſto*.

Hac fide proprie nullum myſterium continetur; quoniam ea tantummodo dei relatio moralis ad genus humanum exprimitur; ſe ipſa quoque vniuerſae rationi humanae ſponte offert, ideoque in religione plerorumque populorum moratorum inuenitur *). Ineſt in

*) In hiſtoria vaticiniorum ſacra de rebus extremis *iudex mundi* (proprie is, qui eos, qui ad regnum pertinent principii boni vt ſuos in imperium ſuum recipiet ac ſegregabit), non vt deus, verum vt filius hominis deſcribitur ac nominatur. Id quod videtur indicare, ipſam *naturam humanam* ſuae ſibi circumſcriptionis fragilitatisque conſciam, in hoc delectu ſententiam pronunciaturam eſſe; quae benignitas eſt, iuſtitiae nihil quidquam derogans.— Contra hominum iudex in diuinitate ſua, hoc eſt, vti conſcientiae noſtrae

conceptu populi, vt cuiusdam reipublicae, in qua eiusmodi triplex poteſtas ſumma ſemper cogitanda eſt, cum haec hoc loco modo ethice repraeſentetur, quocirca haec triplex qualitas capitis moralis generis humani in vna eademque natura poteſt coniuncta cogitari, quae in ciuitate iuridice ciuili neceſſario inter tria ſubiecta eſſe dispertita deberet *).

Verumtamen quia haec fides, quae relationem hominum moralem ad naturam ſummam, in vſum re-

ex lege ſancta ab nobis agnita, noſtraque propria imputatione pronunciat, repraeſentatus, (ſpiritus ſanctus), duntaxat vt ex ſeueritate legis iudicans poteſt cogitari, quoniam, quantum per rationem fragilitatis noſtrae nobis indulgeri queat, nosmet ipſi nullo modo nouimus, ſed ſolum transgreſſio noſtra cum conſcientia noſtrae libertatis laeſioneque officii nobis prorſus imputanda coram oculis verſatur, atque ita nobis non eſt, quod in ſententia de nobis decretoria benignitatem ſumamus.

*) Haud facile reddi ratio poteſt, cur tot populi veteres in hac idea conuenirent, niſi ea ſit, quod in communi ineſt ratione humana, ſi regimen populi (et ex analogia mundi cogitare velis. In religione *Zoroaſtri* hae tres perſonae diuinae fuerunt: *Ormuzd*, *Mithra* et *Arihman*; in *Hinduina: Brahma*, *Viſchnu* et *Sieven* (hoc tamen diſcrimine, vt in *illa* perſona tertia non ſolum vt auctor *mali*, quatenus poena eſt, ſed ipſius *moraliter mali*, cuius homo cauſa punitur; in *hac* vero ſolum vt iudicans ac puniens repraeſentetur). In *Aegyptiaca* erat *Phta*, *Kneph* et *Neith*, quorum, quantum per obſcuritatem hiſtoriarum ex vetuſtiſſimis huius populi temporibus diuinari licet, primum ſpiritum a materia diuerſum, vt *mundi creatorem*, alterum dein principium benignitatem conſeruantem ac *gubernantem*, tertium denique ſapientiam illam circumſcribentem, hoc eſt, *iuſtitiam* deſignare debuit. *Gothica Odinum* ſuum (omnium parentem) coluit, *Freyamque* (etiam *Freyeram*, benignitatem) et *Tor*, deum iudicantem (punientem). Ipſi Iudaei vltimis temporibus conſtitutionis hierarchicae has ideas ſectati videntur. Namque in criminatione Phariſaeorum: Chriſtum ſeſe *filium dei* vocaſſe, haud ita magnum criminis momentum in doctrina, deo filium eſſe, videntur ſtatuiſſe, ſed ſolum in eo, quod is voluerit hicce dei filius dici.

ligionis in genere, ab anthropomorphiſmis inutilibus purgatam, verae moralitati populi dei adaptauit, in doctrina fidei (chriſtiana) primum in eaque ſolum mundo palam propoſita eſt; patefactio illius ſane dici poteſt reuelatio eorum, quae hominibus per culpam eorum propriam vsque eo in myſteriis fuerant.

In ea ſcilicet praecipitur *primo:* vt ne legislatorem ſummum qua talem nobis vt *clementem*, proinde *indulgentem* hominum imbecillitati, nec *deſpoticum* et ſolum ex iure abſoluto ſuo imperantem, legesque eius vt arbitrarias, cum noſtris moralitatis conceptibus nullo modo cognatas, ſed vt eas tamquam ad ſanctitatem hominis relatas leges cogitatione informemus. *Deinde* ne benignitatem eius in beneuolentia erga res creatas eius abſoluta ponamus, verum in eo, quod primo rationem habeat qualitatis eorum moralis, qua poſſunt ei *placere*, illorumque impotentiam, huic conditioni ſponte ſua ſatis faciendi, tum duntaxat ſuppleat. *Tertio:* eius iuſtitia non vt *benigna* poteſt et *deprecario* (id quod repugnantiam continet), multo minus vt ex *ſanctitate* legislatoris (coram qua nemo homo iuſtus eſt) exorta repraeſentari, ſed modo vt benignitas ad conditiones adſtricta ad hominum cum ſancta lege conſpirationem, quantum qua *liberi hominum* cum huius deſiderio poſſunt conuenire. — Vno verbo: deus vult coli ex triplici ratione morali ſpecie diuerſa, cui verbum diuerſae (non phyſicae, ſed moralis) perſonalitatis vnius eiusdemque naturae haud male conuenit, quo quidem fidei ſymbolo ſimul tota religio moralis pura deſignatur, quae ſine hac diſtinctione periculo exponitur, pro hominis propenſione naturam diuinam inſtar capitis humani cogitandi, (quoniam in regimine ſuo triplicem qualitatem eam plerumque haud ſeiungit, ſed eam ſaepius miſcet aut permutat) in fidem ſeruilem anthropomorphiſticam degenerandi.

Cum autem haec eadem fides (de trinitate diuina) non ſolum vt repraeſentatio ideae practicae, verum vt talis, quae, quid deus per ſe ipſe ſit, repraeſentare de-

beat, fpectaretur, tum ea myfterium foret omnes humanos conceptus fuperans, proinde ad reuelationem facultati humanae ineptum, et qua tale hoc refpectu adnunciari poffet. Fides de illo qua dilatatio cognitionis theoreticae de natura diuina non nifi confeffio foret de fymbolo homini prorfus obfcuro, et cum illud fe intelligere putant, anthropomorphiftico fidei ecclefiafticae, quod ad emendationem moralem minime prodeffet. — Id folum, quod refpectu practico facile poteft intelligi ac perfpici, quo vero refpectu practico (ad determinandam rei obiectae per fe naturam) omnes conceptus noftros fuperat, myfterium eft (refpectu vno) et tamen poteft (ex altera ratione) reuelari. Huiusce generis pofterioris illud eft, quod fupra diximus, quod tribus myfteriis poteft, per noftram propriam rationem nobis patefactis, defcribi.

1) Myfterium *vocationis* (hominum vt ciuium ad ciuitatem ethicam). — Subiectio hominis vniuerfalis *abfoluta* fub legislationem diuinam non aliter cogitari poteft, quam quatenus nosmet fimul vt *res* eius *creatas* fpectamus; perinde atque deus non poteft vt auctor legum naturalium confiderari, nifi quia creator eft rerum naturalium. Sed rationi noftrae fimpliciter incomprehenfum eft, quomodo naturae debeant ad vfum virium fuarum liberum effe creatae; quoniam ex principio caufalitatis, naturae, quae vt producta fumitur, nullam aliam actionum rationem internam tribuere poffumus, quam eam, quam caufa efficiens in eam indiderit, per quam (proinde per caufam externam) tum quoque quaeuis illius actio determinata, ideoque haec natura ipfa haud libera foret. Ergo legislatio diuina, et fancta, proinde folum naturas liberas attingens non poteft cum conceptu creationis illarum per perfpicientiam rationalem noftram conciliari, verum illae iam vt naturae liberae exftantes confiderandae funt, quae non per defcendentiam phyficam fuam, vi creationis, fed per folam moralem, ex legibus libertatis poffibilem coactionem, hoc eft, vocationem ad ciui-

tatem in republica diuina determinantur. Sic vocatio ad hunc finem moraliter prorfus patet, verum contemplationi poffibilitas horum vocatorum myfterium eft impenetrabile.

2) Myfterium *fatisfactionis*. Homo, vti eum novimus, corruptus eft, nulloque modo legi illi fanctae fponte confentaneus. Nihilominus, cum dei benignitas eum quafi ad exfiftentiam vocauit, hoc eft, ad fingularem quemdam exftandi modum (vt membrum regni caeleftis) inuitauit, etiam adiumenta habeat, oportebit, defectum habilitatis fuae ad id neceffariae ex copia fuae ipfius fanctitatis refarciendi. Quod vero fpontaneitati, (quae in omni moraliter bono maloue, quod homo in fe cohibere poteft, fupponitur) aduerfatur, vi cuius eiusmodi bonum haud ab alio, fed ab fe ipfo effe profectum debet, fi ei debeat imputari. — Itaque, quantum ratio intelligit, nullus alius per exfuperantiam vitae bonae meritumque poteft eius vicem fuftinere; aut, hoc fumto, tantummodo refpectu morali effe neceffe, poteft *accipi;* nam argutationi myfterium eft inacceffum.

3) Myfterium *electionis*. Etiamfi fatisfactio illa vicaria vt poffibilis concedatur, tamen acceptatio illius moraliter credens in voluntate cernitur ad bonum determinanda, qua iam mens pia in homine fupponitur, quam hic vero per corruptionem naturalem non poteft fponte in fefe producere, At *gratiam* caeleftem in eo agere, quae hanc opem non ex merito actionum, fed per *decretum* abfolutum homini concedat, alteri recufet, vnamque noftri generis partem ad beatitatem, alteram ad reprobationem aeternam deftinari, inde itidem nullus conceptus cogitur de iuftitia dinina, fed fere ad fapientiam referendum foret, cuius regula nobis fimpliciter myfterium videatur.

De his igitur myfteriis, quateuus hiftoriam vitae cuiusque hominis moralem attingunt, quippe qui fiat, vt bonum malumue morale omnino in mundo fit, et

(si malum in omnibus omnique tempore sit) quomodo tandem ex malo bonum oriatur, atque in vllo quodam homine instauretur; aut cur, si *hoc* in quibusdam fit, alii tamen inde maneant exclusi, — nobis nihil quidquam deus reuelauit, nec potest reuelare, siquidem haud *intellecturi* essemus *). Perinde foret, ac si id, quod fit, in homine vellemus ex eius libertate *enodare* atque *docere*, de quo quidem deus per legem moralem nobis voluntatem suam patefecit, sed *causas*, de quibus actio in terris libera fiat vel etiam non fiat, in iis tenebris occultas reliquit, in quibus inuestigationi humanae vniuersa maneant, necesse est, quae, vt historia, tamen quoque ex libertate secundum legem causarum et effectorum debent comprehendi **). Verum de regula obiectiua vitae nostrae actionumque omnia, quo-

*) Plerumque haud erubescunt homines, fidem de mysteriis a tironibus religionis postulare, quoniam eo, quod ea nos non *comprehendere*, id est, possibilitatem rei illis obnoxiae haud perspicere possumus, aeque minus nobis ius tribuatur ea reiiciendi, ac forte facultatem propagandi materiarum organicarum, quae itidem ab nemine comprehenditur, neque tamen, quo minus accipiatur, recusari, quamuis nobis mysterium et sit et mansurum videatur. Verumtamen nos facile intelligimus, quae verbi vis ac potestas sit, conceptumque rei habemus empiricum, cum conscientia, nullam in eo pugnam inesse. — De vno quoque igitur mysterio ad credendum proposito iure potest postulari, vt *intelligatur*, quid in eo spectetur; id quod haud eo fit, vt vocabula, quibus illud designatur, *singula* intelligas, hoc est, cum iis sensum coniungas, sed vt iis, cunctis conceptu comprehensis, sensus concedi debeat, neque in eo omnis fere cogitatio intereat. — Deum, si modo ex nostra parte haud desiderium serium desit, hanc cognitionem posse nobis per *inspirationem* concedere, non potest cogitari; neque enim vllo modo inhaerere potest; quoniam natura intelligentiae nostrae haud eius capax est.

**) Quocirca, quid libertas sit, respectu practico (cum de officio sermo est) facile intelligimus, verum respectu practico, quod causalitatem illius (quasi naturam eius) attinet, sine repugnantia ne per somnium quidem cogitare possumus, nos eam velle intelligere.

rum nos indigemus, (per rationem fcripturamque) fatis patefacta funt ac reuelata, eaque reuelatio fimul ab vnoquoque poteft homine intelligi.

Hominem per legem moralem ad vitam bonam atque honeftam vocatum effe, eumque per obferuantiam erga illam indelebilem, quae in fe eft, ad fiduciam quoque erga hunc bonum fpiritum atque ad fpem, fe, vtcumque fiat, illi poffe fatisfacere, promiffionem in fefe deprehendere, tandem pofteriorem exfpectationem cum feuero fuperioris praecepto comparando, fefe, vt ad rationem reddendam ad iudicem vocatum, femper debere explorare; haec docent, ad eaque fimul et ratio, et animus, et confcientia impellunt. Intemperanter fit, fi cupiamus, vt nobis plura patefiant, et fi id factum fuerit, non deberet ad neceffitatem humanam vniuerfalem referri.

Quamquam autem myfterium illud magnum, vniverfa, quae diximus, formula quadam complectens, quemque hominem poteft vt idea religionis practice neceffaria doceri, tamen dici poteft, illud, vt fundamentum religionis morale, in primis publicae, fieret, tum demum reuelatum effe, cum *palam* doctum ac propofitum, fymbolumque epochae religionis prorfus nouae conftitueretur. *Formulae folemnes* linguam folent continere peculiarem iis, qui ad coniunctionem (focietatem aut rem publicam) pertinent, deftinatam, nonnumquam myfticam, nec a quouis intellectam, qua merito quoque (per obferuantiam) in vfum actionis cuiusdam folemnis vti deberes, (vti fere, cum quis in focietatem ab aliis fefe diftinguentem vt membrum recipi debet). Meta fumma, hominibus numquam prorfus attingenda perfectionis moralis rerum creatarum finitarum verfatur in legis amore.

Huic ideae conueniens foret in religione principium fidei: „deus amor eft"; in eo amans poteft (cum amore *complacentiae* moralis in hominibus, quatenus cum eius lege fancta conueniunt), *pater;* porro,

in eo, quatenus in idea vniuerſa conſeruante ſua ſe prototypo humanae naturae ab ſe ipſo genito atque amato exhibet, *filius* eius; tandem quoque, quatenus hanc complacentiam ad conditionem conuenientiae hominum cum conditione amoris illius complacentiae adſtringit, eoque vt in ſapientia fundatum amorem demonſtrat, *ſpiritus ſanctus* *) coli; proprie autem non

*) Hic ſpiritus, quo amor dei qua ſaluatoris (proprie noſter iſti conueniens amor mutuus) cum pietate, coram eo vt legislatore, id eſt, id quod ex conditione pendet, cum conditione, coniungitur, qui proinde, vt „ab vtroque proficiſcens", poteſt deſcribi, praeterquam, quod „in omnem veritatem ducit", ſimul iudex eſt hominum (coram conſcientia eorum) proprius. Namque iudicare duplici ſenſu accipi poteſt: ſiue de merito defectuque meriti, iudicare, ſiue de culpa et innocentia. Deus vt *amor* ſpectatus (in filio ſuo) homines iudicat, quatenus iis praeter debitum etiam poteſt meritum concedi, et tum eius ſententia eſt: *digne* vel *indigne*. Eos vt ſuos eligit, quibus eiusmodi poteſt imputari. Caeteri mittuntur. Contra ſententia iudicis ex *iuſtitia* (iudicis proprie ſic dicendi, nomine ſpiritus ſancti) de iis, quibus nullum poteſt meritum tribui: *nocenter* vel *innocenter*, id eſt, condemnatio vel abſolutio. — *Iudicatio* priori ſenſu ſeparationem denotat meritorum ab immeritis, qui vtrique pretium (beatitatem) ambiunt. *Meritum* autem hoc loco non laudem moralitatis reſpectu legis, (cuius ratione nobis praeter debitum nullus poteſt officii ſeruati cumulus accedere) ſed comparate cum aliis hominibus, quoad mentem eorum moralem, denotat. *Dignitatis* ſignificatio ſolet fere quoque negatiua eſſe (haud indignum), ſcilicet receptiuitatis moralis erga eiusmodi benignitatem. — Is igitur, qui de merito eiusue defectu iudicat (vt βραβευτής) ſententiam fert optionis inter *duas* de praemio (beatitatis) ambientes perſonas (parteſue); qui vero de culpa vel innocentia iudicat, is ſententiam fert de *vna eademque* perſona, coram iudicio (conſcientia), quod accuſatorem inter et patronum cauſae pronunciat. — Quodſi ergo ſumſeris omnes quidem homines ſub reatu peccatorum ſubeſſe, nonnullis eorum tamen meritum quoddam poſſe ſuccurrere: ſententia *iudicis* locum obtinet *per amorem*, cuius defectum tantummodo *ſententia reiectoria* ſequeretur, cuius vero conſequens neceſſarium *ſententia condemnatoria* foret (propterea quod homo ſum iudici per iuſtitiam traditus). — Tali modo enunciata, ſpecie inuicem

in perſonalitate tam multiplici *inuocari*, (hoc enim diverſitatem naturarum denotaret, ſed res eſt obiecta vna) ſane vero nomine rei ab ſe ipſo cultae maxime atque adamatae, quacum vt moraliter coniunctus ſit, et optas et ſimul officio teneris. Caeterum confeſſio fidei theoretica de natura diuina in triplici hac qualitate ad ſolam formulam claſſicam fidei eccleſiaſticae pertinet, ad eam ab aliis fidei formis a fontibus hiſtoricis deriuatis diſtinguendam, quacum pauci homines conceptum diſtinctum poſſunt ac determinatum (nulli calumniae obnoxium) coniungere, cuiusque expoſitio potius doctoribus in relatione ad ſe inuicem (vt interpretibus philoſophicis atque eruditis codicis ſacri) competit, vt inter ſe de ſenſu eius conueniat, in quo haud omnia ad facultatem communem, vel quoque ad neceſſitatem huius temporis apta ſunt, per ſolam vero fidem literalem, vera mens religioſa potius corrumpitur quam emendatur.

pugnantia: „filius veniet iudicatum viuos et mortuos", et: „deus filium haud miſit in mundum, vt mundum iudi„caret, verum vt per eum beati redderentur" (Euang. Ioann. III., 17.) poſſunt, ex mea quidem ſententia conciliari, cum eoque conuenire, quo dicitur: „qui haud cre„dit in filium, is *iam eſt* iudicatus" (v. 18.), nimirum per illum ſpiritum, qui dicitur: „mundum iudicaturus de pec„cato et de iuſtitia". — Sollicitudo anxia eiusmodi diſtinctionum in campo ſolius rationis, cuius quippe in gratiam proprie hoc loco inſtituuntur, facile poſſet ſubtilitas inutilis ac moleſta iudicari; quod ea etiam foret, ſi ad perſcrutandam naturam diuinam inſtituta eſſet. Verum cum homines in negotio religionis ſuo perpetuo ferantur proni, ad benignitatem diuinam de reatibus ſuis adeundam, nihilominus autem nequeant iuſtitiam eius praeterire, at *iudex benignus* in vna atque eadem cauſa repugnet, facile intelligitur, ipſos ea de re eorum conceptus reſpectu practico admodum vagos eſſe atque inter ſe diſcrepantes, proinde permagni momenti practici eſſe, vt emendetur adcurateque determinentur.

CAPUT QUARTUM.

DE CULTU VERO ET FALSO SUB IMPERIO PRINCIPII BONI,

SIVE

DE RELIGIONE ET CULTU SPURIO SUB DOMINIO PRINCIPII BONI.

Iam initium eſt imperii principii boni, ſignumque, „regnum dei ad nos venire", cum vel decreta modo conſtitutionis illius fieri *publica* incipiunt; illud enim in mundo intellectuali iam adeſt, cuius, quibus illud ſolis effici poteſt, rationes vniuerſe radices egerunt, quamquam plena illius in mundo ſenſibili phaenomeni adhuc infinite euolutio remota eſt. Vidimus officium ſui generis eſſe, ſeſe ad rempublicam ethicam coniungendi, et, etiamſi ſuum quisque officium privatum faceret, inde quidem *conuenientiam* fortuitam omnium ad bonum commune effici conſecutione poſſe, ita vt nullo praeterea ſingulari inſtituto opus foret, verumtamen illam omnium conuenientiam haud licere ſperari, niſi ex coniunctione illorum ad eumdem finem conſtitutioneque *reipublicae* ſub legibus moralibus, vt vis virtutisque coniunctae atque idcirco fortioris, tentationibus principii mali (cui vt pro inſtrumento ſint, homines ab ſe inuicem ſollicitantur,) obſiſtendi ſingulare opus fiat. — Vidimus etiam, eiusmodi rempublicam, vt *regnum dei*, non niſi per *religionem* poſſe ab hominibus ſuſcipi, et denique, quo haec publica ſit (quod ad rempublicam poſtulatur), illam in forma *eccleſiae* ſenſibili repraeſentari poſſe, cuius proinde ordinatio hominibus vt opus, ſibi relictum, et quod ab iis poſtulari poſſit, inſtituenda incumbit.

Sed fundatio eccleſiae ex legibus religionis plus videtur ſapientiae (cum quoad intellectum tum bonam mentem) requirere, quam quidem liceat ab hominibus exſpectari; praeſertim cum bonum morale, eiusmodi inſtituto ſpectatum, hanc in rem in iis iam *ſupponenda* eſſe videatur. Reuera quoque dictio inconueniens eſt,

homines regnum dei *fundare* (quemadmodum eos quidem regnum posse dixeris monarchae humani fundare); deus ipse regni sui auctor sit, oportebit. Verum cum nos fugiat, qui deus proxime agat, vt ideam regni sui, in quo vt ciues simus ac subditi conditionem in nobis moralem deprehendamus, in veritate atque exsistentia exhibeat, non vero, quid nobis faciendum sit, vt nos ad membra illius idoneos reddamus, tamen hac idea siue per rationem, siue per scripturam in genere humano excitata fuerit et *publica* facta, nos ad ecclesiam ordinandam obligabimur, cuius deus ipse tum vt fundator, *constitutionis* auctor, sed homines nihilominus, vt membra liberique ciues huius regni, omni modo sunt *organisationis* auctores; vbi tum illi ex iis, qui isti organisationi conuenienter, negotiis illius publicis funguntur, *administrationem* illorum, vt ministri ecclesiae, vti cuncti reliqui societatem legibus obnoxiam, *coetum* efficiunt.

Cum religio rationalis pura, qua fides religiosa publica solum duntaxat ecclesiae ideam (quippe inuisibilis) concedat, et visibilis, in traditionibus fundata, sola organisatione per homines et opus habeat, et eius capax sit: ministerium sub imperio principii boni in illa superiori non poterit vt ministerium ecclesiasticum spectari, illaque religio nullos ministros legales habet, vt *in munere constitutos* reipublicae ethicae; vnumquodque membrum illius iussa ab legislatore summo proxime accipit. Cum autem nihilominus respectu omnium officiorum nostrorum, (quae cuncta sunt nobis pro praeceptis diuinis habenda), semper nosmet in ministerio dei versemur, *religio rationalis pura* omnes homines bene sentientes habebit *ministros* suos (neque tamen *in munere publico* constitutos); neque tamen eatenus ministri ecclesiae (visibilis scilicet, de qua sola hoc loco sermo est) dici poterunt. -- Interim quoniam vnaquaeque ecclesia in legibus statutariis fundata non potest vera esse, nisi quatenus principium in se continet, ad fidem rationalem puram (vtpote eam, qua,

ſi practica ſit, in quaque fide proprie religio efficitur), perpetuo propius accedendi, quo fide eccleſiaſtica (pro iis, quae in ea hiſtoria ſunt,) tempore poſſimus carere, in his legibus atque in hominibus in munere publico conſtitutis eccleſiae in iis fundatae *cultum* poterimus ponere, quatenus hi doctrinas et inſtituta ſemper ad illum finem vltimum (fidem religioſam publicam) dirigunt. Contra miniſtri eccleſiae, qui nullam prorſus eius rei rationem habent, potius normam adpropinquationis ad eam continuae pro reprobanda, adhaeſionem autem ad partem hiſtoricam fidei eccleſiaſticae et ſtatutariam pro ſola ſalutari ac beatifica declarant, de *cultu ſpurio* eccleſiae, vel (eius, quod per hanc repraeſentatur) reipublicae ethicae ſub imperio principii boni, iure poterunt in crimen vocari. — Cultus ſpurius dicitur perſuaſio, cuipiam eiusmodi actionibus miniſtrandi, quibus reapſe huius finis retractatur. Hoc autem in republica eo fit, quod, cui ſolum pretium adiumenti eſt, vt voluntati ſuperioris ſatis fiat, pro eo venditur, in eiusque loco reponitur, quod illi reddi *proxime* queamus accepti; quo tum finis huius poſterioris irritus fit.

PARS PRIOR.

DE CULTU DEI IN RELIGIONE IN GENERE.

Religio (ſubiectiue ſpectata) cernitur in cognitione omnium officiorum noſtrorum, vt praeceptorum diuinorum *). Ea, in qua antea me ſcire oportet, ali-

*) Hac definitione multis vitioſis interpretationibus conceptus de religione in genere praecauetur. *Primo:* quod in ea, quantum ad cognitionem theoreticam attinet confeſſionemque, nulla ſcientia adſertoria (ne ipſius quidem exſiſtentiae dei) poſtulatur, ſiquidem per defectum intellectus noſtri de rebus inſenſibilibus huic confeſſioni propoſitis iam poſſet ſimulatum eſſe; ſed tantummodo ſumtio *problematica* (hypotheſis) quoad contemplationem de cauſa rerum ſuprema, reſpectu rei vero obiectae, quo tendere nosmet ratio moraliter iubens docet, fides *adſertoria* libera

quid diuinum praeceptum esse, quo istud pro officio agnoscam, est religio *reuelata* (vel reuelationis indigens): contra ea, in qua ante scire memet oportet, quidpiam in officio esse, antequam pro praecepto diuino queam illud agnoscere, *religio naturalis* est. — Is, qui solum religionem naturalem pro moraliter necessaria, id est, pro officio declarat, potest quoque *rationalista* (in rebus fidei) adpellari. Qui, cum exsistentiam

supponitur, quae non nisi *ideae de deo* indiget, in quam omnis nisus moralis serius (atque idcirco credens) ad bonum necessario, oportebit, incurrat, neque tamen sibi arrogat, se posse illi per cognitionem theoreticam de realitate obiectiua cauere. Ad ea, quae cuique homini iniungi pro officio possunt, *minimum* cognitionis (fieri potest, vt deus sit), subiectiue iam esse idoneum debet. *Deinde* hac religionis in genere definitione cogitationi erroneae occurritur, quasi ea in complexu versetur *singularium* officiorum ad deum relatorum, eoque cauetur, ne (vti proni per se eo homines feruntur) praeter officia humana ethice ciuilia (hominum erga homines) *officia* quoque *palatina* sectemur, et postea fere adeo defectum illorum his supplere conemur. Nulla singularia erga deum officia sunt in religioni vniuersali; neque enim quidquam deus potest a nobis accipere; neque in eo et pro eo agere possumus. Quodsi debitam erga eum reuerentiam in eiusmodi officio poneres, haud cogitaueris, hanc non esse singularem religionis actionem, sed mentem religiosam in omnibus actionibus nostris officio consentaneis generatim. Si etiam dicitur: „Deo magis obediendum est, quam hominibus"; nihil aliud id denotat, quam: cum praecepta statutaria, quorum respectu homines possunt legislatores esse et iudices, cum officiis, quae ratio absolute praescribit, quorumque de obseruatione vel transgressione deus solus esse iudex potest, inuicem pugnant, tum illorum auctoritatem his cedere oportebit. Quodsi autem eo, in quo magis deo quam hominibus obediendum est, praecepta dei statutaria ab ecclesia quadam pro eiusmodi declaratis intellexeris: tum decretum illud facile fieri classicum potest saepius auditum sacerdotum simulantium ac dominandi cupidorum ad seditionem contra magistratum ciuilem. Licitum istud enim, quod iubet haec posterior, *profecto* in officio est: an vero quidpiam per se licitum quidem, verum modo per reuelationem diuinam nobis cognoscibile reapse a deo praeceptum sit, vehementer est (certe maximam partem) incertum.

vniuerſae reuelationis diuinae ſupranaturalis negat, *naturaliſta* vocatur; quam ſi conceſſerit quidem, ſed contendat, haud neceſſario ad religionem poſtulari, vt ea noſcatur atque pro actuali accipiatur, poſſet *rationaliſta* purus dici; ſin autem fidem de ea ad religionem vniuerſalem reputet neceſſariam, *ſupernaturaliſta* purus in rebus fidei poſſet adpellari.

Rationaliſta, per hunc titulum ſuum, ſponte iam, oportebit, intra terminos ſeſe contineat intellectus humani. Idcirco numquam inſtar naturaliſtae pronunciabit, et neque internam reuelationis poſſibilitatem in genere, neque neceſſitatem reuelationis, vt adiumenti diuini religionis verae introducendae, impugnabit; quippe de quo nemo homo poteſt quidpiam per rationem decernere. Ergo quaeſtio controuerſa non poteſt niſi petitiones mutuas naturaliſtae et ſupernaturaliſtae in rebus fidei idue attingere, quod vnus alterve, vt ad vnam religionem veram neceſſarium atque idoneum, vel modo vt fortuitum in ea ſumit.

Quodſi religionem haud quoad primam originem illius internamque poſſibilitatem (cum in naturalem et reuelatam diuiditur), ſed ſolum ex qualitate illius, qua capax ſit *communicationis externae*, deſcribamus, poterit dupliciter eſſe: aut *religio naturalis*, de qua (ſi ſemel adſit), cuique per rationem poteſt ad veritatem perſuaderi, aut *religio docta*, de qua aliis non niſi per doctrinam atque eruditionem (in qua et per quam ducendi ſunt) perſuaderi poteſt. — Quae quidem diſtinctio grauiſſima eſt; neque enim ex origine cuiusdam religionis ſola poteſt, eam ad religionem hominum vniuerſalem idoneam eſſe vel minus, concludi, ſed ſane ex qualitate illius, communicabilis ſit, nec ne; priori autem proprietate nota et character eſſentialis illius religionis efficitur, quae quemque debeat hominem obligare.

Quamobrem religio eſſe *naturalis* poteſt, ſed tamen eadem quoque *reuelata*, ſi ita comparata ſit, vt

homines per ſolum rationis vſum ſponte *potuiſſent* in eam *incidere* et *debuiſſent*, quamquam haud tam mature aut in tam ampla dilatatione, atque deſideratur, in eam offenſuri *fuiſſent*, proinde reuelatio in certo quodam loco, certoque tempore, ſapiens eſſe et generi humano maxime ſalutaris poterat, ita tamen, vt, ſi religio eo introducta ſemel adſit, palamque innotuerit, porro quisque ſibi poſſit de veritate illius per ſe ipſum rationemque ſuam perſuadere. Tum autem ea religio *obiectiue* naturalis eſt, quamquam *ſubiectiue* quidem reuelata: qua de cauſa illi proprie nomen ſuperius competit. Namque ſucceſſu temporis fere poſſet prorſus obliuione obrui, eiusmodi vmquam factam reuelationem eſſe ſupranaturalem, neque tamen idcirco illa religio vel minimam iacturam fecerit nec facilitatis ſuae, nec certitudinis, nec vis virtutisque in hominum animis. Longe vero aliter comparatum eſt cum religione, quae propter qualitatem internam non niſi vt reuelata poteſt conſiderari. Quae, niſi in traditione prorſus certa aut in libris ſacris vt documentis adſeruaretur, e mundo euaneſceret, et reuelatio ſupranaturalis fieri deberet, aut de tempore in tempus palam repetita, aut in vnoquoque homine interne continuo durans, ſine qua fieri non poſſet, vt eiusmodi fides dilatata propagaretur.

Verum ex parte certe quidem quaeque, vel ipſa reuelata religio, certa quoque principia, neceſſe eſt, contineat naturalis. Namque ad conceptum *religionis* ſolum per rationem poteſt reuelatio cogitatione adiungi; quoniam hic conceptus ipſe, vt ab obligatione ſub voluntate legiſlatoris *moralis* deriuatus, conceptus rationalis purus eſt. Ergo vel ipſam religionem reuelatam poterimus partim adhuc vt *naturalem*, partim vero vt *doctam* religionem et contemplari, et examinare, et quid, quantumue illi ex hoc alteroue fonte competat, diſtinguere.

Cum autem nobis propoſitum eſt, de religione reuelata (ſaltem pro tali accepta) loqui, fieri iſtud haud

facile poteſt, niſi vllum quodpiam exemplum illius ex hiſtoria depromamus, quoniam tamen neceſſe foret, vt caſus pro exemplis excogitaremus, vt intelligeremur, quorum caſuum poſſibilitas vero alioquin poſſet impugnari. Non vero melius agere poſſumus, quam vllum librum quemdam, qui ea contineat, praeſertim eiusmodi, qui cum doctrinis moralibus ſit, proinde rationi cognatis intime contextus, pro adiumento ideae de reuelata religione noſtrae illuſtrandae intermedio omnino capere, quem tum euoluamus, vt librum ex variis illis de religione ac virtute ſub fide reuelationis tractantibus, exemplo tractationis per ſe vtilis, ad ea, quae nobis in eo pro pura ſint proinde vniuerſali religione rationali, expiſcanda, neque tamen manus in negotium eorum iniiciamus, quibus interpretatio illius libri, tamquam complexus poſitiuarum reuelationis doctrinarum concredita eſt, eorumque interpretationem velimus, in eruditione fundatam, eo impugnare. Reuelationi potius conducit, ſi, cum vnum eumdemque finem, quem philoſophi ſpectant, ſcilicet bonum morale ſibi propoſitum habeat, hos per propria ipſorum argumenta rationalia eodem ea ducat, quo alia via ipſa cupit pertinere. — Hic liber nobis hoc loco nouum teſtamentum eſto, vt fons doctrinae fidei chriſtianae. Igitur pro conſilio noſtro duabus ſectionibus primo religionem vt naturalem, deinde vt religionem doctam ex materia illius complexuque ac principiis in eo obuiis proponemus.

PARTIS PRIORIS

SECTIO PRIOR.

RELIGIO CHRISTIANA VT RELIGIO NATURALIS.

Religio chriſtiana vt doctrina morum (reſpectu libertatis ſubiecti) coniuncta cum conceptu illius, quo fini eius vltimo impertiri effectum poſſit (cum conceptu de *deo* vt morali mundi auctore), atque ad durationem hominis relata, huic toto fini conſentaneam (ad

immortalitatem), in conceptu verſatur rationali practico puro, qui, quamuis infinite fecundus ſit, tamen modo tam parum rationis theoreticae ſupponit, vt cuique homini practice idonee poſſit de ea perſuaderi, et ſaltem effectum illis ab vnoquoque pro officio poſtulari. In ea enim magnum illud eccleſiae verae requiſitum ineſt, nimirum capacitas vniuerſalitatis, quatenus ea ad vnumquemque valor intelligitur (vniuerſitas vel omnitudo diſtributiua), hoc eſt, concentus vniuerſalis. Vt ea hoc ſenſu qua religio mundana diſpergatur et conſeruetur, ſane ea quidem indiget miniſterio eccleſiae ſolum inuiſibilis, ſed nullis officialibus, hoc eſt, doctoribus quidem, non vero antiſtitibus, quoniam per religionem rationalem cuiusque ſinguli nondum eccleſia exſtat vt *coniunctio* vniuerſalis (omnitudo collectiua) vel etiam per ideam illam proprie ſpectatur. Cum autem eiusmodi concentus conſpiratioque haud ſua ſponte ſeſe poſſet tueri, proinde, niſi eccleſia viſibilis euaderet, in vniuerſalitate ſua ſe propagare, ſed modo, omnitudine collectiua, hoc eſt, coniunctione credentium in eccleſia viſibili ex principiis religionis rationalis purae accedente, quae vero haud ſponte ex illa conſpiratione oritur, aut, ſi fundata eſſet, a ſectatoribus ſuis liberis (vti ſupra oſtendimus) non in ſtatum conſtantem, tamquam *communio* credentium adduceretur (ſiquidem nullus horum illuſtratorum ad conſilia religioſa ſua ſocietate opus habere aliorum in eiusmodi religione credit): niſi praeter leges naturales per religionem ſolam cognoſcibiles certae quaedam ſtatutariae, ſed ſimul auctoritate legislatoria ſtipatae conſtitutiones acceſſerint, id etiamnum deeſſet, quo officium ſingulare hominum, adiumentum ad finem eorum ſummum, efficitur, quippe conſtans eorum coniunctio ad eccleſiam viſibilem vniuerſalem; qua quidem fundatoris auctoritate factum ſupponitur, non ſolum conceptus rationalis purus.

Cum igitur doctorem ſumimus, quem hiſtoria (vel certe opinio vniuerſalis haud vere impugnanda) refert religionem puram vniuerſo mundo intelligibilem et pe-

netrantem, cuius doctrinas vt nobis seruatas idcirco ipsi possimus explorare, primo palam atque etiam contra fidem ecclesiasticam dominantem molestam neque finem moralem spectantem (cuius cultus seruilis esse pro exemplo potest cuiusque fidei alius in summa solum statutariae, cuiusmodi tum temporis vniuersum mundum tenuit) proposuisse; cum eum videmus religionem illam rationalem vniuersalem tamquam conditionem supremam statuisse cuiusque fidei religiosae, et nunc certa quaedam statuta addidisse, quae pro adiumentis essent ecclesiae in principiis illis fundandae, tum, quamuis constitutiones eius illud spectantes fortuitae sint arbitrariaeque, huic religioni tamen potest nomen verae ecclesiae catholicae impertiri, illi ipsi autem auctoritas haud dubia reddi, quod homines ad coniunctionem in eam vocauerit, ita vt fidem nouis constitutionibus molestis augeri voluerit, vel quoque eas ab se ipso institutas actiones statuere praesertim sanctas, et per se ipsas qua partes religionis obligantes.

Ex hac descriptione non potest in personâ peccari, quae haud quidem qua *fundator religionis* ab vniuersis traditionibus purae in omnium hominum animis insignitae quasique insculptae (ea enim haud est originis arbitrariae), sed tamen primae verae *ecclesiae*, coli potest. — Ad fidem huic dignitati illius faciendam, vt missioni diuinae, quasdam doctrinarum eius, vt documenta religionis indubitata in genere, in medium adferamus; vtcumque cum historia comparatum sit (in idea enim ipsa iam inest ratio ad accipiendam idonea) et quae sane non nisi doctrinae esse rationales purae possunt; hae enim solae sunt, quae se ipsae probent, et in quibus proinde fides aliarum maxime niti debeat.

Ac primo quidem vult, non obseruandis officiis ecclesiasticis ciuilibus statutariisue externis, sed modo consilio morali puro animi hominem reddi deo acceptum posse (Matth. V, 20—48.); peccata in animo coram deo facta paria aestimari (v. 28.), omninoque

ſanctitatem eſſe metam, quo debeat tendere (v. 48.); velut in animo odiſſe, idem eſſe, ac necare (v. 22.); iniuriam alteri illatam non ſatisfactione in ſe ipſo poſſe, neque actionibus cultus compenſari (v. 24.); quod autem veracitatem attinet, ciuile veritatis extorquendae inſtrumentum, *) iusiurandum, obſeruantiae erga veritatem ipſi detrahere (v. 32—37.); — propenſionem naturalem quidem, ſed malam humani animi prorſus debere conuerti; dulcem vlciſcendi ſenſum in tolerantiam (v. 39. 40.) odium inimicorum in beneficentiam (v. 44.) transire oportere. Sic, ait, ſe velle, legi Iudaicae prorſus ſatis fieri (v. 17.), in quo vero profecto haud eruditio ſcripturaria, ſed religio rationalis pura interpres illius eſſe debet; etenim ad literam ſumta, ipſum horum omnium contrarium per eam licere. — Praeterea tamen etiam in verbis portae anguſtae viaeque calumniam legis oſtendit, quam ſibi homines concedunt, vt verum ſuum officium morale praetereant, et ea de re faciendo officio eccleſiaſtico damnum ſibi

*) Haud facile poteſt intelligi, quare hoc vetitum perſpicuum contra inſtrumentum ad verum confitendum cogens in ſola ſuperſtitione fundatum, non vero in religione, coram iudicio ciuili, a doctoribus religionis parum curetur. Nam, ſuperſtitionem eſſe, a cuius effecto plurimum exſpectatur, ex eo cognoſci poteſt, quod quem non exſpectamus in ſolemni profeſſione, cuius veritate deciſio nititur iuris hominum (ſancti, quod in mundo eſt) verum profeſſurum fore, hominem formula quadam ſperari haud licet commotum iri, qua praeter profeſſionem illam nihil amplius quidquam continetur, quam eum poenas diuinas (quas per ſe non poteſt propter eiusmodi mendacium effugere) ad ſeſe excitare, quaſi ab ſe pendeat, coram hoc ſummo iudicio rationem reddere velit necne. — In loco illo ſcripturae excitato hoc genus adſeverationis inſtar temeritatis *abſurdae* depingitur, res quaſi per verba magica efficiendi, quae tamen haud ſunt in noſtra poteſtate. — Sed probe intelligitur, doctorem ſapientem, qui dicit, quae praeter adfirmationem et negationem ad veritatem confirmandam accedant, mala eſſe, conſequens invtile ſpectaſſe iurium iurandorum: nimirum maiori grauitate illis tributa vulgare mendacium propemodum fieri licitum.

refarciant (VII, 23.). *) Atque ab hisce confiliis puris nihilominus poftulat, vt fe quoque in *actionibus* prodant (v. 16.) contraque illis fpem infidiofam denegat, qui earum defectum inuocando celebrandoque legislatore fummo in perfona legati eius expleri, fibique voluntatem adulando comparari arbitrantur (v. 21.). Has actiones, propter exemplum ad imitandum fieri quoque palam vult oportere (V, 16.), et quidem animo laeto, non vt actiones feruiliter extortas (VI, 16.), atque ita, a paruis initiis eiusmodi confiliorum communicandorum difpergendorumque, quafi e grano quodam in agro bono, fermentoue boni religionem vi interna paullatim in regnum dei auctum iri (XIII, 31. 32. 33.). — Tandem cuncta officia complectitur 1) regula *generali* (quae rationem hominis cum internam tum externam in fe continet), nimirum: fac officium tuum per nullum elaterem alium, quam ob proximam illius obfervantiam, hoc eft, deum (omnium officiorum legislatorem) ama prae omnibus, 2) regula *fpeciali*, quippe quae relationem ad alios homines externam vt officium vniuerfale attingit: vnumquemque ama tamquam te ipfum, hoc eft, falutem eorum promoue per beneuolentiam proximam, non vero ab elateribus lucri cupidis deriuatam, quae quidem praecepta non folum leges virtutis funt, fed praeceptiones *fanctitatis*, quam debemus fectari, cuius vero folus nifus *virtus* vocatur. — Iis igitur, qui iftud bonum morale manibus finui admotis, vt donum caelefte defuper, quafi ferendo prorfus patiendoque arbitantur fefe exfpectare poffe, fpem eius omnem demit. Qui initiis boni naturalibus, quae in natura humana (tamquam depofitum demandatum) infunt, neglectis, per fiduciam ignauam fperat, altiori quadam contagione morali qualitatem fibi deficientem moralem imperfectionemque alioquin fuppletum iri, ei

*) *Porta* viaque angufta, ad vitam ducens eft vita bona; *porta* et via lata, quam multi terunt, *ecclefia* eft. Non quafi in ea eiusque traditionibus caufa infit cur homines perdantur, fed quod *introitus* in eam confeffioque ftatutorum illius pro ratione habetur, qua proprie deus velit coli.

minatur, ipſum bonum illud, quod ex naturali forte commendatione fecerit, propter iſtum neglectum, illi haud profuturum fore (XXV, 29.).

Quod autem exſpectationem attinet, homini perquam naturalem, fortis vitae hominis morali conuenientis reſpectu felicitatis, praeſertim in tot huiusce iacturis illius cauſa faciendis, ea de re praemium pollicetur (V, 11. 12.) mundi futuri; verum pro diuerſitate conſiliorum in ea vita, iis, qui officium ſuum *praemii* (vel etiam abſolutionis a poena promerita) *cauſa* fecerint alio modo, quam hominibus melioribus, qui officium propter ſe ipſum feciſſent. Is, qui ſtudio vtilitatis propriae, deo huiusce mundi, ſubeſt, ſi, eo haud relicto, illud modo per rationem expoliat, et vltra anguſtos huius vitae terminos extendat, ſic (Lucae XVI, 3—9.) deſcribitur, quaſi illum dominum ſuum per ſe ipſum defraudet, ex eoque iacturas in gratiam officii lucretur. Etenim, cum cogitat, ſibi tamen aliquando, fortaſſe breui, mundum relinquendum eſſe, ſeſe eorum, quae hic poſſediſſet, nihil quidquam poſſe in alterum mundum ſecum ferre, conſilium quidem capit, vt, quae ipſe, vel dominus ſuus, ſtudium vtilitatis propriae, hic ab hominibus indigentibus rite petere poſſet, rationi ſuae ſubducat, quaſique ſibi praeſcriptiones, alio mundo quodam ſoluendas, comparet; quo quidem magis *prudenter* et callide, quam honeſte et *moraliter*, reſpectu elateris eiusmodi actionum beneficarum agit, ſed tamen legi morali, ſaltem quoad literam, conuenienter agit, et ſperare poteſt, fore, vt hoc quoque olim ſibi retribuatur. *) Quibuscum ſi contuleris, quae

*) Nihil nos quidquam de futuro nouimus, neque plura ſcrutari debemus, quam quae cum elateribus moralitatis ſunt cumque fine illius rationi conuenienter coniuncta. Quo etiam fides pertinet; nullam actionem bonam eſſe, cuius haud conſequentia bona in mundo futuro ad eum, qui eam patret, redundet; proinde hominem, ſi vel maxime ſeſe in vita extrema videat reprobandum, eo tamen haud debere retineri, quo minus ſaltem *vnam* actionem bonam, quae pe-

de beneficentia erga egenos, ex solis momentis officii (Matth. XXV, 35—40.) dicuntur, cum iudex mundi eos, qui miseris succurrerent, cum iis ne in mentem quidem venisset, eiusmodi rem dignam praemio esse, et ea fere sibi quasi caelum obligare, ob eam ipsam causam, quoniam nullo spectato praemio fecissent, pro propriis ad regnum suum electis declarat: tum sane intelligitur, doctorem euangelii, cum de praemiis loquitur mundi futuri, ea non pro actionum elateribus, verum modo (vt repraesentationem animos eleuantem absoluendae benignitatis sapientiaeque diuinae in genere humano ducendo) pro re cultui purissimo complacentiaeque moralis maximae subiecta rationi destinationem hominis totam diiudicanti statuere voluisse.

En hic religionem plenam, quae omnibus hominibus potest per propriam rationem ipsorum dilucide et euidenter proponi, quae praeterea exemplo, cuius possibilitas atque etiam necessitas, qua nobis imitationis prototypo est (quot hominum illius sint capaces), sub adspectum subiecta est, cum tamen nec veritas illarum doctrinarum, neque auctoritas dignitasque doctoris vllius cuiuspiam alius fidei (quo eruditio ne vel miraculis, quae non cuiusque hominis sunt, opus foret) indigeat. In qua cum vetustior (Mosaica) legislatio praefigurationque, quasi ad eam confirmandam facerent, excitatur, hae non sunt in gratiam veritatis ipsius doctrinarum illarum, sed modo introductionis inter homines, toti caecique vetustati adhaerentes, propositae sunt, id quod in hominibus, quorum mentes credendis statutariis oppletae, ad religionem rationalem fere obsurduerunt, semper multo difficilius sit, oportebit, quam si rationi hominum indoctorum vel etiam incorruptorum debuisset impertiri. Idcirco non mirandum est, cum oratio-

nes se est, faciat, eumque sperare posse, pro eo atque bonum consilium purum foueat, etiamnum maiori pretio futuram esse, quam istae expiationes actionibus vacuae, quibus, quamuis nihil quidquam ad minuendam culpam conferant, bonarum actionum defectus debet expleri.

nem videt ad opiniones illorum temporum praeiudicatas sese conformantem, huic nostro tempori ambiguam, diligentique interpretatione indigentem: quamquam vbique doctrina religiosa perlucet, simulque saepius diserte eo monstrat, quae cuique homini perspicua sit, necesse est, et sine vlla eruditionis impensa ad veritatem persuadeat.

SECTIO POSTERIOR.

RELIGIO CHRISTIANA VT RELIGIO DOCTA.

Religio, quatenus credenda tamquam necessaria proponit, quae non possunt qua talia per rationem cognosci, nihilominus tamen omnibus hominibus in omnia futura tempora incorrupta (quoad materiam essentialem) debent communicari (nisi miraculum reuelationis continuum sumere velis), vt bonum sanctum custodiae *doctorum* concreditum spectanda est. Quamquam ea enim statim *initio* miraculis factisque stipata, etiam in iis, quae haud fere per rationem confirmantur, vbique aditum inuenire poterat, tamen ipsa horum miraculorum narratio, vna cum doctrinis, quae confirmatione per illa opus habuerunt, *sequente tempore* institutione posteritati scripta, documentisque consignata atque immutabili indigebit.

Acceptatio decretorum religionis κατ' ἐξοχὴν *fides sacra* vocatur. Igitur fides christiana partim vt *fides rationalis*, partim vt *fides statutaria* sub contemplationem cadet. Illa ergo vt ab vnoquoque libere accepta (fides elicita) haec vt iussa (fides imperata) potest considerari. De malo, quod in animo humano inest, et a quo nemo vacuus est, de impossibilitate per vitam suam coram deo vmquam se pro probato habendi, et nihilominus tamen de necessitate eiusmodi iustitiae coram eo valentis; de inutilitate eiusmodi adiumenti probitatis deficientis per ritus ecclesiasticos piosque

cultus seruiles compensandi contraque deobligatione irremissibili, vt nouus homo euadas, sibi quisque per rationem potest ad veritatem persuadere, ad religionemque pertinet vt de iis se certum reddat.

Ab eo autem inde tempore, quo doctrina christiana in factis est, non vero in solis conceptibus rationalis exstructa, haud amplius solum *religio* christiana, sed *fides* christiana, ecclesiae fundamento constituta, adpellatur. Cultus ecclesiae, eiusmodi fidei dicatae, proinde duplex est: et is, qui ei ex fide historica praestanda est; et is, qui ex fide rationali practica et morali illi competit. Neuter in ecclesia christiana potest, vt in sese consistens, ab altero seiungi; posterior idcirco non a priori, quoniam fides christiana fides religiosa est, nec superior a posteriori, quoniam in fide docta versatur.

Fides christiana qua fides docta nititur historia, neque, quatenus ei doctrina atque eruditio (obiectiue) fundamento subest, *fides* per se *libera* est atque a perspicientia idoneorum argumentorum theoreticorum derivata (fides elicita). Si ea fides esset rationalis pura, tum, quamuis leges morales, in quibus, vt fides de legislatore diuino, constituta est, absolute praecipiant, tamen vt fides libera spectanda foret: quemadmodum eam quoque sectione priori depinximus. Quin ea etiamnum, si modo fides haud instar officii iniungeretur, fides historica fides theoretice libera esse posset; si quisque doctus foret. Quodsi autem valere ad quemque, vel indoctum, debeat, non solum imperata est, sed caeco impetu praecepto obsequens fides, hoc est, nulla inuestigatione praeuia, an etiam reapse diuinum praeceptum sit (fides seruilis).

Verum in christiana reuelationis doctrina nullo modo potest a *fide absoluta* de sententiis reuelatis (rationi pro ignotis) institui, eamque cognitio docta, fere duntaxat vt munimentum aduersus hostem agmen vltimum adgredientem, sequi; alias enim fides christiana non solum fides imperata foret, verum adeo seruilis. Igitur necesse est, vt ea semper certe qua fides historice elicita doceatur, id est, *doctrina* eruditioque in ea,

vt doctrina fidei reuelata agmen haud claudere deberet, sed incipere, paruusque clericorum numerus, qui nullo modo quoque eruditione profana possent carere, longam laicorum pompam, per se scripturae imperitorum (in quibus ipsi rectores cosmopolitici referendi sunt), comites subsequentes haberent.--Quod si fieri non debeat, ratiohumana vniuersalis in religione naturali est in doctrina fidei christiana pro summo principio imperante et agnoscenda et honoranda, doctrina reuelationis autem, in qua ecclesia fundatur, et quae doctorum indiget vt interpretum et custodum, vt adiumentum solum, sed maximi faciendum, ad superiori facilitatem, vel ipsis ignaris dilatationemque et constantiam impertiendam, amanda est atque excolenda.

Hic verus *cultus* ecclesiae est sub imperio principii boni; is vero, vbi fides reuelationis debeat religionem antecedere, *cultus spurius*, quo totus moralis ordo conuertitur, idque, quod duntaxat instrumentum est, absolute (quasi finis) praecipitur. Fides de sententiis, de quibus laicus nec per rationem potest, nec per scripturam (quatenus haec antea documentis firmanda foret), sese certum reddere, pro officio absoluto constitueretur (fides imperata) atque ita cum aliis cum ea coniunctis ritibus ad ordinem fidei etiam sine rationibus actionum determinandarum vt cultus seruilis saluificae. — Ecclesiae in hoc posteriori principio fundatae, proprie haud *ministri* sunt, quemadmodum constitutionis superioris, sed imperantes *officiales*, qui, etiamsi (vti in ecclesia protestantium) haud splendore hierarchiae vt potestate externa induti officiales clerici conspiciuntur, adeoque oratione contra protestantur, reapse tamen pro vnis interpretibus scripturae sacrae vocatis volunt haberi, posteaquam religionem rationalem puram dignitate illi propria summi illius interpretis spoliarunt, doctrinamque clericam solam in vsum fidei ecclesiasticae vsurpandam praeceperunt. Hoc modo *ministerium* ecclesiae in *imperium* conuertunt membrorum illius, quamuis ad hanc arrogantiam occultandam titulo vtantur modesto ministerii ecclesiae. Ve-

rum iſtud imperium, quod rationi facile fuiſſet, illi magni conſtat, nimirum eruditionis multae impendendae. „Caeca enim reſpectu naturae, vniuerſa caput „antiquitate obuelat, ſe ipſamque ea obrutam ſepelit.“ — Iter rerum, hoc modo inſtitutarum, ſic efficitur.

Primo ratio a primis doctrinae chriſtianae plantatoribus prudenter ſeruata, aditum illi in populo ſuo aperiendi, pro parte ipſius religionis ad omnia tempora omnesque populos valente ſumitur ita vt crederes, *quemque Chriſtianum eſſe Iudaeum oportere, cuius Meſſias veniſſet;* quocum autem haud ita cohaeret, eum proprie ad nullam quidem Iudaiſmi legem (qua ſtatutariam) adſtrictum eſſe, nihilominus tamen vniuerſum ſacrum codicem huius populi pro reuelatione diuina omnibus hominibus data fide accipere debere. *) — Iam ſtatim de authentia huius libri (quae eo, quod loci ex eo, quin tota hiſtoria ſacra in eo obuia in chriſtianorum li-

*) *Moſes Mendelii* hac infirmitate conſueti repraeſentandi modi chriſtianiſmi perquam ſcienter vtitur, ad deſiderium in filio quodam Iſraelis, ad transitionem religioſam, prorſus repellendum. Cum enim, inquiebat, fides Iudaica, ipſis chriſtianis concedentibus, contignatio inferior ſit, qua chriſtianiſmus vt ſuperior nitatur: perinde eſſe, ac ſi ab aliquo poſtulares, vt inferior contignatio deſtruatur, quo in altera domicilium erigas. Eius autem vera ſententia admodum perſpicua perlucet. Illi animus eſt dicere: primo vos ipſi Iudaiſmum ex veſtra *religione* tollatis (in doctrina fidei hiſtorica ille, inſtar rei antiquae, maneat), tum de ſuaſione veſtra poterimus deliberare. (Tum reuera nulla religio niſi moralis pura, a ſtatutis vacua, relinqueretur.) Onus noſtrum, excuſſo rituum externorum iugo, minime leuatur, alio nobis pro illo, ſcilicet onere confeſſionum fidei hiſtoriae ſacrae impoſito, quo religioſi multo grauius premuntur. — Caeterum libri ſancti huius populi, quamuis haud in gratiam religionis, tamen doctrinae atque eruditioni adſeruati magni fient; ſiquidem nullius populi hiſtoria cum quad m ſpecie fidei ad epochas temporis priſtini, ad quas omnis, quae nobis innotuit hiſtoria profana reuocari poteſt, eo vsque retrorſum, atque haec (adeo ad mundi primordia), ſcripta eſt, atque ita magnum iſtud vacuum, illi relinquendum, tamen aliquo expletur.

bris in gratiam huius illorum finis vsurpantur, permultum abest, vt probata sit), permultum difficultatis nascitur. Iudaismus ante initium ipsumque progressum christianismi iamiam insignem nondum fuerat in *populo docto*, id est, aequalibus aliorum populorum doctis nondum innotuerat, eorumque historia quasi nondum confirmata erat, atque ita sacer eorum codex propter antiquitatem suam ad probabilitatem historicam euecta. Interea, hoc quoque concesso, haud satis est, illum ex versionibus nosci, atque ita ad posteros transferri, verum ad cauendum fidei ecclesiasticae in eo fundatae quoque postulatur, vt omnibus futuris temporibus in omnibusque populis eruditi sint, qui linguae Hebraicae (quantum fieri in lingua potest, in qua vnum modo librum habemus) periti sint, nec tamen solum res esse debet scientiae historicae in genere, sed, in qua hominum haeret beatitas, vt viri sint, qui satis eam calleant, quo mundo queant de religione vera cauere.

Religionis christianae hactenus quidem sors similis est, quod, quamuis euenta sacra illius ipso sub adspectu populi docti palam acciderint, tamen eius historia plus vna aetate serius accesserit, priusquam ad populum doctum illius perueniret, proinde illius αὐθεντία carendum sit confirmatione aequalium. Ea vero magnum principatum tenet prae Iudaismo, quod *ex ore primi doctoris* prodiit vt religio haud statutaria, sed moralis, atque ita cum ratione arctissime sese coniungens, per eam sponte quoque ad omnia tempora populosque omnes potuit summa cum securitate propagari. Sed primis *coetuum* fundatoribus necessarium visum est, historiam Iudaismi cum ea contexere, id quod pro statu, qui tum illis fuerat, sed fortasse etiam pro iis, prudenter fiebat, atque ita vna cum sacris eorum reliquiis ad nos peruenit. Fundatores autem *ecclesiae* haec instrumenta commendationis episodica in articulos fidei essentiales receperunt, eaque vel traditione auxere, vel interpretamentis, quae a conciliis vim legum acciperent, aut eruditione confirmarentur, qua de eruditione eiusue

antipode luce interna, quam in se quisque laicus quoque accendere potest, haud diuinari potest, quot mutationes adhuc fidei immineant; id quod euitari non potest, quamdiu religionem haud in nobis, sed extra nos quaesierimus.

PARS POSTERIOR.

DE CULTU DEI SPURIO IN RELIGIONE STATUTARIA.

Vera vna solaque religione nihil nisi leges continentur, id est, ea principia practica, quarum necessitatis absolutae nobis fieri conscii possumus, quae proinde, vt per rationem puram (haud empirice) patefacta, agnoscimus. In vsum duntaxat ecclesiae, quarum esse variae formae possunt itidem bonae, esse statuta possunt, hoc est, constitutiones pro diuinis habitae, quae diiudicationi nostrae morali purae arbitrariae ac fortuitae sunt. Hanc igitur fidem statutariam (quae fere ad vnum populum adstricta est, nec religio mundi vniuersalis esse potest), ad cultum dei generatim necessarium ducere, eamque conditionem complacentiae diuinae in hominibus supremam facere, *error religiosus* *) est, in

*) Error cernitur in illusione, qua mera repraesentatio rei cum re ipsa pro eodem putatur. Sic in diuite *auaro* error *corradens* est, quod repraesentatione, se aliquando, si velit, diuitiis vti posse, satis sibi putat compensari, cum iis numquam vtitur. *Error honoris* in aliorum laudatione, quae reapse non nisi repraesentatio externa obseruantiae eorum (interne fortasse haud custoditae) est, pretium ponit, quod solum internae deberet tribuere; ad hunc igitur quoque insania titulorum et ordinum; quoniam hi tantummodo signa externa sunt principatus prae aliis. — Atqui conscientia possessionis instrumenti ad illum quempiam finem (priusquam illo vsus fueris), possessio instrumenti solum in repraesentatione est; ergo *error practicus* est, si quis in instrumento adquiescat, quasi esse pro possessione finis illud possit; de quo quidem errore practico omnis hic nobis solum sermo est.

quo sequendo *cultus spurius*, id est, is cultus dei putatitius, quo contra verum cultum, ab eo ipso postulatum ipsum peccatur.

§. 1.

De fundamento subiectiuo vniuersali erroris religiosi.

Anthropomorphismus, in repraesentatione de deo eiusque natura hominibus vix euitandus, alioquin tamen (modo ne qua eius cum conceptibus officiorum contagio sit) et satis insons, respectu relationis practicae nostrae ad voluntatem eius ipsi moralitati nostrae periculosissimus est; tum enim *nobis deum creamus*, *) prout eum opinamur nobis posse conciliari, molestoque nos labore adsiduo in intestina consiliorum nostrorum moralium agendi, supersedere. Decretum, quod homo solet in ea relatione sequi, hoc est: nos iis omnibus, quae solum propterea facimus, vt deo nosmet probemus (si modo fere haud directo cum moralitate pugnet, quamuis ad eam nihil quidquam conferat), illi promtum colendi eius animum tamquam subditos obsequiosos et ob id ipsum illi acceptos demonstrare, proinde quoque deum (in potentia) colere. — Haud semper iacturae faciendae sunt, quibus homo putet deum coli; etiam solemnitates, ipsaque spectacula publica, vti in

*) Mirum quidem videtur, sed nullo modo reprehendendum, si dicas: sibi quemque hominem *deum creare*, quid? quod ex conceptibus moralibus (stipatis cum proprietatibus istis infinite magnis, ad facultatem in mundo rem illi conuenientem exhibendi necessariis) talem sibi ipsum creare oportere, vt in eo illum, *qui sese condiderit*, colat. Quomodo enim cumque natura vt *deus* ab alio quodam promulgata fuerit ac descripta, quin ei talis quoque (si fieri possit) sese ostenderit, tamen hanc repraesentationem primo cum ideali suo comparet, oportebit, vt iudicare queat, an iure eam debeat pro deo habere et colere. Ergo ex reuelatione sola, conceptu illo *antea* in puritate eius, tamquam obrussa haud fundamento posito, nulla esse religio potest, omnisque dei cultus foret *idololatria*.

Graecis et Romanis, adhibitae ſunt et etiamnunc adhibentur ad deum populo, vel etiam homini ſingulari pro errore eorum propitium reddendum. Verumtamen ſolemnitates (poenitentiae, caſtigationes, itinera religioſa et ſimilia) vsquequaque fortiores habitae ſunt ad gratiamque caeli parandam aptiores atque ad expiandum magis idoneae, quoniam faciunt ad ſubiectionem infinitam (quamuis haud moralem) ſub voluntatem eius magis denotandam. Quo inutiliores eiusmodi excruciationes ſui ipſius ſunt, quo minus emendationem moralem hominis vniuerſalem ſpectant, eo eſſe ſanctiores videntur; quoniam ob eam ipſam cauſam, quod ad nihil omnino proſunt, ſed tamen laborem requirunt, ſolum ad declarandum animum deo deditum pertinere videntur. — Quamuis, ſic enim aiunt, deus eo reapſe nullo modo colitur; tamen voluntatem in iis bonam reſpicit, animum, qui ad ſeruanda eius praecepta moralia infirmior quidem eſt, ſed promtitudine ſua atque alacritate defectum compenſat. Hic igitur conſpicua eſt inclinatioo ad actionem, cuius per ſe nullum eſt pretium morale, niſi forte vt adiumenti facultatis repraeſentandi ſenſitiuae ad comitatum idearum intellectualium finis eleuandae, aut, vt, ſi his fortaſſe poſſet reagere, depromendae; *) huic rationi ex ſententia noſtra

*) Eorum in gratiam qui vbiuis, in quibus diſtinctiones ſenſitiui et intellectualis iis minus conſuetae ſunt, pugnare ſecum ipſam putant criticen rationis purae, hic moneo, ſi de adiumentis ſenſitiuis ad intellectualia (conſilii moralis puri) promouenda, aut de impedimentis, quae illa his obiiciunt, ſermo ſit, eam contagionem duorum principiorum tam disſimilium numquam eſſe vt *directam* cogitandam. Nimirum qua naturae ſenſitiuae in *phaenomenis principii intellectualis*, id eſt, in viribus noſtris phyſicis per *liberum arbitrium* determinandis, id quod in agendo conſpicitur, legi aduerſari poſſumus, vel etiam obtemperare: ita vt cauſa effectumque vt reapſe ſimilia cogitentur. Sed ſupraſenſibilium (principii moralitatis in nobis, in proprietate libertatis incomprehenſibili incluſi), velut conſilii religioſi puri, praeter eorum legem (quod vero etiam iam ſatis eſt) nihil nos quidquam, quod relationem cauſae et effecti ſpectet in homine, per-

pretium finis ipſum tribuimus, vel, quod idem eſt, tenori animi conſilia deo dedita recipiendi pretium horum ipſorum tribuimus, quae quidem ratio proinde in mero verſatur errore religioſo, qui varias poteſt formas induere, in quarum vna ad moralem propius atque in altera accedit, qui vero in vniuerſis non ſolum illuſio inuoluntaria eſt, verum adeo norma, adiumento, pretium per ſe, pro fine impertiendi, vbi tum vi huius iſte error in omnibus hisce formis aeque abſurdus eſt atque vt occulta inclinatio ad fraudem reprobandus.

§. 2.

Principium religionis errori religioſo oppoſitum.

Ac primo quidem enunciatum ſumo, vt decretum nullius probationis indigens, hocce: *quidquid homo praeter vitam bonam atque honeſtam facere ſe poſſe opinatur, vt deo ſeſe acceptum reddat, ſolus eſt error religioſus cultusque dei ſpurius.* — Dico, quidquid homo fieri ab ſe poſſe opinatur; nam, an praeter cuncta, quae fieri ab *nobis* poſſunt, etiam in myſteriis ſapientiae ſummae quidpiam eſſe poſſit, quod fieri ſolum a deo queat, ad non homines reddendos ſibi acceptos, eo haud negatur. Sed, ſi eccleſia ciusmodi myſterium fortaſſe vt reuelatum doceret, tamen opinio, hanc reuelationem, vti eam ſacra hiſtoria refert, *credendi*, eamque (ſiue interne, ſiue externe), *profitendi*, per ſe quiddam eſſe, quo deo nosmet reddamus acceptos, periculoſus error religionis foret. Haec enim fides qua profeſſio interna firmi adſenſus, tam vero in *actione* verſatur, metu extorta, vt homo ſimplex ac probus quamque aliam potius quam hanc conditionem ſequatur, quoniam in cunctis aliis

ſpicimus, id eſt, poſſibilitatem actionum qua euentorum in mundo ſenſibili ex qualitate hominis morali, vt illis imputabilem, nobis haud poſſumus *enodare*, ob id ipſum, quia actiones liberae ſunt, ſed rationes enodandorum euentorum omnium cunctae ſunt ex mundo ſenſibili depromendae.

cultus ſeruilis partibus tantummodo aliquid ſupernacaneum, hic autem quidpiam acturus ſit in declaratione, cuius de veritate ſibi haud perſuaſum eſt, repugnans. Confeſſio igitur, qua ſibi perſuadet per ſe ipſa (vt acceptatione boni ſibi oblati) poſſe ſeſe deo fieri acceptum, et quidpiam, quod praeter vitam bonam in ſeruandis legibus moralibus in mundo praeceptis, facere ſe poſſe opinatur, dum cum cultu ſuo directe ſeſe ad deum vertit.

Ratio nos *primo* reſpectu iuſtitiae propriae deficientis (quae coram deo valet) haud prorſus ſolatio deſtitutos relinquit. Ea dicit: qui ex conſilio vero, officio dedito, quantum vires permittant, fecerit, ad (certe in adpropinquatione ad plenam cum lege conuenientiam perpetua) obligationi ſuae ſatis faciendum, ei licere ſperare, quae non penes ſe ſint, ea ab ſapientia ſumma *vllo quodam modo* (quo conſilium huiusce adpropinquationis perpetuae conſtans fieri atque immotum poteſt) ſuppletum iri, neque tamen ſibi arroget, determinare rationem, atque ſcire, in quo conſiſtat, quae fortaſſe eſſe tam occulta ac myſterioſa poteſt, vt ad ſummum eam deus per repraeſentationem ſymbolicam, in qua ſola ab nobis practica intelligi poſſunt, queat reuelare, interea dum theoretice, quae ratio haec dei ad hominem per ſe ſit, nullo modo poſſemus comprehendere nec cogitare, etiamſi nobis quoque vellet eiusmodi myſterium reuelare. — Fac igitur, certam eccleſiam quamdam adſerere, ſe modum, quo deus defectum moralem illum in genere humano reſarciat, determinate noſſe, ſimulque eam omnes homines, qui illud adiumentum iuſtificationis rationi naturaliter ignotum, ignorant, nec proinde pro decreto religionis ſumunt ac profitentur, condemnare ad reprobationem aeternam: quis tum in eo tandem profanus erit atque incredulus? illene, qui confidit, quamuis, qui id, quod ſperat, fiat, neſciat, an is, qui hunc modum hominum a malo liberandorum ſimpliciter ſcire cupit, contraque ſpem omnem abiicit? — Reapſe huius po-

ſterioris haud ita intereſt huiusce myſterii ſcientia (hoc enim eum iam docet ratio, ſibi prorſus inutile eſſe, id ſcire, quo tamen nihil queat conferre); ſed ſcire iſtud duntaxat propterea auet, vt (etiamſi modo intus fieret) *fidem*, acceptationem, confeſſionem laudationemque omnium horum reuelatorum ſibi poſſit cultum diuinum facere, quo gratia caeli ſibi, antequam proprias ad vitam bonam adhibeat, proinde gratis tota comparetur, vita bona fere etiam ipſa ſupranaturali modo producatur, aut, vbi fortaſſe peccaret, certe transgreſſio poſſit compenſari.

Deinde: cum homo ab norma illa vel minimum receſſerit: tum cultus ſpurii (ſuperſtitionis) *nulli* amplius *termini* ſunt; namque vltra illam cuncta (quae modo haud proxime moralitati repugnant), arbitraria videntur. Inde a ſacrificio labiorum, quod ei conſtat minimi, vsque ad ſacrificium bonorum naturalium, quae alioquin melius poſſent ad hominis vtilitatem adhiberi, quin vsque ad ſui ipſius perſonae deuotionem, propterea quod (in ſtatu eremitarum, fakirorum et monachorum) ſe mundo ſubtrahit, cuncta, non vero conſilia ſua moralia, deo offert; et cum dicit, ſe ſuum illi quoque animum offerre, tum eo haud conſilium intelligit vitae deo acceptae, verum deſiderium flagrans, vt ſacrificia illa accipiantur pro vltima ſolutione (natio gratis anhelans, multa agendo nihil agens, *Phaedrus*).

Tandem, ſi ſemel ad normam cultus opinato per ſe deo accepti, eumque, ſi res poſtulet, propitiantis, ſed non moralis puri, trangreſſus fueris, in modo, eum quaſi mechanice colendi nullum diſcrimen internum eſt, quo alteri prae altero principatus concedatur. Omnes ſunt quoad dignitatem (vel indignitatem potius) iidem, ſolumque adfectatio eſt, ſi ex aberratione *ſubtiliori* ab vno ſoloque principio intellectuali cultus veri ac genuini te putes magis eximium ac praeſtantiorem, quam eos, qui culpam ſibi peccati *grauioris* per ſenſualitatem contraxerint. Vtrum *ſuperſtitioſus* viam in *templum* ſta-

tutariam, an iter pius ad facras reliquias *Laurettum* aut Palaeftinam inftituat, vtrum formulas precum *labiis*, an, inftar Tibetani (qui horum votorum, etiam literis confignatorum, fi modo per vllam rem quamdam, velut in vexillis infcripta, per ventum, aut in pyxide inclufa, inftar machinae vibratoriae, manu *moueantur*, finem perinde attingi putabat), per *rotam precum* ad caelum promoveant, aut qualecumque cultus dei moralis furrogatum fuerit, nihil prorfus intereft. — In eo non tam de discrimine agitur in forma externa, fed folum de vno foloque principio fequendo mittendoue, deo fefe vel per morale confilium, quatenus id in actionibus, vt eius phaenomenis, viuum fefe exhibet, vel piis crepundiis otioque acceptum reddendi. *) Sed anne quoque quidam *error virtutis* eft vertiginofus vltra terminos facultatis humanae euehens, qui commode poffit cum errore religionis reptitio in generalem fui ipfius illufionum claffem referri? Minime, confilium virtutis occupatum eft in eo, quod vere *exftat*, quod per fe ipfum deo acceptum eft, cum faluteque mundi conuenit. — Cui quidem adiungere fefe error arrogantiae poteft, fe confentaneum ideae fancti officii fui iudicandi; fed hoc modo fortuitum eft. In eo autem fummum pretium ponere, nullus error eft, vti fere in facris ecclefiafticis, fed vera fymbola ac praefens ad falutem mundanam conferens.

Praeterea confuetudo eft (faltem ecclefiaftica), vt id, quod per principium virtutis fieri ab hominibus pot-

*) Vifum eft pfychologicum: fectatores confeffionis cuiusdam, in qua minus rerum ftatutariarum credendum eft, eo quafi fefe nobiliores fentire atque illuftratiores, quamuis fatis multa eorum retinuerint, ne fere (quod tamen reapfe faciunt), a putatitio faftigio fuo puritatis adfpectum cum contemtu ad focios erroris ecclefiaftici deiicere neceffe habeant. In caufa eft, quod eo fe, quantumuis parum fit, ad religionem moralem puram tamen aliquantum propius admotos vident, quamuis etiamnum errori adhaerefcant, piis ritibus in quibus multo minus rationis paffiuae ineft, eam volunt fupplere.

eſt, *natura*, quod vero tantummodo ad defectum facit vniuerſae facultatis moralis reſarciendum, et, quia eius ſufficientia itidem nobis in officio eſt, duntaxat deſiderari optariue, aut etiam ſperari poteſt atque precibus efflagitari, *gratia* adpelletur, ambae coniunctae vt cauſae ſpectentur conſilii ad vitam deo acceptam idonei, eae autem non ſolum inuicem diſtinguantur, verum etiam ſibi inuicem opponantur.

Perſuaſio de eo, quod effecta gratiae queant ab effectis naturae (virtutis) ſecerni, aut haec poſteriora fere in nobis ipſi producere poſſimus, *fanaticiſmus* eſt; neque enim rem ſupraſenſibilem in experientia vlla vſpiam nota poſſumus agnoſcere, multo minus vim noſtram in ea exſerere, ad eam ad nos deuocandam, etſi in animo ſubinde motus exſiſtant ad honeſtatem tendentes, qui non poſſunt enodari, de quibusque ignorantia noſtra cogitur confiteri: „ventus flat, quo vult, ſed „neſcis, vnde veniat etc.“ Caeleſtes vires in ſe velle *percipi*, genus erroris eſt, in quo fere adeo via methodusque quaedam ineſſe poteſt (quoniam reuelationes illac putatitiae internae adiungere ſe ſemper ad morales debent, proinde ad ideas rationales), qui tamen etiamnunc ſui ipſius illuſio manet religioni perniciosa. Credere, effectiones gratiae eſſe poſſe, et fortaſſe quoque ad imperfectionem conatus ad virtutem noſtri ſupplendam eſſe oportere; id ſolum eſt, quod dicere poſſumus; caeterum non poſſumus quidquam reſpectu ſignorum illarum determinare, neque ad eas producendas conferre.

Error per actiones religioſas cultus aliquid quoad iuſtificationem coram deo efficiendi, *ſuperſtitio* eſt religioſa; quemadmodum in errore iſtud per conatum ad conſuetudinem cum deo putatitiam efficiendi, *fanaticiſmus* religioſus verſatur. — Error ſuperſtitioſus eſt, actionibus, quas quisque homo patrare poteſt, etſi haud vero eſſe bonus homo debeat, deo ſeſe reddi acceptum velle (velut confeſſione ſententiarum fidei ſta-

tutariarum, ſeruandis ritibus diſciplinaque eccleſiaſticis, et aliis generis eiusdem). Is autem idcirco ſuperſtitioſus dicitur, quia ſola adiumenta eligit naturalia, (non moralia), quae nihil quidquam poſſunt ad id, quod haud naturale eſt, (id eſt, ad bonum morale) per ſe conferre. — Error autem dicitur fanaticus, cum adeo adiumentum opinatum, vt ſupraſenſibile, non eſt in hominis poteſtate, cum praeterea finis ſupraſenſibilis eo ſpectatus prorſus inacceſſus videatur; hic enim ſenſus praeſentiae proximae entis ſummi, diſtinctioque illius a quouis alio, ipſo ſenſu morali, receptiuitas foret viſionis, cuius nullus eſt ſenſus in natura humana. — Error ſuperſtitioſus, quippe quo adiumentum per ſe quibusdam ſubiectis vtile, iisque ſimul poſſibile, certe obſiſtendum impedimentis mentis deo acceptae continetur, tamen rationi eatenus cognatus, et fortuito duntaxat eo reiiciendus eſt, ad id, quod ſolum eſſe adiumentum poteſt, rem facit proxime deo acceptam; contra error religioſus fanaticus mors eſt moralis rationis, ſine qua tamen nulla omnino religio, quippe quae, vti omnis generatim moralitas, in decretis fundanda eſt, locum habere poteſt.

Ergo decretum fidei eccleſiaſticae, omnem religioſum errorem tollens, eiue praecauens hoc eſt: huic iuxta dogmata ſtatutaria, quibus in praeſens haud prorſus poteſt carere, tamen ineſſe principium oportere, religionem vitae bonae atque honeſtae, vtpote metam propriam, quo iis aliquando poſſit careri, arceſſendi.

§. 3.

De deſpotiſmo ſacerdotum, vtpote imperio in culto ſpurio principii boni.

Cultus naturarum inuiſibilium potentium, qui homini imbecilli per metum naturalem in conſcientia imbecillitatis ſuae extorquebatur, non ſtatim cum religione primordia cepit, verum a cultu dei (idoliue) ſer-

vili, qui, ſi certam quamdam formam publice legalem accepiſſet, *cultus templaris*, et demum, formatione hominum morali paullatim cum his legibus coniuncta, *cultus eccleſiaſticus* euaſit: cui vtrique fides hiſtorica fundamento ſubeſt, donec tandem haec ſolum pro proviſoria, in eaque exhibitio ſymbolica adiumentumque promouendae fidei religioſae purae *coepta eſt* ſpectari.

Ab *Schamane* Tunguſino, vsque ad praelatum Europaeum eccleſiam ac ciuitatem ſimul gubernantem, aut (ſi loco capitum et auctorum tantummodo ſectatores fidei ex ipſorum proprio repraeſentandi modo ſpectare velimus), inter *Wogulitium* prorſus ex ſenſibus pendentem, qui pedem pellis vrſinae mane capiti ſuo imponit, precibus adiunctis breuibus his: „noli me occidere"! vsque ad *puritanum* ſublimatum, atque independentem in *Connicutis* interuallum quidem maximum interiectum eſt in *modo*, non vero in *principio* credendi; nam, quod hoc attinet, cuncti ad vnam eamdemque claſſem pertinent, eorum quippe, qui in iis, quae per ſe hominem haud reddunt meliorem, in credendis certis quibusdam dogmatibus ſtatutariis, ſeruandisque ritibus certis arbitrariis, cultum diuinum ponunt. Illi ſoli, qui eum duntaxat in conſilio vitae bonae inueniri exiſtimant, diſtinguuntur ab iis per tranſitionem ad aliud principium priori longe excellentius, illud nimirum, quo ſeſe confitentur ad eccleſiam (inuiſibilem), omnes bene ſentientes complectentem, et quae, pro qualitate ſua interna atque eſſentiali, ſola eſſe vera vniuerſalis poteſt.

Poteſtas inuiſibilis, de ſorte hominum imperans, vt in gratiam eorum moueatur, finis eſt vniuerſis propoſitus; ſolum in modo, quo iſtud effici debeat, ab ſe inuicem abhorrent. Si poteſtatem illam pro natura accipiunt intelligente, eique proinde voluntatem attribuunt, a qua ſortem ſuam exſpectent, conatus eorum non poteſt niſi eligendo modo conſiſtere, quo ſeſe, vt naturas voluntati eius obnoxias, agendo mitten-

doque queant illi acceptos reddere. Si eam qua naturam cogitant moralem, facile ſibi ipſis de veritate perſuadent per ſuam ipſorum rationem, conditionem complacentiae illius comparandae, in vita bona morali, praeſertim mente pura, vt principio eius ſubiectiuo, eſſe poſitam oportere. Sed ens ſummum, fieri poteſt, vt forte praeterea modo quodam coli velit, qui nobis non poteſt per ſolam rationem innoteſcere, nimirum actionibus, in quibus per ſe quidem nihil quidpiam morale conſpicimus, quae vero tamen vt ab eo praeceptae, vel modo, ad noſtram ſubiectionem erga eum teſtandam, voluntarie ab nobis ſuſcipiuntur; in quibus ambabus rationibus, ſi totum iis quiddam occupationum ſyſtematice ordinatum conſtituatur, proinde omnino *cultum* diuinum ponunt. — Si igitur ambae debeant eſſe coniunctae, vel quaeque vt proxime, vel alterutra duntaxat vt adiumentum alterius, vtpote cultus diuini proprii,' pro modo accipienda erit, deo bene placendi. Cultum diuinum moralem (officium liberum) deo proxime placere, per ſe manifeſtum eſt. Nec vero pro conditione ſuprema poteſt vniuerſae in hominibus complacentiae agnoſci (id quod etiam iam in conceptu moralitatis ineſt), ſi officium mercenarium vt *per ſe ſolum* deo acceptum ſpectari poſſet; tum enim noſſet nemo, qui cultus in caſu obuio praeſtantior foret, ad iudicium de officio ad eum inſtituendum, aut quomodo inuicem ſeſe ſupplerent. Ergo actiones, quibus per ſe nullum pretium morale ineſt, tantummodo quatenus adiumenta ſunt ad id, quod in actionibus proxime bonum eſt, promouendum, ad moralitatem facient, id eſt, *propter cultum dei moralem*, pro illi gratis accipiendae erunt.

Homo autem, qui actionibus, quae per ſe ipſae nihil quidquam, quod acceptum deo ſit (morale), continent, tamen pro adiumentis vtitur, ad complacentiam diuinam in ſe proximam eoque felicem votorum euentum comparandum, in errore verſatur, ſeſe artem tenere, adiumentis prorſus naturalibus effectum ſupra-

naturale edendi; cuiusmodi tentamina dici solent *magia*, quae vero vox (cum conceptum inuoluat secundarium commercii cuiusdam cum principio malo, contra ea vero tentamina illa nihilominus quoque caeteroquin cogitari possint bono consilio quidem, sed per errorem suscepta esse), cum verbo alias noto ac vulgari creandorum *fetissiorum* permutabimus. Effectum autem hominis supernaturale illud foret, quod fieri in mente illius eo duntaxat possit, vt in deo agere se putet, eoque pro adiumento vtatur, ad effectum in mundo edendum, ad quod vires, quin ne intellectus quidem, an illud quoque deo placuerit, per se haud idoneae sunt; id quod iam in conceptu suo absurditatem continet.

Quodsi homo autem, praeterquam, quod eo, quo is proxime res diuinae complacentiae proposita redditur (consilio bonae vitae actuoso), insuper quoque certis quibusdam formis impotentiae per auxilium supernaturale supplendae *dignum* sese reddere conatur, eoque consilio ritibus, quibus nullum quidem pretium internum inest, qui vero ad consilium morale illud promouendum pro adiumento sunt, sese rei desideriis bonis suis subiectae reddere *capacem* arbitratur, spem quidem impotentiae naturalis supplendae in aliquo *supernaturali* ponit, sed tamen haud vt ab *hominibus effecto* (ex contagione cum voluntate diuina) verum accepto, quod sperare possit, non autem producere. — Quodsi sibi autem actiones, quae per se, quantum intelligimus, nihil quidquam morale deoque acceptum continent, nihilominus ex sententia sua esse pro adiumento debeant, quin conditione, qua proxime a deo exspectet, votorum sese futurum participem; in errore versetur, necesse est, quamuis huius supernaturalis sibi nec facultas physica sit, nec receptiuitas moralis, tamen actionibus *naturalibus*, per se nullo modo cum moralitate cognatis, (ad quas patrandas nullo opus est consilio deo accepto, quasque proinde pessimus homo perinde potest atque optimus patrare), formulis inuo-

cationis, confessionibus fidei mercenariae, ritibusque ecclesiasticiis et id genus aliis sese effecturam posse, atque ita adiutorium dei quasi artibus *magicis* arcessere: nulla enim ex vlla lege quadam coniunctio est adiumentum inter mere physicum causamque moraliter efficientem, quae ab ratione possit cogitari, qua fiat, vt qua haec illis queat ad certas quasdam effectiones vt determinabilis cogitari.

Qui igitur obseruationem legum statutariarum reuelatione indigentium vt ad religionem necessariam, et quidem non solum qua adiumentum mentis moralis, verum qua conditionem obiectiuam, eo sese deo acceptum reddendi proxime, praemittit, huicque fidei historicae conatum vitae bonae postponit, (cum e contrario fides ista historica, quippe quae deo non nisi cum *adiunctione* esse accepta potest, sese ad bonam vitam, quae illi *absolute* accepta est, debeat accommodare), is cultum diuiuum in solam *creationem fetissiorum* conuertit, cultumque spurium exercet, quo omnis ad religionem veram conformatio retractatur. Tanta in rebus coniungendis duabus vis est ordinis, quo eas coniunxeris! In hac autem distinctione vera consistit *illustratio*; eo demum cultus dei redditur liber, proinde moralis. A quo vero si deflectas, pro libertate liberorum dei, homini potius onus imponitur legis (statutariae), quod eo, quod vt coactio absoluta ad quidpiam credendum, quod non potest nisi historice agnosci, ideoque non cuique potest esse ad persuadendum idoneum, multo grauius onus *) est hominibus religiosis, quam vniuer-

*) „Id iugum lene est, idque onus leue," cum officium, quod cuique incumbit, vt ab se ipso sibi per suamque ipsius rationem iniunctum potest considerari; quod proinde catenus sponte in se recipit. Eo vero de genere tantummodo leges sunt morales, qua praecepta diuina, de quibus auctor solus ecclesiae purae dicere potest: „praecepta mea haud difficilia sunt." Quae quidem oratio hanc vim haber, ea non *molesta* esse, quoniam quisque necessitatem eorum seruandorum sponte intelligit, proinde illi eo quidquam obtruditur, con-

sa vis rituum piorum iniunctorum, in quibus satis est, quod eos patres, vt cum republica ecclesiastica instituta bene conueniant, neque tamen quisque opus habeat, vt interne externeue fidem profiteatur, se pro instituto *a deo fundato* reputare: quippe quo proprie conscientia oneratur.

Ergo cultus despoticus consistit in statu ecclesiae, in qua *culus* obtinet *fetissicus*, id quod semper locum habet, vbi non principia moralitatis sed praecepta statutaria, regulaeque fidei et ritus fundamentum eiusatque essentiam constituunt. Iam formae quidem sunt ecclesiasticae, in quibus fetissorum creatio tam varia est, tamque mechanica, vt vniuersam propemodum moralitatem proinde quoque religionem expellere earumque locum obtinere debere videatur, atque ita proxime ad paganismum accedat; sed plus minusue hoc loco haud fere interest, vbi res ex qualitate pendet principii supremo coniungentis. Quod cum submissionem obsequiosam sub traditionem, vt cultum seruilem, non vero actionem liberam iniungit, legi morali *primo loco* praestandam; quantumuis paucissimi sint ritus iniuncti; tamen, si pro absolute necessariis declarentur, fides erit fetissica, qua multitudo gubernatur, et per obedientiam sub ecclesia (non religione) libertate morali privatur. Siue monarchica sit hierarchia illius, siue aristocratica, siue democratica; quippe quod non nisi organisationem attinet; constitutio illius nihilominus et est et erit sub omnibus formis istis semper despotica. Vbi statuta fidei ad legem referuntur constitutionalem, ibi *clerus* obtinet, qui ratione ipsaque demum eruditio-

tra instituta despotice iubentia, quam saluti nostrae (neque tamen per rationem nostram) iniuncta, quorum nullam possumus vtilitatem intelligere, quasi vexationes sunt, quibus non nisi coacti nosmet subiicimus. Per se vero actiones, ex puritate fontium spectatae, legibus moralibus illis praeceptae, ipsae homini omnium molestissimae, et pro quibus lubenter vexationes pias molestissimas subierit, si fieri posset, vt has pro illis soluere posset.

ne facile poſſe putat ſeſe carere, quoniam vt cuſtos poteſtate pollens atque interpres voluntatis legislatoris inuiſibilis praeceptionem fidei ſolus adminiſtrat auctoritate vtitur, ideoque hac poteſtate ornatus, non perſuadere licet, ſed *ſolum imperare*. — Quia autem, *clerum* iſtum, caeteri omnes *laici* ſunt (ne capite quidem reipublicae politicae excepto): ciuitatem poſtremo poteſtate eccleſia, haud fere per vim, ſed per contagionem animorum, praeterea quoque oſtenſa vtilitate, quam eam perhibent poſſe ex obedientia abſoluta capere, ad quam diſciplina quaedam clerica ipſam populi *cogitationem* adſuefecit; in quo quidem ſenſim conſuetudine ſimulationis probitas ſubditorum fidesque ſubvertitur, ad cultumque putatitium etiam in officiis civilibus componitur, atque, vti vniuerſis principiis vitioſe ſumtis, ipſum contrarium efficitur eorum, quae ſpectabantur.

* * *

Haec autem omnia neceſſario fluunt ex permutatione prima ſpecie haud periculoſa principiorum fidei vnice ſaluificae religioſae, propterea id agebatur, vtri locus primus deberet, vt conditioni ſupremae (cui caetera ſubiecta ſint) concedi. Aequum eſt, rationique conſentaneum, vt non ſolum „ſapientes quoad carnem" docti aut argutatores ad hanc colluſtrationem reſpectu verae ſalutis vocatum iri, ſumantur; — eius enim fidei vniuerſum genus humanum eſſe capax debet — verum „quod ſtultum eſt coram mundo;" ipſum ignarum cogitationibusue maxime circumſcriptum iure poſſe eiusmodi inſtitutionis internaeque perſuaſionis gaudere, neceſſe eſt. Iam fides quidem hiſtorica, praeſertim, cum, quorum indiget, conceptus, ad narrationem comprehendendam, prorſus anthropologici ſunt ſenſualitatique admodum conſentanei, ipſius huiusce generis eſſe videtur. Quid enim facilius eſt, quam narrationem eiusmodi ad ſenſus reuocatam ſimplicemque apprehendere cum aliisque communicare, aut verba my-

ſteriorum repetere, quibuscum nullo modo neceſſe eſt, vt ſenſus coniungatur; quam facile ea, praeſertim propoſita magna vtilitate quadam, vbique aditum inuenit, et quam alte fides de veritate eiusmodi narrationis radices agit, quae praeterea in vetuſto quodam documento ex diuturno tempore pro authentico agnito fundatur, atque ita eiusmodi fides ſane quoque viribus humanis vel maxime vulgaribus apta eſt. Sed, quamquam diuulgatio eiusmodi euenti non minus, quam fides de regulis vitae in eo conſtitutis non ipſis doctis, aut in primis, vel philoſophis, eſſe data debet; tamen hi haud ſunt excluſi, tumque tot dubia enaſcuntur, partim reſpectu veritatis illarum, partim ratione ſenſus, quo oratio debeat accipi, vt, quod cogitatione fingi poſſit, abſurdiſſimum foret, eiusmodi fidem, tot controuerſiis ſubiectam, pro ſuprema conditione fidei vniuerſalis ſoliusque ſaluificae accipi. — Atqui cognitio eſt practica, quae, quamuis ſolum ratione nitatur, nulliusque doctrinae egeat hiſtoricae, tamen cuique homini vel ſimpliciſſimo, tam vicina eſt, quaſi quoad literam ſit illius cordi inſcripta: lex ſcilicet, cuius ipſum nomen ſufficit, vt de auctoritate illius continuo cum vnoquoque poſſis conuenire, quaeque in cuiusque conſcientia *obligationem abſolutam* in ſeſe cohibeat, nimirum lex moralitatis; quid? quod ea cognitio vel iam per ſe ſola ad fidem de deo ducit, vel ſaltem ſola eius conceptum vt legiſlatoris moralis determinat, proinde ad fidem religionis puram ducit, cuique homini non ſolum comprehenſibilem, verum etiam maxime venerabilem; quin eo tam naturaliter ducit, vt, ſi periculum feceris, inuenturus ſis, eam ex vnoquoque homine, nihil quidquam prius de ea edocto, totam poſſe interrogando elici. Igitur non ſolum prudenter fiet, vt ab hac inſtituas, fidemque hiſtoricam, cum ea conuenientem, poſt eam ponas, verum etiam in officio eſt, vt eam pro conditione ſuprema conſtituas, qua ſola poſſimus ſperare, fore, vt ſimus ſalutis participes, quam nobis cumque fides hiſtorica polliceatur, atque ita quidem, vt hanc ſolum ex interpretatione illius, quam fides religio-

nis pura praebet, pro vniuerse obligante pessimus, nobisue licitum sit, accipere (quoniam haec doctrinam continet vniuersalem), interea dum moraliter fidens tamen quoque fidei historicae patet, quatenus eam ad animandam sententiam religionis puram suam videt aptam ac salutarem, cuius fidei hoc modo solum est pretium morale purum, quoniam libera est, neque vlla comminatione (vbi ea non esse sincera potest) extorta.

Sed quatenus etiam cultus dei in ecclesia venerationem eius moralem puram spectat potissimum ex legibus humanae naturae generatim praescriptis, tamen adhuc quaeri potest: vtrum solum *doctrina pietatis*, an etiam *doctrina virtutis* pura, quaeque singillatim, materiam institutionis religiosae debeat constituere. Illa vox, nimirum *doctrina pietatis* fortasse vim vocabuli religio (quomodo nostro tempore intelligitur) sensu obiectiuo optime exprimit.

Pietas duas continet determinationes mentis moralis respectu dei; *verecundia dei* haec mens est in praeceptis eius per *debitum* subditi) officium, id est, propter obseruantiam legis, sequentis; sed *amor* dei, ex propria optione *libera*, complacentiaque legis (ex filii officio). Ambae ergo, praeter moralitatem continent conceptum naturae suprasensibilis, proprietatibus ornatae, ad summum bonum hac spectatum, sed facultatem nostram superans perficiendum necessariis, de cuius *naturae* conceptus, cum ad adfectionem ideae illius ad nos transimus, semper metuendum est, ne anthropomorphistice ab nobis eoque saepenumero principiis moralibus nostris ipsi noxae cogitetur, de quo proinde idea in ratione contemplatiua per se ipsa potest neutiquam consistere, verum adeo originem, multo magis autem vim omnem in relatione ad determinationem officii nostram in se ipsa positam fundat. Quid igitur in prima iuuentutis institutione ipsaque oratione de suggestu sacro naturae conuenientius est: vtrum doctrina virtutis ante doctrinam pietatis, an haec ante illam (fere quoque eius

nomine retento) proponenda ſit? Vtraque manifeſto neceſſaria inuicem coniunctione tenentur. Quod vero fieri non poteſt, niſi, cum non *idem* ſint, vt altera pro fine, altera pro adiumento cogitetur ac proponatur. Sed doctrina virtutis per ſe ipſa conſiſtit (vel absque conceptu de deo), doctrina pietatis conceptum continet de re obiecta, quem reſpectu moralitatis noſtrae, vt cauſam ſupplentem impotentiae noſtrae ratione ſcopi moralis nobis cogitatione informamus. Ergo doctrina pietatis non per ſe poteſt ſcopum conatus moralis conſtituere, ſed modo adiumento eſſe, ad mentem virtutis, qua per ſe homo melior efficitur, confirmandam; eo quod ei (qua conatui ad bonum, ipſam ſanctitatem), exſpectationem ſcopi, quod illa non poteſt, pollicetur et cauet. Contra conceptus virtutis hominis ex animo exſculptus eſt. Is iam illi totus ineſt, quamuis haud euolutus, neque, vti conceptus religionis, argutando eſt per concluſiones enodandus. In puritate illius, in excitanda conſcientia facultatis alioquin numquam a nobis diuinatae, grauiſſima in nobis impedimenta vincendi, in dignitate atque excellentia naturae humanae, quae homini in ſua ipſius perſona eiusque deſtinatione colenda eſt, ad quam adnititur conſequendam, quiddam ineſt animum adeo eleuans, ad deumque ipſum, ſolum per ſanctitatem ſuam et qua legislatorem virtuti venerabilem, perducens, vt homo, ſi vel longiſſime ab eo abhorreat, quo minus huic conceptui vim contagionis cum normis ſuis impertiat, tamen haud inuitus iis teneatur, quoniam ſe ipſum per hanc ideam iam certo gradu quodam ſentit praeſtantiorem factum, cum e contrario conceptus de gubernatore mundi, hoc officium nobis pro praecepto conſtituente, ex magna a nobis diſtantia abhorreat, et, ſi ab eo inciperet, animum eius (qui eſſentiam virtutis ſimul conſtituit) deiiceret, pietatem vero periculo exponeret, in ſubiectionem adulatoriam ac ſeruilem ſub poteſtate deſpotice iubente degenerandi. Hic animus propriis in pedibus conſiſtendi ipſe per doctrinam expiationis corroboratur, propterea, quod, quae non mutari poſ-

ſunt, vt confecta depingit, et nunc tramitem vitae nobis nouae aperit, cum e contrario, ſi haec doctrina initium capit, conatu vano, facta infecta reddendi (expiatione), metu de acceptatione eius, cogitatione totius impotentiae noſtrae ad bonum, ac ſollicitudine de relapſu in malum animus hominis frangatur, *) n ſtatumque

*) Varia fidei genera populis quoque ſubinde fere characterem impertiunt, reſpectu ciuili extrinſecus diſtinguentem, qui iis poſtea quaſi proprietas temperamenti eſſet in vniverſum, tribuitur. Sic *Iudaiſmus*, ſecundum primam conſtitutionem ſuam, cum populus, omnibus, qui excogitari poſſent, ritibus, partim excruciantibus, ab omnibus aliis populis ſeſe deberet ſeparare, omnique cum iis commixtioni praecauere, in crimen ſeſe induit μισανθρωπίας. *Muhamedaniſmus ſuperbia* diſtinguitur, quoniam, pro miraculis, in victoriis multorumque populorum ſubiectione confirmationem fidei ſuae habet, eiusque ritus pii cuncti ſunt de genere fortiori. *) Fides *Hinduica* ſectatoribus ſuis cha-

*) Hoc phaenomenon ſingulare (ſuperbiae ignorantis populi, quamquam intelligentis, poteſt etiam a phantaſia fundatoris proficiſci, quaſi conceptum vnitatis dei eiusque naturae hyperphyſicae ſolus in mundo renouauerit, qui ſane quidem populi eius politura foret ex liberatione a cultu idololatrico anarchiaque polytheiſmi, ſi ille iure poſſet hanc laudem ſibi tribuere. — Quod rationem diſtinctiuam et characteriſticam claſſis tertiae ſociorum religioſorum attinet, cui modeſtia praue intellecta fundamento ſubeſt, dedignatio arrogantiae in pretio morali aeſtimando, oſtenſa ſanctitate legis haud contemtum ſui ipſius parere debet, ſed potius promtitudinem animi, his eximiis initiis in nobis congruenter, ad conuenientiam illam vsque proprius accedendi: cum loco eius virtus, quae proprie in animo illius conſiſtit, velut nomen arrogantiae iam ſuſpectum, ad paganiſmum relegetur, contraque repens beneuolentiae captatio commendetur. — *Deuotio ſpuria* (*bigotterie*) verſatur in conſuetudine, pro actionibus deo acceptis (in faciendis omnibus humanis officiis in proxima cum deo occupatione per ſignificationes reuerentiae, exercitium pietatis ponendi; quod exercitium tum ad *opus operatum* referendum eſt, ita vt ad ſuperſtitionem praeterea quoque error fanaticus tactuum ſupraſenſibilium (caeleſtium) putatitiorum accedat.

moraliter paſſiuum ſuſpirantem, nihil magni bonique ſuscipientem, ſed cuncta a votis exſpectantem, transferatur, neceſſe ſit. — In iis, quae mentem attingunt moralem, cuncta pendent ex conceptu ſuprema, cui omnia officia tua ſubieceris. Si cultus dei primum eſt, cui proinde virtus ſubordinetur, ea res *idolon* eſt, nimirum vt natura cogitatur, cui non per vitam moralem in mundo, verum per adorationem adulationemque nos acceptos fore ſperauerimus; religio vero tum idololatria eſt. Quamobrem pietas non eſt in ſurrogatis virtutis, ad ea carendum, ſed perfectio abſolutioque illius, vt ſpe poſſimus coronari, fore, vt tandem omnes fines boni nobis ex animi ſententia cedant.

§. 4.

De filo Ariadnaeo religionis in credendis.

Hoc loco non quaeritur: quomodo religio duci debeat (ea enim non vult ducem; ſatis ſit vt eam habeamus), ſed quomodo haec ipſa eſſe pro filo Ariadnaeo poſſit in conſiliis moralibus grauiſſimis capiendis.

Religio cernitur in conſcientia, quae per ſe ipſa in officio eſt. Qui autem fieri poteſt, vt eam cogitatione

raſterem imprimit *puſillanimitatis*, per cauſas cauſis Muhammedanae e diametro oppoſitas. — Iam profecto quidem haud per culpam fit internae naturae chriſtianae fidei, verum per modum, quo animis ea adplicatur, ſi illi in iis, qui optime de ea ſentiunt, ſed inde a corruptione humana inſtituentes, de omnique virtute deſperantes, principium religionis in ſola *pietate* (quo principium intelligitur vitae paſſivae reſpectu probitatis per vim deſuper exſpectandae) ponunt, ſimile illius poteſt opprobrium fieri; quoniam numquam fiduciam in ſe ipſis collocant, in perpetuaque anxietate adiutorium quoddam ſupranaturale circumſpectant, atque in hac ipſa ſui deſpicientia (quae non modeſtia eſt) adiumentum poſſidere gratiam concilians opinantur, cuius ſignificatio externa (in pietiſmo) ingenium animi *ſeruile* prodit.

nobis informemus; cum conſcientia omnium repraeſentationum noſtrarum tantummodo reſpectu logico, proinde ſolum cum adiunctione, ſi repraeſentationes noſtras reddere claras velimus, neceſſaria eſſe videatur, proinde haud abſolute poſſit in officio eſſe?

Principium morale eſt, nullius indigens probationis: *ne quidquam agas, quod metuas contra officium fore* (quod dubitas, ne feceris! *Plin.*). *Conſcientia* ergo, actionem, *quam ſuſcipere volo*, rectam eſſe, in officio abſoluto eſt. Actio omnino bona ſit nec ne, intelligentia iudicat, non conſcientia. Neque ſimpliciter neceſſarium eſt, vt de omnibus, quae fieri poſſunt, actionibus ſcias, officio conueniant, nec ne. Sed eam, quam *ego* ſuſcipere volo, non ſolum memet oportet iudicare atque opinari, verum etiam *certo* ſcire, haud officio repugnare, idque requiſitum in poſtulatis eſt conſcientiae, cui *probabiliſmus* opponitur, id eſt, principium: ſolam opinionem, actionem rectam eſſe poſſe, ſatis eſſe ad eam ſuſcipiendam. — Conſcientia ſic quoque poſſet definiri: cernitur in *facultate iudicandi morali ſe ipſam iudicante;* ſed huic definitioni admodum opus eſſet definitione praeuia conceptuum in ea comprehenſarum. Conſcientia haud iudicat actiones vt caſus, legi obnoxios; id enim ratio facit, quatenus ſubiectiue practica eſt (vnde caſus conſcientiae et caſuiſtice, velut genus quoddam dialectices conſcientiae); verum hic ratio ſe ipſam iudicat, an reapſe quoque illam actionum diiudicationem cum omni diligentia (rectae ſint nec ne) inſtituerit, hominemque *contra* vel *pro ſe* ipſo teſtem citat, hoc factum eſſe, vel non factum.

Fac, vt hoc vtar, iudicem haereticorum, qui opinionem imbibit de fide ſua ſtatutaria vna ſolaque, eique vsque ad martyrium adhaeret, et qui haereticum, quem vocant, de incredulitate accuſatum (alioquin bonum ciuem) iudicare debet, iamque ex eo quaeras: vtrum, ſi illum ad mortem condemnet, dici queat, ſe conſcientiae ſuae (quamquam erroneae) conuenienter

iudicasse, an ipsi potius simpliciter *vacuitas conscientiae* queat exprobrari, siue errauerit, siue cum conscientia perperam fecerit? quoniam in eius caput iurari potest, eum in tali causa numquam esse certum posse, in eo haud plane peccari. Sine dubio ei certo fuit persuasum, sibi per voluntatem diuinam supernaturaliter reuelatam (fortasse ex dicto trito isto: compellite intrare) licere, sin haud adeo pro officio iniungi, opinatam incredulitatem vna cum incredulo exstirpare. At fuitne reapse de tali doctrina reuelata, de eoque sensu quoque illius tantum ipsi persuasum, quantum opus est, ad necem hominis tentandam? certum est, iniuste fieri, si homo de fide religiosa interficiatur: nisi forte (vt extrema quaeque concedam) voluntas diuina quaedam, extraordinarie illi patefacta aliter statuerit. Deum autem hanc terribilem voluntatem numquam ostendisse, documentis nititur historicis, nec vmquam apodictice certum videtur. Reuelatio ad eum non nisi per homines peruenit, atque ab his explicata est, et etiamsi quoque ea illi a deo venisse videretur (velut iussum Abrahamo factum, de filio instar ouis mactando), tamen saltem fieri potest, vt hic error lateat. Tum vero auderet aliquid facere, quod verendum foret, maxime iniustum esse, atque in eo quidem contra religionem agit. — Sic igitur cum vniuersa fide historica comparatum est: vt scilicet semper *possibilitas* relinquatur, errorem ea in re deprehendi, ergo contra religionem est, ei in possibilitate, fortasse id, quod postulat, aut concedit, iniustum esse, hoc est, periculo officii humani per se certi laedendi, parere.

Sed ponamus, actionem, ab eiusmodi lege reuelata positiua (pro ea reputata) praeceptam, per se quoque licitam esse, tamen quaeritur, an superiores clerici doctoresue, pro opinata persuasione suo populo possint velut *articulum fidei* (sub poena amittendi ordinis) confitendum imponere debeant? Cum persuasionis nulla alia argumenta nisi historica sint, in iudicio huius populi autem (si vel minima ex parte se ipsum exploret),

ſemper poſſibilitas abſoluta erroris fortaſſe in ea re aut in interpretatione claſſica commiſſi relinquatur, clericus populum cogeret, vt, certe interne, quidpiam, pro tam vero, quam deum eſſe credit, id eſt, quaſi in conſpectu dei, confiteretur, quod, qua tale, tamen haud certo nouit, velut conſtitutionem certae cuiusdam diei ad pietatem certo tempore palam promouendam, tamquam partem religionis a deo proxime praeceptam agnoſcendam, myſteriumque, vt ab eo firmiter creditum confitendum, quod ne quidem intelligit. Superior eius clericus in eo ipſe contra religionem ageret, ſi quidpiam, de cuius veritate ipſi numquam prorſus perſuaſum eſſe poteſt, aliis credendum obtrudat, ideoque merito cogitare deberet, quid faciat, quoniam ei vniuerſi abuſus ex eiusmodi fide ſeruili ratio reddenda eſt. — Igitur fortaſſe verum in creditis, ſed ſimul tamen falſum in fide ineſſe (vel in eius ſola confeſſione interna) poteſt, idque per ſe reprobandum eſt.

Quamquam, vti ſupra monuimus, homines qui vel minima initia ceperunt libertatis cogitandi, *)

*) Ingenue fateor, orationem iſtam, qua fere quoque viros vti prudentes videmus, mihi maxime alienam videri: certus quidam populus (qui in ſtabilienda libertate legali occupatur) non eſt ad libertatem maturus: glebae addicti proprietarii villae ad libertatem nondum ſunt maturi: et ſic quoque, homines omnino nondum ſunt ad libertatem fidei maturi. Ex tali vero ſuppoſitione numquam libertas adparebit; ad hanc enim non poſſumus *matureſcere*, niſi antea ſimul libertati adſerti (liberi ſimus neceſſe eſt, vt viribus noſtris in libertate finaliter poſſimus vti). Prima quidem tentamina ſane rudia erunt, plerumque etiam cum ſtatu moleſtiori ac periculoſiori coniuncta, quam cum adhuc iuſſis, ſed quoque curae aliorum ſuberamus; ſed rationi non niſi ex *propriis* periculis matureſcimus (quae vt facere queamus, liberi ſimus, neceſſe eſt). Haud pugno, eos, penes quos poteſtas eſt, temporibus coactos, liberationem ab hisce tribus vinculis, longiſſime differre. Verum, ſi pro principio conſtituatur: iis, qui illis ſemel ſubiecti ſunt, omnino libertatem haud prodeſſe, eosque iure poſſe ſem-

cum antea sub iugo fidei seruili tenerentur (velut protestantes, continuo factos se reputant praestantiores,) quo minus (quidquam positiui, quodque ad praescriptionem pertineat sacerdotum) credere opus habent, tamen in iis, qui nondum eiusmodi periculum facere potuerunt vel voluerunt, ratio contraria videtur; horum enim principium est: e re est, potius vt nimium, quam vt parum, credamus. Neque enim, quod praeterquam, quod in officio est, agamus, quidquam certe nocere, verumtamen fortasse posse prodesse. In hoc errore, quo improbitas in confessionibus religiosis pro principio constituitur (cuius rei eo faciiius consilium capimus, quoniam religione quoduis peccatum, proinde quoque vitium improbitatis compensatur), nititur in rebus fidei argumentum istud, quod a tuto nominatur: si, quae de deo confiteor, vera sunt, inueni; sin haud vera, caeteroquin etiam haud per se illicita; solum ea superuacanee credidi, quod quidem haud necesse fuit, mihi vero fortasse duntaxat quamdam molestiam, quae non in crimine est, iniunxi. Periculum ex improbitate professionis, *laesionem conscientiae*, cum coram ipso deo pro certo quidpiam perhibes, quod tibi tamen conscius haud tanti esse vt per fiduciam absolutam confirmetur, haec omnia *simulator pro nihilo putat*. — Argumentum a tuto verum cum religione solum coniunctum ipsum contrarium est: quae, vt adimenta, conditionesue beatitatis, haud per propriam rationem, sed modo per reuelationem mihi innotescere possunt, et per fidem historicam solum in confessione mea possunt recipi, caeteroquin decretis moralibus puris haud repugnant, haud pro certis quidem credere nequeo nec adseuerare, sed aeque minus pro certo falsis repudiare. Nihilominus, quamuis nihil de iis quidquam statuam, confido, fore, vt quae in iis salutaria

per ab ea remoueri, iniuria fit regalibus dei, qui hominem ad libertatem creauit. Sane quidem commodius in ciuitate, domoque atque ecclesia obtinere, si possis eiusmodi principium tenere. Num vero etiam iustius?

infint, mihi, quatenus memet haud fere defectu mentis moralis in vita bona indignum reddam, proficiant. In hac norma vera moralis cautio inest, nempe coram conscientia (nec plus potest ab homine postulari), contra periculum summum est atque ambiguitas in opinato adiumento prudentiae, noxias consequentias quae ad me forte possent redundare, si haud confiterer, astute euitandi, eoque, quod vtramque partem sequare, vtramque offendendi.

Cum auctor cuiusdam symboli, cum doctor ecclesiae, quin quisque homo, quatenus intus sibi ipse persuasionem de senteutiis qua reuelationibus diuinis confiteri debet, sese interrogaret: audesne coram scrutatore animorum, cunctis, quae sancta tibi et cara sunt, abdicatis, earum sententiarum veritatem adseuerare? malum, necesse foret, de natura humana (a bono certe haud prorsus aliena) conceptum maxime iniquum memet habere, nisi praeuiderem, vel audacissimo fidei doctori ea de re trepidandum esse. *) Quodsi autem sic se habeat, quomodo cum religiositate conuenit, vt nihilominus eiusmodi fidei declaratio, quae nullam circumscriptionem admittit, vrgeatur, et temeritas eiusmodi adseuerationum vel adeo pro officio et re ad cultum dei spectante vendatur, eo autem libertas hominum, quae ad ea omnia, quae moralia sunt (cuiusmodi acceptatio religionis est), summe necessaria est, penitus pro-

*) Idem vir, qui audet dicere: qui hanc illamue doctrinam historicam vt veritatem pretiosam haud credit, *is damnatus esto*, tamen quoque posse dicere deberet: si, quae vobis hic narro haud vera sint, *memet damnatum cupio!* — Si quis foret, qui eiusmodi sententiam terribilem posset pronunciare, ei suaderem, vt eius respectu sese ad prouerbium Persicum de quodam *Hadgi* componeret: si quis semel (vt peregrinus) Meccae fuerit, domum relinque, quam tecum is inhabitat; si iterum ibi fuerit, eamdem plateam relinque, vbi degit; si vero tertium ibi fuerit, vrbem vel terram relinque, in qua commoratur.

sternitur, ac ne voluntati bonae quidem locus conceditur, quae dicit: „credo, mi domine, succurre incre„dulitati meae." *)

SCHOLION GENERALE.

Quidquid boni homo ex legibus libertatis per se ipse potest facere, comparatus cum facultate illi duntaxat per adiutorium supernaturale possibili, id dici *naturae* poterit, vt a *gratia* discernatur. Hoc non ita diximus quasi per vocabulum naturae intelligeremus qualitatem physicam, ab libertate diuersam, sed tantummodo, quia huiusce facultatis saltem *leges (virtutis)* cognoscimus, ratioque proinde eius, vtpote *analogi* cuiusdam *naturae* ducem habet sibi conspicuum ac faci-

*) *O sinceritas!* tu Astraea, quae a terra es ad caelum elapsa, quomodo te (fundamentum conscientiae proinde vniuersae religionis internae) inde te deuocabimus? Possum concedere, quamuis vehementer dolendum sit, mentem apertam (*vniuersam*, quam nouimus, veritatem dicendi), in humana natura haud inueniri. Verum *sinceritas* (vt *omnia*, *quae dicuntur*, cum veracitate dicta sint) ab vnoquoque homine postulari possit oportebit, et si vel nulla eius initia in natura nostra essent, quorum cultura tantummodo negligitur, tamen genus humanum ex sua ipsius sententia res esse summo despicatui obnoxia esse deberet. — Sed illa animi qualitas desiderata *eiusmodi* est, quae, multis tentationibus exposita, multis iacturis comparatur, proinde quoque robur morale, hoc est, virtutem (quae acquirenda est) postulat, quae vero maturius quauis alia custodienda est et colenda, quoniam propensio contraria, si semel radices egerit, difficillime exstirpari potest. — Quocum nunc compares nostram educandi rationem, praesertim respectu religionis, vel potius doctrinarum fidei, vbi tenacitas memoriae in respondendo ad quaestiones de iis propositas, nullo respectu habito tenacitatis confessionis (qua de numquam exploratio instituitur) iam per se idonea ad efficiendum credentem iunitur, qui, quae sancte adseuerat, ne intelligit quidem, et sinceritatis defectum, quo meri simulatores interni generantur, mirari desines.

lem; contra, an, quando et quid, quantumue *gratia* in nobis effectura sit, nos prorsus fugit, ratioque in eo, quemadmodum in supernaturalibus omnino (quo moralitas, vt *sanctitas*, pertinet) omni cognitione legum, quibus fiat, vacua est.

Conceptus accessionis hyperphysicae ad facultatem moralem nostram, quamquam mancam et imperfectam, ad ipsumque consilium nostrum haud prorsus purgatum, saltem infirmum, vniuerso officio nostro satisfaciendi, transscendens est, in solaque idea versatur, cuius nulla nobis experientia potest de realitate reddere certiores. Verum eam ipsam qua ideam si solum respectu practico sumamus, nimis ausum videtur, et difficulter cum ratione coniungendum; quoniam, quae nobis vt mores boni imputari debent, non ex contagione aliena, sed solum per vsum, qui fieri possit, optimum propriarum virium nostrarum fieri oporteret. Sed impossibilitas istius (vtrumque simul locum obtinere) itidem non potest probari, quoniam libertas ipsa etsi nihil quidquam supernaturale in eius conceptu inest, nihilominus quoad possibilitatem itidem nobis incomprehensibilis est, atque supernaturale, quod ad compensandam determinationem illius spontaneam, sed imperfectam sumseris.

Cum autem libertatis certe *leges*, quibus determinari debeat (morales) norimus, de adiutorio supernaturali vero, an certa quaedam vis moralis in nobis percepta vere inde promanet, vel etiam quando, sub quibusque conditionibus illud exspectandum sit, neutiquam quidquam cognoscere possimus, praeter sumtionem generalem, quae natura in nobis haud valeat, ea a gratia effectum iri, si modo illa (id est, propriis viribus nostris), quantum fieri possit, vsi fuerimus, huiusce ideae nullus nobis amplius esse vsus poterit: nec quomodo (praeter continuum ad bonam vitam nisum) eius cooperationem ad nos referre, nec quomodo determinare possemus, quibus eam nos temporibus ex-

ſpectare debeamus. — Quae idea prorſus transſcendens eſt, et praeterea vtile eſt, ſi nosmet ab ea, tamquam re ſancta, verecunde remotos teneamus, ne per errorem nos ipſi nobis miracula patrare, aut in nobis percipere videamur, atque ita omnino ad ratione vtendum reddamur inepti, vel etiam ad ignauiam commoveamur, id, quod in nobis ipſis quaerere deberemus, deſuper otioſe et ferendo quaſique patiendo exſpectandi.

Iam in *adiumentis* omnes cauſae intermediae ſunt, quas homo *tenet in poteſtate ſua*, vt certum iis finem conſequatur, et tum, vt adiutorio caeleſti digni euadamus, nihil quidquam aliud eſt (nihilque aliud eſſe poteſt) praeter conatum ſerium qualitatem moralem, quoad eius fieri poſſit, emendandi, eoque ſeſe aptos reddendi ad conuenientiam cum complacentia diuina abſolnendam, quae non penes nos eſt, ſiquidem, quod homo exſpectat, adiutorio illi diuino, proprie non, niſi moralitas eius propoſita eſt. Hominem autem impurum ibi iſtud non quaeſiturum eſſe, ſed potius in certis quibusdam inſtitutis ſenſibilibus (quae ſane penes ſe ſunt, quibus vero etiam per ſe nullus homo melior reddi poteſt, et tamen iſtud ſupernaturaliter effici debet), fere iam ex anticipatione poterat exſpectari, et ſic quoque reapſe ſe habet. Conceptus *adiumenti*, quod dicunt, *gratiae*, quamquam (pro iis, quae modo diximus) in ſe ipſe pugnat, hoc tamen loco pro inſtrumento eſt nobismet ipſis illudendi, id quod aeque frequentatum, ac religioni verae pernicioſum eſt.

Cultus dei verus (moralis), a fidelibus, vt ſubditis ad regnum eius pertinentibus, non minus vero quoque (ſub legibus libertatis) vt a ciuibus illius praeſtandus, non quidem, velut hoc ipſum, ſub adſpectum cadit, hoc eſt, cultus eſt animorum (in ſpiritu et veritate), nec poteſt, niſi in conſilio omnium verorum officiorum faciendorum, vt praeceptorum diuinorum, in actioni-

bus consistere soli deo destinatis. Verum inuisibilibus opus est in hominibus vt per visibilia (sensibus obnoxia) repraesententur, quid? quod per haec in gratiam practici stipentur, et, quamuis intellectualia sint; quasi (ex certa quadam analogia) sub adspectum reuocetur; id quod, etsi adiumentum est, quo haud facile possit careri, quod tamen simul periculo calumniae admodum obnoxium est, nostrum nobis in cultu dei officium duntaxat repraesentandi, per *errorem* nos obrepentem tamen facile pro *cultu dei* ipso habetur, ac plerumque etiam sic nominatur.

Hic opinatus dei cultus ad mentem veramque significationem, quippe ad consilium animi regno dei in nobis et extra nos se deuouentis, reuocatus, per ipsam rationem potest in quatuor officia facienda describi, quibus autem certa quaedam formalia, cum illis haud necessario coniuncta consentanee adiuncta sunt; siquidem illis pro schemate sunt, atque ita ad attentionem nostram ad verum dei cultum excitandam et conseruandam, iam inde ab antiquis temporibus probata sunt subsidia sensibilia iudicata. Cuncta nituntur consilio moralis boni promouendi. 1) Vt *illud in nobis ipsis* firmiter fundemus eiusque consilium repetita vice in animo excitetur (preces priuatae). 2) Vt *istud extrinsecus dispergatur*, per conuentum publicum certis quibusdam diebus legaliter eo institutis, vt ibi doctrinae religiosae ac vota (simulque eiusmodi consilia) audiantur, et sic vniuerse communicentur (coetus congregationesque in templis). 3) Vt *ad posteros propagetur:* nouis membris in communionem fidei recipiendis, iisque edocendis (in religione christiana *baptismus*). 4) Vt *ea communio conseruetur*, repetitis formalibus publicis, quibus coniunctio horum membrorum in corpore ethico, et quidem ex principio iuris aequi inter se partisque omnium fructuum moraliter boni seruetur (communio).

Omnis in rebus religiosis institutio, si non solum moraliter sumas, et tamen pro adiumento adprehendas, quo *per se* deo acceptus reddare, quod proinde omnia vota tua expleat, *fides* est *fetissica*, quae in persuasione cernitur, fore, vt, quo nec *natura* quidquam nec legibus moralibus rationalibus effici potest, eo tamen solo iam optata effectum iri videantur, si modo firmiter credas, id tale effecturum fore, vt cum hac fide certa formalia coniungantur. Vel tum quoque, cum satis inualuit persuasio, omnia hic ex bono morali pendere, quod non potest nisi ex actione proficisci, homo sensibus obsequens tamen etiamnum dispendio conatur conditionem molestam illam euitare, nimirum, si solum *modum* (formalia) celebret, deum istud pro facto accepturum fore; quod tum sane quidem gratia illius immensa dicendum foret, nisi potius gratia esset per fiduciam ignauam somniata, vel fere adeo fiducia simulando adfectata. Atque ita factum est, vt homo in omnibus publicis fidei generibus certos quosdam ritus vt *adiumenta gratiae* excogitaret, quamuis haud in vniuersis, perinde atque in christiano, ac conceptus rationales practicos iisque conuenientia consilia referantur (velut in Muhammedano de quinque magnis praeceptis, lotioue, precibus, ieiunio, eleemosynis, peregrinationibus Meccanis; e quibus eleemosynae solae exceptione dignae forent, si e consilio vero honesto simulque religioso erga officia humana fierent, atque ita quoque reapse mererentur pro adiumento gratiae haberi; cum e contrario non excipiendae sint, propterea quod secundum eam fidem commode possunt cum raptu eorum, quae in persona egenorum deo offeruntur, ab aliis consistere).

Triplex quippe esse genus potest *fidei erroneae* in terminis rationis nostrae migrandis respectu supernaturalium (quae non sunt ex legibus rationalibus vsui obnoxia nec theoretico, nec practico). *Primo* fides cognoscendi quidpiam per experientiam, quod tamen fieri

nullo modo poteſt, vt ipſi tamquam ex legibus experientiae obiectiuis eueniens accipiamus (fides *de miraculis). Deinde* error, quaſi id, de quo ipſi per rationem nullam nobis cogitationem mente informare poſſumus, tamen in conceptus rationales noſtros, vt ad ſalutem moralem noſtram neceſſarium, recipiendum foret (fides *de myſteriis*). *Tertio* error, ac ſi, ſolis rebus naturalibus vtendis effectum poſſis, quod nobis myſterium eſt, nempe contagionem dei cum moralitate noſtra, producere (fides *de adiumentis gratiae*). — De duobus primis fidei generibus adfectatis in ſcholiis generalibus ad caput ſecundum tertiumque huius libri disputauimus. Igitur adhuc reliquum eſt, vt de adiumentis gratiae agamus (ab *operationibus gratiae* *) diverſis, hoc eſt, contagionibus moralibus hyperphyſicis, in quibus ſolum ferendo nos patiendoque verſamur, quarum vero experientia opinata in errore cernitur fanatico, qui ſolum ad tactum pertinet).

1) *Preces*, vt cultus *formalis internus* atque idcirco vt adiumentum gratiae cogitatae, verſantur in errore ſuperſtitioſo (in creandis fetiſſis); namque in *votis* conſiſtunt ſolum *declaratis*, erga naturam, quae haud indiget declaratione conſilii interni optantis, qua igitur nihil efficitur, ideoque nullum officiorum illorum, quae nobis vt praecepta dei colenda ſunt, praeſtatur, nec proinde reapſe deus colitur. Votum ex animi ſententia, vt in omnibus et faciendis et mittendis deo te acceptum probes hoc eſt, conſilium omnes actiones noſtras comitans, eas, quaſi in cultu dei fiant, inſtituendi, mens atque *anima precum* eſt, quae perpetuo in nobis locum obtinere et poteſt et debet. Iſtud votum autem (ſi vel interne modo fiat) verbis veſtitum ac formulis, **) non niſi ad ſummum poteſt pretium adiumenti

*) Vid. Scholion generale ad *caput primum*.

**) In illo voto, tamquam precum anima homo tantummodo in ſe ipſo (ad conſilia ſua per *ideam de deo* animanda), in hac

in sese habere ad consilium in nobis ipsis saepius animandum, sed nullam proxime adfectionem ad compla-

vero, cum mentem suam per verba, proinde extrinsecus declaret, in deo agere conatur. In sensu superiori preces cum sinceritate plena locum habere possunt, quamuis homo non sibi arroget, ipsam dei existentiam vt prorsus certam posse se adseuerare; in forma altera qua *adlocutio* hanc rem summam pro personaliter praesente accipit, aut saltem ita simulat (vel interne), quasi de eius praesentia persuasus sit, existimans, etiamsi haud sic foret, certe sibi non posse nocere, sed potius gratiam conciliare; proinde in his posterioribus prioribus (quoad literam) sinceritas non potest tam perfecta esse, quam in superioribus (quoad solam eius mentem). — Quod verum esse, quisque intelliget, si hominem pium ac bene sentientem, caeterum autem respectu eiusmodi conceptuum religiosorum expolitorum circumscriptum cogitatione sibi informarit, quem alius quis, ne dicam in precibus claris, sed modo in vultu precantis opprimeret. Memet haud monente sponte exspectabis, illum propterea perturbatum iri, quasi de statu, cuius sibi pudendum videatur. Quid ita? Inde, quod homo secum ipse clare loquens deprehenditur, ei suspicionem mouet, eum aliquantum erroris pati, ac perinde iudicatur (haud iniuria), si, cum solus est, in occupatione gestuue offendatur, quae non possit, nisi in eo esse, qui quempiam praeter se in conspectu habet, quod tamen in exemplo proposito non locum habet.— Verum doctor euangelii mentem atque animam precum praeclare formula complexus est, qua efficitur, vt hae eoque illa ipsa (qua litera) simul queat careri. In ea nihil quidquam deprehenditur, praeter consilium vitae bonae instituendae, quod, cum conscientia fragilitatis nostrae coniunctum, votum continet perpetuum, vt membrum sit dignum in regno dei; ergo nulla propria de quadam re rogatio, quam nobis deus posset pro sapientia sua recusare, sed votum, quod, si serium (in actione positum) sit, rem sibi propositam (vt homo deo acceptus fias) sponte producit. Ipsum votum adiumenti ad conseruandam existentiam nostram (panis) in vnum diem, cum haud durationem illius spectet, sed in effecto versetur necessitatis cuiusdam animalis sensu perceptae, potius confessio est eius, quod *vult natura* in nobis, quam singularis rogatio deliberata illius, quod homo *cupit:* cuiusmodi rogatio foret de pane in alte-

centiam diuinam habere, ob id ipsum quoque cuique in officio esse; quoniam non nisi illi potest adiumen-

rum diem; quae distincte hic excluditur. — Preces eiusmodi, ex consilio morali (solum per ideam de deo animato) fusae, quoniam vt anima precum moralis rem cupitam ipsae producunt, solae possunt in *fide* fieri; quod idem denotat atque certum esse fore, vt *exaudiantur;* cuiusmodi autem nihil quidquam praeter moralitatem in nobis esse potest. Namque si panis vel modo in hodiernum diem rogaretur, nemo certum sese existimare poterit, fore, vt exaudiatur, nimirum necessario cum sapientia dei coniunctum esse, vt concedatur; fortasse melius cum ea conuenire potest, si ex inopia illius moriatur. Praeterea error est absurdus simulque temerarius, si importunitate flagitandi impetuosa experiare, anne deus possit a consilio sapientiae suae (in praesens commodum nostrum) dimoueri. Ergo nullas preces, quibus haud res moralis proposita sit, certo possumus nobis concessum iri putare, id est, eiusmodi rem non ex fide rogare. Atque etiam: quamuis res moralis, sed tamen non nisi ex contagione hyperphysica possibilis foret (aut nos certe solum inde eam exspectaremus, quoniam non ipsi de ea operam nauare volumus, velut mutatio animi, induitio novi hominis, quam regenerationem vocant), tamen tantopere incertum est, an deus sapientiae suae conuenire visurus sit, inopiam nostram (per nostram culpam nobis contractam) modo hyperphysico suppleri, vt potius sit, cur contrarium exspectare possis. Ergo homo ipse non in fide potest de eo rogare. — Ex quo facile poterit enodari, quomodo possit cum *fide* miraculosa (quae semper esse simul cum precibus internis coniuncta deberet) comparatum esse. Cum homini deus nullam vim queat impertire hyperphysice agendi (quoniam hoc pugnat); cum homo ex sua parte nequeat ex conceptibus, quos sibi de finibus bonis in mundo possibilibus informat, quae de iis sapientia diuina iudicet, determinare, nec proinde per votum in et ab se generatum potentia diuina ad fines suos vti: donum miraculosum, tale quippe, cum ab homine ipso pendet, habeat illud nec ne („si fidem haberetis; instar grani sinapis etc."), si ad literam sumseris, nullo modo potest cogitari. Eiusmodi proinde fides, si qua eius vis esse omnino debeat, in sola idea versatur, de superante grauitate qualitatis moralis hominis, si eam in vniuersa perfectione deo accepta (quam tamen numquam consequitur) teneret, praeter omnes alias caussas mo-

tum praecipi, qui eius ad certos fines quosdam indiget, ſed multum abeſt, vt huiusce adiumenti (in et proprie *cum ſe ipſo*, opinato autem eo apertius *cum deo* loquendi) indiget, potius conſilio morali continuo depurato atque eleuato, eo adlaborandum eſt, vt haec precum anima ſola in nobis idonee viuida reddatur, literaque illius (certe in noſtrum ipſorum vſum) tandem poſſit ceſſare. Haec enim, velut omnia, quae indirecto certum quemdam finem ſpectant, debilitat effectum ideae moralis (quod, ſubiectiue ſpectatum, *deuotionem* nomi-

ventes, quae eſſe deo poſſunt per ſummam ſapientiam, proinde in ratione confidendi, fore, vt, ſi id *prorſus* eſſemus, aut aliquando euaſuri ſimus, quod eſſe debemus et (continuo adpropinquando) eſſe quoque poſſemus, natura votis noſtris ac deſideriis, quae vero tum numquam inſipientia forent, obſequi cogatur.

Quod autem *aedificationem* attinet, per frequentationem templorum ſpectatam, preces quidem in iis publicae quoque non ſunt in adiumentis gratiae, verumtamen in ſolemnitatibus ethicis, ſiue coniuncto cantu hymni fidei, ſiue *oratione* formali nomine totius coetus a clerico ad deum directa, vniuerſam hominis neceſſitatem moralem complectente, quae, cum hanc vt neceſſitatem publicam oſtendat, vbi cuiusque deſiderium cum deſideriis omnium ad eumdem finem (regni dei arceſſendi, vt coniunctum repraeſentari debet, commotionem vsque ad enthuſiaſmum moralem augere poteſt (cum e contrario precum priuatarum, cum ſine hac idea ſublimi ſiant, conſuetudine contagio cum animo paullatim prorſus ceſſat atque exſpirat), verum etiam plus rationis habet ſuperiori, deſiderii moralis, quo anima precum efficitur, adlocutione formali veſtiendi, neque tamen in eo de natura ſumma ad conſpectum reuocanda, aut propria ſingula vi quadam huius figurae oratoriae, vt adiumento gratiae, cogitandi. Hic enim finis peculiaris adeſt, quippe vt ſolemnitate externa *coniunctionem hominum omnium* in communi regni dei deſiderio repraeſentante, cuiusuis ſinguli elater moralis eo magis commoueatur; id quod non poteſt conuenientius fieri, quam capite illius, quaſi in iſto loco in primis praeſens foret, adloquendo.

namus). Sic contemplationi sapientiae profundae creationis diuinae in rebus minimis maiestatisque in magnis, vti ea quidem semper potuit ab hominibus cognosci, sed recentioribus temporibus vsque ad admirationem summam dilatata est, ea vis inest, animum in eum tenorem labantem, hominem quasi ex sua ipsius sententia annihilantem, quam *adorationem* dicimus, transferendi, verum respectu destinationis eius moralis, vis inest animos eleuans, vt contra ea verba, vel ipsius precantis *Dauidis* (qui omnium miraculorum istorum parum nouerat) instar soni inanis euanescere, necesse sit, quoniam sensus ex eiusmodi visione manus diuinae non potest verbis exprimi. — Cum praeterea homines cuncta, quae proprie tantummodo propriam ipsorum emendationem moralem spectant, in animo ad religionem composito lubenter in cultum mutent aulicum, vbi submissio laudumque celebrationes plerumque eo minus moraliter sentiuntur, quo verbis sint locupletiores: potius opus est, vt in precibus ipsis maturrimis, cum paruulis, qui literae adhuc indigent, institutis, diligenter inculcetur, orationem (vel intus pronunciatam, atque etiam tentamina animi, ad adprehendendam de deo ideam, quae prope debet ad visionem accedere, componendi), hic non quidquam per se valere, sed tantummodo de consilio animi ad vitam deo acceptam animando agi, cuius illa oratio solum adiumentum est in gratiam phantasiae; siquidem alias omnibus illis significationibus reuerentiae delectis in discrimen adducimur, nil nisi cultum dei simulatum pro cultu eius practico, qui non in meris sensis versatur, efficiendi.

2) *Frequentatio templi*, vt *cultus dei externus in genere* in ecclesia cogitata, quoniam exhibitio sensibilis est communionis fidelium, non solum in adiumentis est, cuique *singulo* ad sese *aedificandum* *) commendan-

*) Significatio si verbo aedificationis conueniens quaeratur,

dis, verum etiam iis, vt ciuibus ciuitatis diuinae hic in terris repraesentandae, ratione *totius* officium est proxime iniunctum; posito, ea ecclesia nulla contineri formalia, quae ad *idololatriam* ducere possint, atque ita conscientiam onerare, velut certae quaedam adorationes dei in personalitate benignitatis eius infinitae sub nomine hominis, cum exhibitio illius sensibilis vetito repugnet rationali: „*noli tibi imaginem conficere etc.*" Verum ea vti per se velle vt *adiumento gratiae*, quasi eo proxime deus colatur, et cum celebratione huius solemnitatis (repraesentationis solum sensibilis *vniuersalitatis* religionis) deus peculiares *gratiae species* coniunxerit, error est, qui cum mente quidem *ciuis* boni in *republica politica* et decoro externo bene conuenit, ad eius qualitatem vero, qua *ciuis in regno dei*, non solum nihil confert, verum hanc potius adulterat, pretiumque morale vile consiliorum oculis aliorum, ipsisque suis, per colorem fallacem obtegere conatur.

nulla alia esse potest, quam vt *effectum morale ex deuotione in subiecto* intelligatur. Hoc igitur haud consistit in permotione (quippe quae iam in conceptu deuotionis inest), quamquam plerique deuoti putatiui, illam prorsus in ea ponunt; proinde necesse est, verbo *aedificationis effectum* designari ex deuotione in homine vere emendando. Sed emendatio hominis non succedit, nisi systematice opus aggrediare, firma decreta ex conceptibus probe intellectis alte in animo reponas, in iisque consilia grauitati officiorum ad eos pertinentium diuersae conuenientes, fundes, eaque contra impetus inclinationum munias, atque ita quasi hominem nouum, velut *templum dei aedifices*. Facile intelligitur, eam aedificationem non posse nisi tarde progredi; sed saltem sentiendum est, aliquid *effectum* esse. Contra ea vero homines (audiendo legendoue et canendo) mirum in modum se putant *aedificatos*, cum tamen, nihil omnino quidquam *extructum* sit, quin ne manus quidem admota; sine dubio quia sperant, aedificium morale illud, velut muri Thebarum, per suspiriorum concentum flagrantiumque desideriorum sponte emersurum fore.

3) *Initiatio* ſolemnis ſemel inſtituenda ad communionem eccleſiaſticam, id eſt, prima receptio *ad membra eccleſiae* (in chriſtiana per *baptiſmum*) ſolemnitas eſt grauiſſima, qua vel initiando, cum fidem ſuam ipſe confiteri poteſt, vel teſtibus, qui pollicentur eius educationem curaturos, permagnae obligationes iniunguntur, et quidpiam ſanctum (homo ad ciuem in ciuitate diuina informandus) ſpectatur, per ſe ipſa autem nulla actio ſancta vel ſanctitatem et facultatem diuinae gratiae recipiendae in eo ſubiecto efficiens aliorum, proinde nullum *adiumentum gratiae;* quamquam in prima eccleſia Graeca baptiſmus tanta auctoritate pollebat, vt eo omnia peccata poſſe ablui continuo putaretur, quo quidem huius erroris cognatio cum ſuperſtitione plus quam pagana palam oſtendit.

4) Solemnitas ſaepius repetita *renouationis*, *perduratio*, *propagatioque huius communionis eccleſiaſticae* ex legibus *iuris aequi* (communio ſiue ſacra coena), quae, fere etiam ſecundum exemplum fundatoris eiusmodi eccleſiae (itidem quoque eius memoriae cauſa), per rationem formalem fruitionis cuiusdam communionis ad eamdem menſam fieri poteſt, quiddam magnum continet, mentem hominum anguſtam, ſui ſtudio occupatam et impatientem, praeſertim in rebus religioſis, ad ideam *communionis moralis* coſmopoliticae dilatans, bonumque ſubſidium eſt, coetus ad conſilium morale eo repraeſentatum amoris fraterni animandi. Deum autem cum ritu hoc celebrando ſingularem gratiam coniunxiſſe, gloriari, ſententiamque, eam, quae tamen non niſi actio eccleſiaſtica eſt, praeterea adhuc in *adiumentis gratiae* eſſe, inter articulos fidei recipere, error eſt religionis, qui non poteſt, niſi recta menti eius reagere poteſt. Ergo cultus dei ſpurius (ſeu cleriarchia) omnino foret imperium cleri vſurpatum in hominum animos, eo, quod prae ſe ferunt, ſe ſolos poſſeſſione gaudere adiumentorum gratiae.

* * *

Omnium istarum artium se ipsum illudendi in rebus religionis ratio causaque communis est. Homo quippe ex omnibus proprietatibus diuinis moralibus, sanctitate, gratia atque iustitia proxime solet gratiam amplecti, vt ita conditiones euitet deterrentes, quibus iis conuenire possumus, quae postulat sanctitas. Res operosa est, *ministrum* bonum esse (cum semper crepent officia); proinde mallet in *amicis* esse, quibus multa conniuentur, aut, sicubi contra officium quidpiam factum fuerit, cuncta vllo quodam intercedente, qui summa gratia pollet, restituuntur, interea dum is nequam seruus, qui fuit, manet. Vt autem de possibilitate consilii sui consequendi cum quadem sese specie tranquillet, conceptum suum de homine (cum vitiis), vti fieri solet, ad deum transfert, et, quemadmodum in *optimis generis nostri superioribus* seueritas legislatoria, gratiaque benigna et iustitia strenua non (vti fas esset), quae singulatim et per se ad effectum actionum subditi morale conferunt, sed in mente domini humani in capiendis consiliis *commiscentur*, inde vna modo eorum proprietatum, fragili voluntatis humanae sapientia potiri debes, vt alteram vtramque ad conniuentiam determines; sic sperat quod istuc apud deum eo posse effici, quod solum eius *gratiam* adit. (Quocirca reparatio illarum proprietatum, vel potius adfectionum dei ad homines religioni fuit grauissima, per ideam triplicis personalitatis, cuius ad analogiam illa cogitanda est, vt quaeque singulatim distingueretur). Idcirco omnibus, quae excogitari possunt, formalibus operam nauat, quo debet ostendi, quantopere praecepta diuina *colat*, ne teneatur adstrictus ad *ea seruanda;* et quo vota otiosa quoque ad compensandam eorum transgressionem faciant, inclamat: „domine! domine!" ne opus habeat, „voluntatem exsequi patris caelestis," atque ita de solemnitatibus in certis quibusdam adiumentis vtendis ad animanda consilia vere practica, conceptum sibi

informat, vt de adiumentis gratiae per se ipsis; adeoque fidem, ea sic esse, ipsum in parte religionis ponit essentiali (homo de plebe in ipso illius toto), prouidentiaeque benignae committit, vt hominem ex sese meliorem fingat, dum *pietati* (cultui legis diuinae passiuo) pro *virtute* studet (adhibendis viribus propriis officii ab se culti), quae tamen posterior *cum illa priori coniuncta*, sola potest ideam efficere, quae cum verbo *pietatis* (verae *mentis religiosae*) coniungitur. — Quodsi error huiusce putatitii alumni caeli vsque ad opinionem fanaticam effectorum gratiae intus perceptarum accreuerit (vsque adeo ad arrogantiam familiaritatis ex putatitia cum deo *consuetudine* occulta), taedet eum tandem virtutis, eaque illi in contemtum abit; idcirco haud mirum est, si palam querelae audiantur: religionem etiamnum perparum ad hominem emendandum conferre, lumenque internum („sub modio") horum gratia pollentium non etiam extrinsecus per bona opera lucere, idque (quod pro eo, ac prae se ferunt, iure posset ab iis postulari) *in primis* prae aliis hominibus naturalibus, qui religionem non ad compensandam verum ad promouendam mentem honesti studiosam, quae in bona vita vim suam exserit, in se recipiunt. Doctor euangelii nihilominus haec argumenta externa experientiae externae ipsa pro lapide Lydio ministrauit, quo, vt in fructibus suit, eos possimus et se ipsum quisque cognoscere. Nondum autem experti sumus: illos, qui se insigniter autumant gratia pollere (electos) hominem natura honestum, de quo in vsu possumus, negotiisque et rebus angustis confidere, minima ex parte antecellere, vt potius eos omnino comparationem cum hoc videas non posse sustinere; id quod planum facit, minime viam rectam esse, qua a gratia impetrata ad virtutem, sed potius a virtute ad condonationem gratiae pergitur.